JACOBI PERIZONII CUM VIRO AMPLISSIMO ULRICO HUBERO DISQUISITIO DE...

Digitized by Google

XXV. 26
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
1
23-A
31
Digitized by Google

11-217

Digitized by Google

159812g

Digitized by Google

JACOBI PERIZONII

CUM

Viro Ampliſſimo

ULRICO HUBERO

DISQUISITIO

DE

PRAETORIO

Cum alibi, tum maxime in Urbe Roma, ejusque Præt. Præfecto, ac Vero Senſu Verborum Pauli, Phil. I. 13.

In qua multa etiam alia ad Antiquitatis ſtudium pertinentia, veluti, de Juriſdictione Caſarum, Auditoriis Judicialibus, Palatiis, &c. pertractantur, variaque Veterum Loca illuſtrantur.

Accedit Ejusdem Diſſertatio *de Auguſtea Orbis Terrarum Deſcriptione*, & Loco Lucæ eam memorantis, quibusdam nunc acceſſionibus aucta, poſtquam primum Anno 1682. in lucem prodiiſſet.



FRANEQUERÆ,

Apud JOH. GYSELAAR, Ordd. Friſiæ atque Eorundem Academiæ Typogr. Ord. MDCXC.

PRAEFATIO.

EXhibeo tibi, Lector, quicquid inter me & Ampliſſ. Virum, Ulr. Huberum, de *Prætorio*, atque ejus *Præfecto*, conjunctisque controverſiis, ſcriptum eſt & diſputatum. Cujus conſilii hæc fuit ratio. Intelligebam reipſa, quando res eſt cum Adverſario, qui convinci neſcius, potiorem inanis gloriæ habet rationem, quam veritatis, tum quidem literarias has lites facile in infinitam trahi ſcriptionem, idque ſine ullo ferme in publicum uſu aut fructu. Nam ſicuti in aliis plerumque accidit, ut causâ habeatur ſuperior, qui ſuam adhuc ſolus vel ultimus expoſuit, ſic in hiſce, qui ſolus etiam legitur vel ultimus, facile victoriæ quandam ſpeciem apud Lectores ſuos ſibi conciliat, maxime ſi valeat diſputandi artibus, nihilque habeat penſi, utrum, quod ſcribit, vero congruat, necne. Quotus enim quisque Lectorum hodie eſt, qui audire ſtudeat & alteram partem, qui, ut recte judicare poſſit, dicta dictis, rationes rationibus componat, qui ad ea, quæ diſſimulantur prætermittunturve tacita, licet

 maxi-

maxime ad rem pertineant, vel etiam, quæ coloribus quibusdam adulterantur, aut moto obſcurantur pulvere, animum, ut par eſt, attendat. Curſim plerique & feſtinanter legunt Scriptores, & iis, ſi vel tantillum faveant, malunt credere, quam juſtam cauſſæ cognitionem, &, qui in ea ineſſe debet, inquiſitionis ſedulæ laborem ſuſcipere. Ita vero fit, ut pene tuto, certe negligenter prorſus & ſecure, quidvis in publicum protrudere audeant, qui unice ſpectant victoriam, inprimis ſi inſuper auctoritatis cujusdam & gravitatis exiſtimatione apud alios ſint ornati. Manifeſtiſſima harum rerum documenta in Prætoriana hac disquiſitione oſtendere tibi poſſum, Amice Lector. Nam primum, ut præjudiciis ſuorum Lectorum animos occuparet, viſum fuit Viro A. faciundum, me, quem ætate ceteroqui ſic ſatis provectum, & Eccleſiæ Seniorem novit, *Juvenem* tamen paſſim vocare, & ea aſpergere inſuper invidia, tanquam affectatæ *Novitatis* Lenociniis citato curſu ad famam graſſari contendam. Porro autem in hoc Juvene immaturis ſcilicet ſtudiis famam aucupante, modo *Rhapſodiam*, modo *Pedantiſmum*, modo *inſaniam*, modo *monſtra*, & neſcio quę non, ingenti faſtu & ſupercilio increpare, immo ipſam denique *rationem*, *Dialecticam*, *ſenſum communem* ei, ejusque, & omnium pariter

Philo-

Philologorum ſcriptis inclementer prorſus denegare: ſe interim magnifice efferre, ac gloriari, *vix tot dies impendiſſe Libro Singulari, quot Ego Uni Diſſertationi menſes.* Egregiam vero laudem, & Viro Gravi dignam! Nihilo tamen minus in tanta tam glorioſæ ſcriptionis μεγαλοφροσύνῃ omnia agit obnixe, ut veritatem involvat, & Lectores quoquo modo in ſuas pertrahat partes, nihil curæ habens, quid affirmet, quid neget, modo Lectoribus pelliciendis ſit idoneum. Cujus generis ſunt, ut pauca heic in exemplum adferam; Quod confidenter adeo & diſerte aſſerit, *Nullum aut Interpretem aut Commentatorem aliter Paulum intellexiße*, quam ipſe faciat: (Vide pag. 306.) *Nemini unquam veniſſe in mentem Prætorium Pauli locare alibi, quam in Palatio*, pag. 307. quum tamen tres eruditionis laude celebres Viri a me jam ſint prolati, qui Apoſtolum mea ex ſententia ſuis in ſcriptis interpretantur, inque iis ipſe Diodatus, eoque ipſo in loco, ex quo Vir A. eum contra me allegat, tanquam mihi prorſus adverſantem, pag. 340. &c.

Quod, ut probet ſuam controverſi Loci interpretationem de *prima* Pauli *Apologia* ex Epiſtola ejus ad Timotheum, ſæpius allegat quaſi auctorem & præeuntem ſibi Chryſoſtomum, pag. 305. 306. 354. qui tamen diſertiſſime Loca illa utriuſque

Epiſtolæ, & res iis memoratas, diſtinguit, ut oportebat, tanquam diverſas, tempore primum, dein præſentia & abſentia Timothei. Vide me pag. 328.

Quod modo ab hac parte, modo ab illa, noſtram aggreditur quæſtionem, immo controverſiæ ſtatum & caput prorſus invertit, dum primum in *Digreſſione* ad Pandectas *de Præfecto prætorii* pollicetur, ſe *Prætorium* non Pauli, ſed *Præfecti* iſtius, *cui nullum Ego prætorium præter cohortes prætorias reliqueram, fulturum:* atque idcirco incipit iſtic διαλεκτικῶς plane a definitione ejus *Prætorii*, eamque probare conatur ex Dione, tum ex Græca *Præfecti prætorio* appellatione, denique ex Loco Pauli, Vide pag. 79. &c. At dein, quia videbat, ſe exemplis vetuſti uſus, firmandæ iſti definitioni ac ſignificationi idoneis, deſtitui, quum e contrario pro mea interpretatione quamplurima a me adferrentur loca Veterum, aliam inſtituit rationem in Libro Singulari ſeu Commentario Secundo, & *ex Paulini Loci*, unde ibi incipit, *clariſſima luce Lectorem de omni diſputatione præſumere mavult*, pag. 301. atque ita Librum inſcribit, non iterum *de Prætorio Præfecti*, ſed *de Prætorio, Veroque Senſu Pauli*, ſingulaſque ejus paginas ſimpliciter *de Prætorio Pauli*; idque licet revera nulla prorſus compareat lux Paulino in loco ad *Prætorii* ſignificationem inde eruendam, quippe quod nullis iſtic cir-

cumſtantiis certum in ſenſum determinatur. Vide me ad Cap. II. Commentarii II.

Sed & identidem repetere non veretur eadem, iisdem etiam verbis, & pari adſeveratione, licet jam antea diſerte a me negata, ac refutata clariſſime. Tale eſt, quod, quamvis expoſitio *Prætorii* Paulini, quam Vir A. facit, unico hoc nitatur fundamento, quod Paulus in verbis controverſis Epiſtolæ ad Philipp. loquatur proprie de Apologia Judiciali, idque a me fuerit rejectum plane, tanquam cujus iſtic nullum omnino appareat veſtigium: nihilominus eandem ille rem per plures paginas iisdem verbis ſine ulla tamen probatione reponit ex Comm. I. in Secundum: Vide pag. 84, 85, 86, 87. & dein 301, 302, 303, 304. Similiter quum diſputaretur inter nos, utrum *Palatium* & *Prætorium* in eandem olim convenerint ſignificationem, an vero diverſas plane res ſeu ædes in Lingua Latina denotarint: & hoc poſterius a me jam in Diſſ. II. ex Codice Theodos. probatum eſſet tam liquido, quam quicquam poteſt: ille tamen præterita prorſus iſtius Codicis & argumenti ex eo petiti mentione, dictare non dubitavit & inculcare, me, *qui diſtinctas & diverſi generis ædes fuiſſe in provinciis narrem Palatium & Prætorium, adhuc operam dare debere, ut rem Novam probem*, pag. 96. Cumque deinceps Diſſ. II.

p. 162. de illa iſtius Codicis ſtudioſa adeo diſſimulatione palam conquererer, & denuó oſtenderem, *Rem* illam *Novam*, ut ait, manifeſtiſſimum in modum *probatam* a me *ex illo Codice*; tum tandem inComm. II. pag. 877. fateri adactus eſt, fuiſſe *qualitercunque* a me *probatam*, & quidem *ex Conſtitutionibus ſeri ævi Principum CPolitanorum*, licet ipſe ſeriore adhuc, Imp. ſcil. Leonis, adverſus me, & tamen perperam, utatur: ſed & addit, *luctari me cum umbra mea, quoniam & ipſe jam pridem agnoverit fuiſſe alicubi diverſa*, repetitque dein ea, quæ jam antea ſcripſerat. At operæ pretium eſt, ut cognoſcas, Lector, quomodo *diverſa agnoverit.* Non ſane, ut *diverſi generis ædes*, diverſorum uſibus deſtinatas, ſed ita, ut *Palatium* ſignificarit Habitationem Præſidum, *Prætorium* vero judiciale eorum Auditorium: eaque duo fuerint pene ſemper ex more Romanorum conjuncta in unum ædificium, ſed *alicubi* tamen, ſeu quibusdam in locis, *fuerint diverſæ ædes*, verum id quidem *præter exemplum & morem.* Vide pag. 96. Atqui neutiquam illud erat, quod a me ex Codice Theod. fuerat probatum, ſed, *Palatium* & *Prætorium* fuiſſe ubique diverſas plane ædes, & hoc quidem fuiſſe ædificium Habitationi Præſidis exſtructum; illud vero ei Præſidis Habitationi, de qua Prætorium interpre-

terpretatur Vir A. diſertiſſime opponi, & ad ſolius Imperatoris uſus reſtringi, Vide me pag. 885. &c. Quid eſt, conſulto & callide involvere & eludere veritatem vimque argumentorum, quid Lectores fruſtrari ac decipere, ſi hoc non eſt? Sed occurrunt ejus generis apud Virum A. quampluríma, in quibus meas rationes, imprimis validiſſimas quasque, quibus revera reſponderi nihil poteſt, prætermittit intactas, & tamen eadem confidentia & aſſeveratione eandem canit cantilenam. Veluti, quum moneo, ſi controverſa τῦ *Præfecti prætorio* ſignificatio ex Græca iſtius muneris appellatione vel verſione cognoſci poteſt ac debet, tunc longe potius rationem eſſe habendam iſtius temporis, quo munus id inſtitutum, & adhuc ſimplex ac modicum fuit, & quo tamen hanc *Præfecti prætorio* appellationem a re, cui ſoli tunc præerat, jam habuit, quam illius, quo poſtea multis rebus auctum, immo plane mutatum fuit, & proin variis appellationibus a priſca multum recedentibus deſignari jam potuit: nihil Vir A. contra hanc rationem reponit, & tamen urgere non deſiſtit, quod *Præfectus prætorio* a Græcis quibuſdam appelletur ἔπαρχος αὐλῆς, quamvis hi quidem, præter unum Plutarchum, ſemel hanc quoque appellationem Præfecto tribuentem, vixerint omnes poſt Con-
 ſtan-

ſtantinum Magnum, qui, ut conſtat, Prætorias cohortes, & Prætorium Caſtrum, ex Vrbe Roma ſuſtulit: porro autem antiquiores Græci, immo & Latini omnes, iis ſemper appellationibus deſignaverint Præfectum illum prætorii, quibus ſignificatur unice, eum fuiſſe prætoriis cohortibus præfectum, Vide ad Comm. II. cap, 13. Similiter in Caſtris quoque Prætoriis jus fuiſſe dictum, præter exempla in medium allata, demonſtraveram cum ex clariſſimis verbis Juvenalis, qui *Legibus antiquis Caſtrorum* illud *Servari* ait, *ne miles litiget extra Vallum, Nec procul a ſignis*, tum ex eo, quod omnia judiciis ſolita ac propria in iis quoque Caſtris reperiantur, pag. 215. 216. at Vir A. nullam eorum in reſpondendo facit mentionem, tantum arripit duo, quæ protuleram, exempla, eorumque alterum cavillando eludere conatur, alterum inſolenter prorſus exagitat, Comm. II. cap. 18. Denique Statum ac Publicum juri dicundo Auditorium non tantum in Palatio primorum Cæſarum non extitiſſe, nec cauſſam, cur exiſteret, iis fuiſſe, multis declaraveram, ſed & oſtenderam inſuper, ipſum illud vocabulum *Auditorii* primo Cæſarum ſeculo, quando pro Loco parietibus concluſo ponitur, ſæpe opponi *Foro*, & omnibus illis Locis, ubi *veræ Lites* diſceptantur; tantum

abeſ-

abeſſe, ut jam illo tempore, quo adhuc publice & ordinarie jus dicebatur in Foro, immo quo, ſi in Senatu cognoſcebantur cauſæ quædam majoris momenti, id ipſum etiam *extra ordinem* & *ſupra Leges* fieri dicebatur, ut, inquam, jam tunc exſtiterint iſtiusmodi juris dicundi Auditoria in Palatio. Et ſane abhorrebát illud quam maxime a politicis primorum Cæſarum rationibus, ſecundum quas neutiquam ea, quæ ſibi apud populum eſſe poterant invidioſa, uno momento temporis ad ſe ſolos trahebant, ſed ſenſim, & gradu quodam facto: atque idcirco, ſicuti vim legum a populo primum tranſtulerunt ad Senatum, & dein tandem etiam ſine Senatu per Reſcripta & Conſtitutiones ſibi ſolis ſumſerunt, ſic & judicia, quæ tempore Libertatis exerceri ſolebant in Foro pro concione populi, primum & ipſi, ſi quando jus dicerent Ordinariis Litibus, agitabant publice eodem in Foro, vel alio publico in loco, ſed tamen paulatim majores primum cauſas non ad ſe proprie, ſed ad Senatum, per quem omnia poterant agere ſuum ad arbitrium, trahebant a conſpectu populi, poſtea vero quum huic rei jam inſuevíſſet populus, tum demum ipſi eas, vel per ſe, vel potius per Præfectos, tum Urbis, tum Prætorii, alioſque, neglecto jam Senatu, dijudicabant. Ceterum quod de vulgari Uſu *Auditorii Foro* oppoſiti pri-

mo

mo illo Cæſarum ſeculo modo dixi, id clariſſime a me probatum, Vir A. tamen, tanquam alienum, & cauſæ non ſerviens, immo tanquam Pedanticum, ſimpliciter rejicit. Uno verbo, ita agit ubique, ut, ſi quæ in meis occurrunt per ſe quidem levioris momenti, ſed quæ tamen reliquis addita quaſi cumulum quendam probationis adjiciunt, invadat ea & inſectetur omnimodo, at graviſſima quæque & ad rem conficiendam validiſſima, quæ nullis artibus labefactari aut adulterari queunt, tacita prorſus prætermittat, vel cavillatione quadam, aut ſua ſibi magniloquentia, conſulto eludat: atque interim glorietur audacter, *nullum ſe meæ interpretationis argumentum, quod ullam haberet ſpeciem, reliquiſſe intactum*, cap. 27. & alibi.

Quæ cum ita eſſent, videbam ſane, incaſſum prorſus me adverſus Virum A. ſtringere lucubrationis meæ calamum, inanemque ſumere operam in eo refutando, ſiquidem nunquam ille apud ſuos Lectores adverſus me θριαμβεύειν, ac triumphum agere, eſſet deſiturus, atque iſta ratione eos, qui ſua tantum ſcripta legerent, facile a vera cauſæ cognitione, & recte judicandi facultate prohibiturus. His itaque motus, decrevi tandem, conjunctim omnia edere, & ita demum ſyncerææ atque integræ exiſtimationis copiam Lectoribus Eruditis &
extra

extra partium ſtudia poſitis facere. Nihil enim magis mea intereſſe arbitrabar, quam ut alii totam controverſiæ hujus inter nos diſceptationem penitus perſpicerent. Aſt ita accidit, ut dum vere Ego nihil intactum ex Viri A. Commentariis relinquere volui nec debui, quippe reſponſione mea ſingulis Capitibus ſubjecta, ut, inquam, in nimiam forte molem hoc volumen excreverit, & in unum hoc argumentum major verborum copia, quam pro merito, ſit effuſa. Sed quid facerem? Niſi ita in infinitum, ſicut modo dixi, & incaſſum cum Viro veritati manus dare neſcio, omnibusque artibus victorię ſpeciem captante, contendere vellem, ineundum mihi erat illud omnia conjunctim exhibendi conſilium. Quod tamen quanto uberiora hæc mea forſan fecit, tanto eadem fore planiora & faciliora intellectu, tibi recipio, mi Lector. Qui tamen ſi vel ſic a pervolvendo hoc volumine abhorrebis, illud Te rogo, ſi judicare vis, & æquus es, ut aliquot ſaltem Capita Commentarii II. cum meis ad ea Reſponſionibus legendo conferre velis. Et ut jam nunc cognoſcas breviter cauſam, ſcito verſari in eo totius noſtræ diſquiſitionis τὸ κρινόμενον, quid ex rebus Urbanis olim notaverit *Prætorium* de re Urbana adhibitum: an Palatium Cæſarum, vel proprie ejus Auditorium judiciale, ut ſentit Adverſa

ſa pars, an vero Prætoriarum Cohortium corpus, vel Caſtrum, ubi Romæ tendebant Prætoriani, quæ mea eſt ſententia. Vir A. nullum mihi locum potuit oſtendere, in quo id vocabulum occurreret ad denotandam rem Urbanam, antequam Prætoriæ Cohortes in Urbem ſunt inductæ. Ego contra ex Optimis poſt Auguſtum Scriptoribus Loca & Exempla attuli quamplurima, & *ad nauſeam uſque*, ut ait, in quibus clariſſime determinatur ejus vocabuli Uſus in ſignificationem Prætoriarum Cohortium, adeo ut, fatente eo ipſo, perinde ſit, quod ad ſenſum & Mentem Auctorum, ſive in iſtis locis legatur *Prætorium*, ſive *Prætoriæ Cohortes:* porro autem poſtulavi ſæpius, ut Vir A. viciſſim vel unicum mihi monſtraret locum, in quo iſtius Vocabuli ſignificatio eo tempore ullis circumſtantiis coërceretur, non dico, in ſenſum, quem ipſe ei aſſignat, ſed ſaltem in alium rei Urbanæ, quam in quem Ego illud interpretor. Facere id nunquam potuit, tantum abeſt, ut ſuæ interpretationis ſententiam ulla Veterum auctoritate, ullo documento aut Loco, ut res Facti & Uſus ex Antiquitate repetendi debebat, firmare valuerit. Qua ergo nitatur argumenti ſaltem ſpecie, ſi quæris; Solo hocce, quod *Præfectus Prætorii* a Græcis quibusdam ſeri ævi vocetur *Præfectus Aulæ*, licet

licet ab antiquioribus quibusque, Græcis & Latinis, Præfectus ille Prætorii aliter vocari ſoleat *Præfectus prætoriis cohortibus*, ut adeo manifeſtiſſimum ſit, ſi qua in hoc argumento ineſſet vis ad decidendum, nullam eſſe pro Viri A. ſententia, aſt multam pro mea. Deinde non Uſum profert, ſed Analogiam urget, paſſim inculcans ſine fine modoque unam hanc rationem, quod *Prætorium* in Caſtris, unde prima ejus ſignificatio repetenda eſt, notet Tabernaculum ſummi Ducis, qui *Prætor* dicebatur. Ergo etiam in Urbe notare debeat Palatium Imperatoris. Sed huic rationi oppoſita a me ſunt primum verba ipſius ex Cap. 8. Comm. II. *Probatio per argumenta Cauſarum Linguæ Latinæ adverſus Uſum non poteſt admitti. Uſum* enim iſtius ſignificationis ne unico quidem exemplo, ut dixi, demonſtrare potuit. Dein, in Urbe non Cæſares appellari *Prætores*, unde id *Prætorii* vocabulum, ſed alios eſſe iſtic Magiſtratus, proprio hoc nomine inſignes. Porro, Urbanam plane habitationem Cæſarum non magis Caſtrenſi vocabulo *Prætorii* inſignitam, aut inſigniendam, quam Conſulum in liberâ Rep. qui etiam in Urbe olim *Prætores* dicebantur, & quorum tamen Urbana habitatio nunquam ea voce fuit deſignata. Denique, *Prætorium* & *Palatium* tanquam diverſa & diverſi generis domicilia Uſu ipſo

apud Veteres diſtingui, & in unis iisdemque Locis ſibi invicem ſæpe opponi. Verum hac quidem rationum, licet ineptiſſimarum, ſpecie fulcire conatus eſt Vir A. ſecundam ſuam *Prætorii* Urbani expoſitionem, at primam & propriam, qua *Prætorium* definit, quam præcipue ſe tuiturum promiſerat, & unde ſecundam figurata locutione partis pro toto ductam ait, Auditorii ſcilicet Judicialis, cauſa cecidero, ſi ullo reperies argumento, ſive ex Uſu, ſive ex Analogia, ab eo vel in ſpeciem probatam; h. e. ſi ullum reperies locum ex Veteribus a Viro A. allatum, in quo Auditorium aliquod judiciale in Palatio, vel alibi, fuerit appellatum *Prætorium*: immo in quo hocce *Prætorii* vocabulum pro loco poſitum, notaviſſe deprehendatur, vel in Caſtris, vel in Provinciis, vel in Urbe, Judicialem proprie Locum, aut alium, quam ipſius Habitationis, licet a me adferantur, in quibus loca Judicii a *Prætorio*, h. e. Habitatione Præſidis, aperte diſtinguuntur. Taceo nullum a Viro A. proferri documentum talis Auditorii in Palatio exiſtentis, in quo primi Cæſares jus dixerint, & *infinitas numero lites*, ut ait, deciderint: quum ſi extitiſſet, & inſuper tam aſſidui fuiſſet uſus, neceſſario alicubi aliqua ejus mentio quacunque tandem occaſione fuiſſet facta, æque ac legimus in Foro, aut aliis publi-

publicis in Locis; in Curia, in Villa, immo & in Cubiculo, a Cæſaribus cauſas fuiſſe cognitas. Ille vero defungitur non alia ratione, quam *Non potuit non ibi eſſe*, ſed quæ clariſſime rebus ipſis eſt a me confutata. Et tamen, quo jure, qua injuria, Pauli locum ad Philippenſes, memoratumque iſtic *Prætorium*, de tali Auditorio interpretandum omni modo, clamitat, licet iſtic vocabulum illud nullis plane circumſtantiis in ſenſum certum, certe non magis in Auditorii ſenſum, quam in Carceris, aut Fori, aut alterius cujuſcunque Loci, in quo verſantur homines, definiatur. Verum heic πρῶτον ψεῦδος Viri A. conſiſtit in manifeſto errore, quod ſcil. Paulus d. l. ſit explicandus ex 2. Ep. ad Timotheum, ubi is *primæ Apologiæ* meminit: quum certum jam ſit inter Eruditos, Apoſtolum de alio plane tempore, atque adeo re, agere cum Timotheo, de alio cum Philippenſibus. Neque minus abſurdum eſt, quod tam confidenter identidem aſſeverat, verba illa Pauli, de quibus ambigimus (*res* ſcilicet *ſuas cœpiſſe ſe habere melius in progreſſum Euangelii, adeo ut vinculorum ſuorum ratio evaſerit manifeſta inter omnes Urbis Romanæ homines*, ſeu *non modo inter omne Prætorium, ſed & inter omnes alios*) neceſſario eſſe intelligenda de Apologia Judiciali, quaſi Paulus ſuam

& Euangelii innocentiam nulla alia ratione declarare vel potuerit, vel voluerit, niſi unico Apologiæ publicæ actu. Quid? annon æque, immo magis decorum eſt Paulo, & Loco illi convenientius, verba iſthæc referri potius ad quotidianam, μετὰ πάσης παῤῥησίας, ut teſtatur de eo Lucas, Euangelii prædicationem ac defenſionem apud quoſcunque, qui ad eum accederent; quomodo Ego ea explicanda docui, ſed conſtituta prius, ut oportebat, *Prætorii* ſignificatione, ejuſque Analogia & Vſu, demonſtratoque, nullam omnino eſſe cauſam, quare apud Paulum aliter & contra, quam ex uſu Linguæ fieri debeat, Latinum illud *Prætorii* vocabulum exponatur. Ceterum antequam te dimittam, Lector, non poſſum, quin prius tecum etiam agam de loco quodam Ciceronis, ubi ſane *Prætorium* de re Urbana tempore Libertatis videtur adhibitum. Exſpectaram equidem, ut Vir A. quum in hoc Antiquitatis Romanæ ſtadio me ſibi oppugnandum ſumpſiſſet, eo adverſus me uteretur, ſicuti ſpecioſe ſatis poterat, ſed neque Briſſonius, neque Faber, atque adeo neque Ille, ejus Loci meminerunt. Atque idcirco forſan & ipſe eum omiſiſſem, quia (fatebor enim) nihil aliud hic dicere habeo, quam, cum Doctiſſimis Tullii Interpretibus, *Locum eſſe corruptum*: ea au-

tem

tem reſponſio quam ſit exagitationi apud Virum A. obnoxia, non ignoro. Sed tamen ne prorſus præteritetur in hac controverſia intactus & indictus, atque ita haberetur ignotus utrique, & quia non Ego tantum, ſed jam olim etiam Viri Eruditiſſimi, & extra partes noſtræ diſceptationis poſiti, corruptionem iſtius Loci palam agnoverunt cenſueruntque, conſultius fuit viſum, tuo arbirio, Amice Lector, eum ſubmittere. Verba ſunt in Verr. V. cap. ult. *Vosque omnium rerum forenſium, conſiliorum maximorum, Legum, judiciorumque arbitri & teſtes, celeberrimo in loco Prætorii locati, Caſtor & Pollux, quorum e templo quæſtum ſibi iſte & prædam maximam improbiſſime comparavit.* Videtur heic ſane *Prætorium* poni pro Loco quodam Urbis, ſeu pro ipſo Foro, ubi templum fuit Caſtoris & Pollucis: ſed tamen quia nunquam iſtoc ſenſu vocabulum illud apud Veteres occurrit, licet frequentiſſima ejus fuiſſet occaſio, idcirco Interpretes, vel nihil ad hunc locum dicunt, ut ſolent plerique, quæ explicare nequeunt, ſilentio involvere, vel a librariis male habitum cenſent. Et Lambinus quidem, ſed ſolita ſibi audacia, non dubitavit reponere, *celeberrimo in loco Urbis locati.* At Manutius modeſtior ſic tamen annotat: *Hic ſubeſſe mendum, cur non putem, cauſſa nulla eſt. nam etſi Prætores in foro jus dicebant, aut*

quæſtiones publicas exercebant; locum tamen in foro fuiſſe, qui Prætorium vocaretur, in quo eſſet templum Caſtoris, legendo nondum comperi. Quod ille ſe *legendo nondum comperiſſe* teſtatur, nec Ego, nec Alius quiſquam, opinor, comperit, atque idcirco licebit & mihi, illius ſententiæ, quæ huic loco *ſubeſſe mendum* pronunciat, accedere, meamque de eo conjecturam, ne nihil heic præter ipſum dicam, exponere, uſque dum melius quid & certius ab aliis proferatur. Ea autem eſt, ortum *τὸ prætorii* forſan ex *prætorib.* h. e. prætoribus. Nam ut ex his ipſis verbis liquet, ad templum Caſtoris & Pollucis, quod erat *in celeberrimo loco* Urbis Romanæ, ſeu in Foro, poſitum, jus dicebant Prætores, ſiquidem Verres Prætor Urbanus *ex eorum templo quæſtum ſibi & prædam maximam comparaviſſe* dicitur. Non inconcinne igitur hi Divi *Prætoribus* potiſſimum, ad eorum templum jus dicentibus, ſicuti poſtea ad Herculis templum facere ſolebat Claudius, teſte Seneca, *locati* iſtic traduntur. Quod ſi hæc emendatio tibi tamen non arrideat, rem præſtiteris mihi jucundam, & ſtudio Antiquitatis utilem, ſi nos doceas, vel oſtendas id, quod Manutius ſe *legendo nondum comperiſſe*, publice fatetur. Vale, &, quiſquis es, Lector, non ex gratia aut odio, ſed ex æquo & vero judica, ac deinceps Vindicias exſpecta Orationis

tionis nuperæ, *de Origine & Natura Imperii ſimpliciter delati* dictæ, quam itidem, ſimulac edita fuit, libitum eſt Viro A. ex profeſſo & peculiari libello aggredi, atque ita meam vel exercere vel acuere induſtriam.

AD

Virum Clariſſimum

JAC. PERIZONIUM,

de Secunda Editione accuratiſſimæ Diatribes

DE

PRAETORE,

ET

PRAETORIO.

Auriaci nuper victricia ſigna canebas,
Et tria pacifera regna ſubacta manu.
Ac debellatum ſine cæde & ſanguine Regem,
Albionem turpi deſeruiſſe fuga.
Atque ut gaudentes hac libertate Britanni
Euſebien priſco reſtituere loco:

Auria-

Auriacum Mariamque ſacro diademate cinctos
Hinc ſolio Reges impoſuere ſuo.
Ex animo feſtos Belgæ cecinere triumphos,
Dum Gallus querulum fundit ab ore melos.
Hæc te magnifice ſtupuit Franecra tonantem,
Jacobe, Aonii gloria ſumma chori.
Rem tibi non aliter ſignantia verba ſequuntur,
Quam nive brumali flumina fœta ruunt.
At nunc Romanos iterum perquirere mores,
Et juvat antiquas edocuiſſe notas.
Juraque *Prætoris*, *Prætoria* Caſtra, Cohortes,
Et ſacra Militiæ, Cæſareamque Domum.
Atque ut Tarſenſis Chriſti præconia Miles
Fecerit, ipſe viros inter & arma docens.
Namque hic, captivis extollens vincula palmis,
Expoſuit patriæ jura ſacrata ſuæ:
Scilicet eſſe ſibi civem juſſiſſe Quirites
Monſtrat, & in tabulis nomina ſcripta refert.
Quod

Quod ſine cæde manus, quod nunquam triſte bidental

Moverit, aut patrios minxerit in cineres.

Sed quod terrigenis cœli myſteria pandat,

Inde ſibi cauſas eſſe, caputque, mali.

Talibus orabat: cuncti ſimul ore fremebant

Romulidæ, & nutu tam pia dicta probant.

Iſta, PERIZONI, renovatis ponere chartis,

Iſta juvat cultu ſpendidiore legi.

Non eſt quod metuas, ne quenquam Nauſea vexet,

Talia vel decies nam repetita placent.

JOH. LOMEJER,

Eccleſiæ Zutphanienſis Paſtor, & in Illuſtri Schola Hiſtor. & Phil. pract. Profeſſor.

I A-

IACOBI PERIZONII DISSERTATIO PHILOLOGICA

D E

Origine, Significatione & Vſu Vocum

PRAETORIS & PRAETORII;

Veroque ſenſu loci ad Philipp. I. 13.

Defendente

IOANNE SIBRANDA Friſio.

ANtiquiſſimorum Magiſtratuum omnium, inque iis vel maxime etiam ipſorum Regum, præcipua erant duo hæc munia, ut inter cives ſuos jus dicerent ſecundum Leges naturalis æquitatis, & iiſdem in bello adverſus hoſtes præirent. Prius patet ex Heſiod. ϑεογ. v. 434. ubi Hecaten omnibus rebus & hominibus adeſſe dicit, & Regibus quidem adſidere *in judicio*;

ἔν τε δίκῃ βασιλεῦσι παρ' αἰδοίοισι καθίζει. Sic apud Romanos Horatius ſororis ſuæ interfector in *jus raptus ad Regem* apud Liv. I. 26. *Rex diſceptator inter patrem & filium ſumtus* cap. 50. Paſtores duo litigantes *Regem appellant*, & *ad Regem vocantur*. cap. 40. Sed in primis operæ pretium erit, audiri de hoc negotio Ciceronem de Offic. II. 12. *Mihi quidem non apud Medos ſolum, ut ait Herodotus, ſed etiam apud majores noſtros, juſtitiæ fruendæ cauſa videntur olim bene morati Reges conſtituti. Nam cum premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute præſtantem.* Dein iterum; *Eademque conſtituendarum Legum fuit cauſa, quæ Regum. Jus enim ſemper quæſitum eſt æquabile. Id ſi ab uno juſto & bono viro conſequebantur, eo erant contenti; quum id minus contingeret, Leges ſunt inventæ.* Qui ergo in unam convenere primis temporibus ſocietatem, quum quærerent æquabile jus, utpote homines

mines ejuſdem tunc ſane generis plerumque, ordinis & dignitatis, decucurrerunt illi, quippe rudes adhuc & imperiti omnium artium; ad id, quod non quidem in ſuo genere optimum, ſed quod maxime obvium erat quærentibus; & ita conſtituerunt plerique unum hominem *optime moratum, & virtute præſtantem*, qui arbiter eſſet omnium controverſiarum & litium. Ille vero quandiu *jus æquabile* dicebat inter litigantes, *eo erant contenti*, ipſiuſque arbitria habebantur pro Legibus, quæ ceteroqui nullæ adhuc erant, niſi Naturales. At vero *quum id minus contingeret*, ipſiuſque arbitria non tam eſſent interpretamenta communis æqui & boni, quam propriæ libidinis, remotus plerumque eſt a Civibus ſummam Poteſtatem in ſua ſocietate habentibus, & exutus ea, quam tenebat, dignitate, illiuſque loco *Leges* Civiles inventæ, *quæ*, ut ibidem ait Cicero, *cum omnibus ſemper una eademque voce loquebantur*, id quod non faciebant Reges. Fuit itaque olim ut *eadem cauſa*, ſic eadem pene ratio

& conditio *Regum*, quæ *Legum*. Vtrique erant quaſi Interpretes æquitatis & juris naturalis; Vtrique etiam erant in poteſtate ſuæ Civitatis, quæ ſicuti Leges, quas deinde juſſit & ſanxit, ſemper iterum mutare, vel etiam abolere potuit, ſic & Reges illos, quo arbitrio conſtituerat, eodem & removere potuit, vel ſingulos, vel in univerſum & ſempiternum omnes, ſublata plane Regia reip. adminiſtandæ poteſtate: id quod multis ſane exemplis ex antiquiſſima Hiſtoria petitis probari poſſet. Sed defungemur nunc quidem auctoritate & verbis diſertiſſimis Dionyſii Halic. lib. v. Ant. Rom. cap. ult. *In principio*, inquit Latine verſus, *omnis Græca civitas a Regibus regebatur, ſed non, ſicuti barbaræ gentes, deſpotice, verum ſecundum Leges vel mores patrios, potiſſimuſque Rex habebatur, qui erat & juſtiſſimus & Legum obſervantiſſimus, nullamque in partem a patriis inſtitutis ſecedens. Id vero declarat etiam Homerus, Reges appellans* δικασπόλους καὶ θεμιστοπόλους

Sed

Sed & inlongum uſque tempus perſeverarunt Regna adminiſtrari certis conditionibus ſeu legibus, ita ut regnum Lacedæmoniorum. Cum vero inciperent nonnulli poteſtate ſua abuti, legibus parum auſcultare, pleraque ex ſua libidine agere, populi ægre ferentes totum hoc negotium, Regna & eam Reip. adminiſtrationem ſuſtulerunt, Legibuſque conſtitutis, ac Magiſtratibus deſignatis, iis veluti cuſtodiis ſeu tutelis civitatum ſunt uſi. Patet ex his, qua gratia, & quo jure potiſſimum Reges fuerint inſtituti, Nempe ut jus dicerent inter cives ſuos, ſed ita tamen, ut, æque ac Leges, ſubjecti eſſent populo, ut non agerent omnia vere & ſimpliciter pro lubitu, ſed ut Reip. præeſſent ἐπὶ ῥητοῖς τισι, certis conditionibus & legibus adſtricti, uti erant Reges Lacedæmoniorum.

II. Alterum erat, ut Magiſtratus & Reges civibus ſuis in bello præirent adverſus hoſtes. Quod item ex omni Hiſtoria veteri conſtat, adeo ut ſæpe Reges in ſe privatim receperint omne

belli periculum, ſingularique certamine pro populo depugnaverint; immo etiam, ſi qui eam pugnæ aleam defugerent, regnum aliis ea de cauſa cedere nonnunquam debuerint. Sic certe olim in regno Athenienſi deſiit familia ſeu poſteritas Theſei, quoniam, cum bellum eſſet conflatum inter Bœotos & Athenienſes, illorumque Rex Xanthius illud in compendium vellet mittere, & ad duellum inter ſe ſolos ineundum provocaret Thimœtem Theſei Nepotem, ultimum iſtius familiæ, Athenienſium Regem, hic eam conditionem detrectaverat, ſuſceperat vero Melanthus Pylo profugus. Qui proinde victor Xanthii factus, ſucceſſor eſt datus vivo videntique Thimœti. Vide Conon. lib. XXXIX. apud Photium cod. 186. Apud Romanos quoque Romulus legitur ſingulari certamine depugnaſſe pro populo, provocatus ſimiliter a Cæninenſium Rege, *quanquam*, ut de Romulo ſcribit Valerius Max. III. 2. 3. *& numero & fortitudine militum ſuperiorem ſe crede-*

deret, tutiuſque eßet toto cum exercitu, quam ſolum in aciem deſcendere.

III. Hinc ergo, ſi qua in his fides Juſtiniano, vel ſi quis ſenſus ejus verbis in præfat. Novell. xxv. poteſt dari ſatis commodus, etiam ipſi Reges a Romanis olim fuerunt appellati a præeundo *Prætores. Eſt enim*, ut ait, *hoc nomen quaſi jure patrio Romani imperii proprium, & ante ipſos etiam Conſules in ampla Romanorum rep. uſui habitum. Nam veteres Romani ſuos imperatores* Prætores *appellabant, ſimulque illis præbebant, ut militaribus præirent copiis &c.* Si *ante ipſos Conſules* uſui habitum cum ſignificatione Imperii id nomen, omnino Reges id tuliſſe debuerunt, ſiquidem non alii tum erant Romanorum Imperatores. De quo utcunque ſit, recte prorſus a *præeundo* id vocabulum heic loci formare videtur: id quod diſertius facit præfat. Novell. xxiv. *quos quidem* Prætores *vocabant, appellatione illis ex eo indita, quod ceteris omnibus præirent & præponerentur.* In quo

auſcultare ei debuiſſet interpres ipſius Inſtitutionum Theophilus, qui *Prætorem* deducit παρὰ τὸ *Præeſſe*, τουτέστι προηγεῖσθαι καὶ ἄρχειν. Inſtit. §. 7. *de jure naturali &c.* Magno in his errore. Nihil enim certius quam *Prætorum* nomen a *præeundo*, & iſto præeundi in bellis munere, Regibus, & Magiſtratibus primis proprio, formatum, quaſi *Præitorum*, plane uti *præbeo* contrahitur ex *præhibeo*.

IV. Sic autem appellatos vere omnis generis Magiſtratus, qui imperium haberent, manifeſtum ex eo, quod is, qui inter illos ſummum obtinebat, *Prætor Maximus* olim dicebatur. Feſtus, *Maximum Prætorem dici putant alii eum, qui maximi imperii ſit, alii, qui ætatis maximæ. Pro collegio quidem Augurum decretum eſt, quod in Salutis Augurio Prætores Majores & Minores appellentur, non ad ætatem, ſed ad vim imperii pertinere.* Recte decreviſſe Augures, recte cenſuiſſe eos, qui Maximum Prætorem de maximo imperio ſunt interpre-

pretati, probet Livius VII. 3. *Lex inquit, vetuſta eſt, priſcis literis verbiſque ſcripta; ut, qui prætor Maximus ſit, Idibus Septembribus clavum pangat.* Secundum hanc Legem clavum pangebat is, qui ſummi imperii Magiſtratum Romæ tenebat, ſiquidem, ut eod. cap. pergit Livius, *a Conſulibus poſtea ad Dictatores, quia majus imperium erat, ſolenne clavi figendi tranſlatum eſt.* Sed tamen quia Dictatura erat Magiſtratus extraordinarius, nec temere, niſi in ultimis rerum diſcriminibus conſtituebatur, Conſules autem præcipui erant, immo ſoli & unici primis temporibus poſt exactos Reges, Ordinarii Magiſtratus, idcirco illi vel maxime eo *Prætoris* nomine tunc deſignabantur. Feſtus in V. *Prætoria. Initio Prætores erant, qui nunc Conſules, & ii bella adminiſtrabant.* Plinius XVIII. 3. *Frugem quidem aratro quæſitam furtim noctu paviſſe ac ſecuiſſe, puberi* XII. *Tabulis capitale erat, ſuſpenſumque Cereri necari jubebant; im-*

pubem Prætoris arbitratu verberari. Cum XII. Tabulæ ſcriberentur nondum erat proprius ille, qui poſtea fuit, *Prætorum jus dicentium* Magiſtratus, ſed unicus, qui imperium haberet, & ordinarius eſſet, *Conſulum*, qui proinde in hoc Plinii loco, vocabulo *Prætoris*, neceſſario intelligitur, ſicuti & eo æque ac *Conſulis* nomine deſignatum olim fuiſſe diſerte teſtatur Varro, Aſconius, aliique.

V. Sed quum poſtea Conſules non poſſent ſimul omnibus ſui Magiſtratus muneribus vacare per continua bella, quæ ſubinde exoriebantur eoſque occupabant, atque ita frequens eſſet quaſi juſtitium in Vrbe, vel identidem aliquis, a populo non creatus, Vrbi *Præfectus* daretur, viſum fuit faciendum, ut peculiaris juri dicundo Magiſtratus conſtitueretur. Pompon. §. 37. *de orig. Jur. Quum Conſules avocarentur bellis finitimis, neque eſſet, qui in Civitate jus reddere poſſet, factum eſt, ut Prætor crearetur, qui Vrbanus appellatus eſt, quod in Vrbe jus redderet.* Parum accu-

curate hoc poſterius. Nam *Vrbani* quidem Prætoris appellatio audita non fuit, quamdiu unus modo Prætor erat, ſed quum duo jam creari quotannis cœpiſſent, *non ſufficiente eo* uno, ut ait §. ſeq. tum demum diſtinctionis gratia, prout diviſæ erant eorum partes, alter *Vrbanus*, alter *Peregrinus* eſt cognominatus. Ceterum patet ex Pomponio cauſa, quam quærebamus, conſtituti Prætoris; cui ſpecioſæ licet, immo & juſtæ ſatis, addi poteſt ſtudium Patriciorum, qui illam urgentes, cum concedere deberent plebeiis alterum conſulatum, viciſſim ſic obtinuerunt, ut Conſulibus Prætor quaſi tertius Collega, iiſdem auſpiciis creandus, ſed inferioris tamen ordinis & dignitatis, ex ſolis Patriciis, licet deinceps etiam ex Plebejis creatus fuerit, adderetur ad jus in Vrbe dicendum. V. Liv. VI. 42. & VIII. 1.

VI. Huic novo Magiſtratui cum daretur pene altera pars muneris & imperii Conſularis, conceſſa quoque eſt altera ex præcipuis iſtius antea unici

Ma-

Magiſtratus appellationibus: ita tamen ut Conſules retinerent hoc *Conſulis* nomen, ut quod maxime erat populare, quodque ſignificabat, eos non regere, ut poſtremus Rex fecerat, pro ſuo lubitu Remp. ſed in ea tractanda uti conſilio Senatus, qui erat quaſi Conſilium publicum, quod tum Rex, tum Conſules ex inſtitutis Reip. conſulere de omnibus debebant. Quapropter datum Novo Magiſtratui potius alterum illud *Prætoris* nomen, licet militare prorſus, & a re formatum, quæ remanſit penes Conſules, neque ullo modo conveniens ſua ſignificatione cum munere juris dicundi. Quod ipſum mihi argumento eſt, Conſules illo tempore non habuiſſe ullam aliam appellationem, quam *Conſulis* & *Prætoris*, certe non *Judicis*. Hoc enim ceteroqui Conſularis Magiſtratus nomen præ ullo alio aſſignatum fuiſſet haud dubie novo Magiſtratui, cui juris dicundi poteſtas prorſus & in perpetuum tradebatur.

VII. Ut id moneam, facit locus Livii, III. 55. ubi refellit alios, qui

in Lege Horatia, qua poſt Decemviros abrogatos caput ejus Iovi ſacrabatur, *qui Tribunis pl. Aedilibus, & Judicibus nocuiſſet*, interpretabantur vocem *Iudicum* de *Conſulibus*: dicentes, *Iudicem Conſulem appellari*, in iſta ſcil. Lege, pro ratione iſtius temporis. Perperam ſane illi, ſiquidem in iſta Lege neutiquam agitur de Conſulibus, ſed de plebeiis Magiſtratibus, per quos plebi ſua libertas firmaretur: & proinde per *Judices* intelliguntur iſtic haud dubie ipſi Aediles, quippe quos Dionys. Halic. Antiq. Rom. VI. I. creatos dicit hoc tempore, ut inter alia munia etiam *dijudicarent lites, quæ permitterentur illis*, ſeu Tribunis, ſeu Aedilibus: atque inde appellatos non modo *Tribunorum Miniſtros & Collegas*, ſed & δικαστὰς *Iudices*. Neque ſatis recte Livius, ut qui illos Interpretes ſolo hoc argumento, in quo etiam ipſo offendere videtur, conatur refellere: *quod his temporibus nondum Conſulem Iudicem, ſed Prætorem appellari mos fuerit.* Etenim dum *Nondum his temporibus* Conſu-

lem

lem *Iudicis*, ſed tantum *Prætoris* nomine appellatum ait, ſignificare videtur, ſic ergo poſtea appellatum. At vero facile ego quidem crediderim, etiam hac appellatione quaſi propria inſignitos aliquando Conſules, ſiquidem id tradere videtur etiam Cicero, quum Lib. III. de Legibus ait: *Regio imperio duo ſunto, iique præeundo, judicando, conſulendo, Prætores, Conſules appellantor.* Sed ſi unquam, minime videntur ſic appellari cœpiſſe demum poſt tempora Decemvirorum, ſed omnino jam illis temporibus, vel etiam ante. Nam neque ſubſecuto Novi Magiſtratus, de quo agimus, tempore, tranſlatum eſt id *Judicum* vocabulum ad Novum illum Magiſtratum, quum tamen res ipſa in eum conferretur, neque remanſit penes Conſules, ut quod, re ablata, nullius illis erat uſus, & certe in Hiſtoriis deinceps nuſquam occurrit Conſulibus tributum.

VIII. Exiſtimem itaque, ſi Conſules unquam appellati ſint *Iudices*, id

id factum primis plane temporibus. Verum paulatim illud Nomen in ſignificandis Conſulibus abiiſſe in deſuetudinem, & ſic eo tempore, quo juris dicundi poteſtas, Conſulibus adempta, novo data eſt Magiſtratui, Conſules non alia habuiſſe, ut dixi, nomina, quam illa *Conſulis* & *Prætoris*, quæ etiam ſola memorat Varro. Quorum alterum, ſeu poſterius, datum Novo Magiſtratui, quia is erat quodammodo, & dicebatur *Collega Conſulum*. Sic certe Liv. VII. I. *Prætorem quidem etiam jura reddentem, & Collegam Conſulibus, atque iiſdem auſpiciis creatum*. Similiter Meſſalla apud Gell. XIII. 15. & Trajanus apud Plinium Panegyr. cap. 77. eodem hoc titulo Prætores ornant. Quo *Collegii* cujuſdam jure etiam factum, ut abſentibus ab Urbe Conſulibus, Prætor Urbanus Conſularem poteſtatem in Urbe exerceret, ſicuti patet ex eo anno, quo Hirtius & Panſa Coſſ. exiere ad bellum civile, Cornuto Prætore omnia Conſulatus munia Romæ peragente. Immo quum jam plu-

res

res eſſent Prætores, iique partim in Vrbe, partim in Provinciis Magiſtratum hunc gererent, Provinciales æque & bella in Provinciis, ſi uſus veniret, adverſus hoſtes Populi Rom. adminiſtrabant, ac jus dicebant: & Urbani, ſi quando Urbs ipſa multiplici premeretur bello, ac pluribus indigeret contra varios hoſtes exercitibus, proximi poſt Conſules ſemper fuerunt, qui tertio aut quarto exercitui præeſſent, atque adeo hanc quoque Conſularis muneris partem capeſſerent, id quod ſæpe factum bello Annibalico. De quo tempore Liv. XXIII. 32. *Ne Prætoribus quidem, qui ad jus dicendum creati erant, vacatio a belli adminiſtratione data eſt.* Non temere itaque *Collegæ Conſulum* appellati ſunt Prætores, alteroque propriorum Conſularis dignitatis Nominum ornati.

IX. Quæ quamvis ita ſint, & *Prætoris* vocabulum potiſſimam ſedem fixerit illo in Magiſtratu, qui proprie ad jus dicendum primo inſtitutus fuit, hæſit tamen vel maxime ejus vocabuli

uſus

uſus in ſignificando item ſummo exer-
citus Duce & Imperatore. Aſcon. Ped.
Comment: in Verrem de Prætura Ur-
bana: *Veteres omnem Magiſtratum, cui exercitus pareret, Prætorem appellaverunt*. Atque ideo Romani Scrip-
tores quando aliarum quoque gentium
bellicos Duces memorant, eos hoc ple-
rumque ornant vocabulo. Cic. de In-
vent. 1. 33. *Epaminondas Thebanorum Imperator ei, qui ſibi ex lege Prætor ſucceſſerat, exercitum non tradidit.*
Nepos Them. 2. *Ad quod bellum gerendum Prætor a populo factus eſt.*
Alcib. 8. *cum apud Ægos flumen Philocles Prætor Athenienſium claſſem conſtituiſſet ſuam, neque longe abeſſet Lyſander Prætor Lacedæmoniorum.*
Et ſic alibi & apud alios paſſim. Illud
vero obſervatu inprimis dignum, quod
aliquando etiam aliquot cohortium,
ab aliis Civitatibus Italiæ, Romanis
auxilio miſſarum, Duces, Romanorum
faſcibus & ſecuribus ſubjecti, in ipſis
tamen Romanorum caſtris *Prætores*
vocentur. Sic ſane Livius IX. 16. *Præ-*

neſtinus Prætor per timorem ſegnius ex ſubſidiis ſuos duxerat in primam aciem. XXIII. 19. *Ceteri incolumes Præneſte cum prætore ſuo Manicio (ſcriba is ante fuerat) redierunt*, ſcil. ex oppido Caſilino, ubi in præſidio fuerant quingenti ſeptuaginta numero.

X. Explicandus hic nobis occurit & emendandus omnino Priſcus ille Cato, Romanarum *Originum* ſcriptor, apud Feſtum in v. *Oratores*. Editur vulgo: *Cato in Originum libro primo, Propter id bellum cœpit Coelius P R. Albanus. Oratores miſit Romam.* Joſ. Scaliger hanc diſtinctionem ſecutus, nec quæ hic memoretur Hiſtoria, perſpiciens, verba emendare aggreditur, tantum, ut concinniorem habeant ordinem & conſtructionem. Quod non ita temere eſſe faciendum in hiſce antiquorum ſcriptorum fragmentis, quæ ſæpe imperfecto ſenſu ab ipſis Grammaticis citantur, inſigni, ni fallor, exemplo oſtendi in *Animadverſionibus Hiſtoricis* cap. IX. pag. 371. 372. Utcunque de eo ſit, Scaliger heic legi jubet:

bet: *Propter id, bellum cœpit Coelius PR. Albanus. Oratores miſſi Romam.* At non erit quiſquam, opinor, Hiſtoriarum peritus, ſi modo animum attendat, quin mihi aſſentiatur diſtinguenti aliter, &, addita modo unica litera, legenti: *Propter id, bellum cœpit. Cloelius PR.* (h. e. Prætor) *Albanus Oratores miſit Romam.* Ante omnia obſervari velim, adferri hæc ex Catonis libro *Primo Originum*, ubi exponi debuerunt prima Urbis Romæ bella. Dein agi de bello inter Romanos & Albanos geſto. Hoc autem unicum fuiſſe, & quidem tempore tertii Romanorum Regis, Tulli Hoſtilii. Iam vero quum id bellum geri *cœpit*, Albanorum Imperator erat *Cloelius* ſeu *Cluilius*, qui & initio iſtius belli legatos h. e. *Oratores*, Romam miſit, & dein in caſtris mortuus eſt. Vide Liv. I. 22. 23. Cui ergo dubium eſſe queat, reponendum hic, reliquis intactis, tantum *Cloelii* nomen pro *Coelii* nomine, alieno hinc prorſus? Neque vero obſtat, quod Livius Albanum illum, *Cluilium*

vocitet, non *Cloelium*. Nam idem eſt utrumque nomen, quod ſic diverſis modis pronunciabatur. Ipſe Feſtus hunc ipſum *Cluilium*, alibi etiam *Cloelium* appellat: *Cloeliæ foſſæ*, inquit, *a Cloelio Duce Albanorum dictæ*. Cum quibus confer, quod Liv. I. 23. *Cluilia foſſa ab nomine Ducis Cluilii per aliquot ſecula appellata eſt.*

XI. Neque vero hæſitare quis debet eo nomine, quod qui hic *Prætor*, a Livio ſubinde *Rex* Albanorum appelletur, quippe quum Imp. Iuſtinianus, uti ſupra monuimus, videatur velle, etiam ipſos Romanorum Reges olim appellatos *Prætores*: & præterea antiquiſſimi plerique Reges nihil aliud revera fuerint, quam Magiſtratus ſingulares & perpetui. Certe apud Romanos ſi Reges eorum non fuere Magiſtratus, neque Conſules fuerunt, ſiquidem, ut diſerte Livius, II. I. conſtitutis primum Conſulibus, *non deminutum quicquam ex Regia poteſtate: Omniaque jura, omnia inſignia primi Conſules tenuerunt.* Unde & Ci-

Cicero in ſuis *Legibus* loco ſupra laudato *Regium imperium* Conſulibus adſcribit. Quin immo etiam Pomponius JCtus in Magiſtratuum Romanorum appellationem & ordinem hac de cauſa ipſos quoque Reges includit. Nam cum *originem juris & proceſſum* expoſuiſſet, ad ſecundam inſtituti ſui partem progeſſurus, *conſequens eſt*, inquit §. 13. *ut de Magiſtratuum Nominibus & origine cognoſcamus.* Dein §. 14. *Reges* primo loco, ut fuerunt revera primi, memoraturus, ſed præmiſſa iterum appellatione *Magiſtratuum*, ſubjungit: *Quod ad Magiſtratus attinet, initio civitatis hujus conſtat Reges omnem poteſtatem habuiſſe.* *Omnem poteſtatem* intellige non aliter, quam ſicuti Conſulibus deinde in libera Rep. *ſumma poteſtas, ſummum imperium, ſummum jus*, immo *Regia poteſtas* tribuitur. Præterea negandum non eſt, apud Latinos Scriptores in eundem hominem, ſeu in eandem perſonam, quam quis in Rep. ſuſtinet, concurrere aliquando appellationem

 Re-

[library stamp]

Regis, & propria quædam Magiſtratuum nomina, immo ipſum illud *Magiſtratus* vocabulum, adeo ut Latine ſaltem etiam qui Reges erant, & a civibus ſuis appellabantur, fuerint dicti *Magiſtratus*, & Magiſtratus *Reges*. Carthaginienſium *Suffetes*, *qui ſummus Pœnis eſt Magiſtratus*, ut ait Liv. XXVIII. 37. a Corn. Nep. in Hann. c. 7. *Reges* appellantur, ab aliis vero Scriptoribus inſigniuntur variis Romanorum Magiſtratuum Nominibus, *Dictatorum*, *Conſulum* &c. Sed & Samothracum Regem Livius diſerte *Magiſtratum* vocat XLV. 5. *Theondam qui ſummus apud eos Magiſtratus erat, Regem ipſi appellant*. Vide plura apud Grotium de jure Belli lib. I. cap. 3. §. 10. n. 2. Denique ut ad Cloelium revertamur, is a Ratone *Prætor* dicitur, non eo ſenſu, quo Prætor Romanis Magiſtratum Vrbanum juris dicundi gratia conſtitutum notat, ſed quo imperatorem & ducem belli.

XII. Ex hac ipſa porro ſignificatio-

one ortum, ut Præſides Provincia-
um, quoniam & illi imperium mili-
are habebant, quo, ſi uſus poſceret,
ella adverſus finitimos gerere poſſent,
impliciter; ſive eſſent Proprætores,
ive Proconſules, appellarentur *Præ-
tores*, ſed maxime cum aliqua, ut di-
citur, relatione ad Provinciam & Pro-
vinciales, tum exercitum & ſingulos
in exercitu. Cic. Famil. II. 17. de
Bibulo Proconſule: *Quod ego officio
Quæſtorio Te adductum reticere de
Prætore Tuo non moleſte ferebam.* Ubi
vide Manut. ut & ad Inſcript. Lib. I.
ep. I. Idem Cic. XIII. 55. de eo,
quem *Proprætorem* ſalutarat in præ-
ſcriptione Epiſtolæ, *Quum me non fu-
giat, quanta ſit in Prætore auctori-
tas.* ſcil. apud provinciales, vel in
provincia ſua. Sic apud Livium ſæpius.
XXIII. 43. de Marcello Proconſule:
*Nedum Prætor unus cum paucis &
novis militibus Nolam tutari poſſet.*
cap. 41. *T. Otacilius Prætor quin-
quaginta navium*, qui erat Proprætor.
XI. 47. *Nihil prius petierunt a Præ-*
B 4 *to-*

tore, quam ut bibere ſibi juberet dari. *Prætore* ſcil. iſtius provinciæ, quæ erat Hiſpania. Ceteroquin enim is, a quo barbari poſcebant potum, erat proprie loquendo *Proprætor*, ut initio capitis, ubi ſimpliciter a munere ſuo deſcribitur, appellatur. Nempe ubi primum quis nominabatur, debebat accuratius exprimi, qualis ille eſſet provinciæ Præſes, utrum Proconſul, an Proprætor: dein vero id repeti ſemper non erat opus, ſed ſufficiebat eum ſimpliciter dici, quum nominandus iterum erat, breviori, ſed communi & utrumque complectente vocabulo, *Prætorem* h. e. præſidem provinciæ, quomodo etiam cap. 49. ille Hiſpaniæ Præſes denuo appellatur.

XIII. Crediderim tamen ſæpe etiam hoc vocabulum occurrere apud Livium per errorem librariorum, qui, ubi *Proprætor* debuerant, brevius *Prætor* ſcripſerint. Atque ita Vir Summus ad modo laudatum Livii locum XXIII. 41. legendum ſuſpicatur *Proprætor*, quoniam inter Prætores

iſtius

iſtius anni T. Otacilius non fuerit. Verum ita alio inſuper ordine, quem Codex Sigonii præfert, legendum videtur, *T. Otacilius Proprætor, L. navium claſſe ab Lilybæo in Africam transvectus.* Ceteroqui poſſet forſan videri cum relatione ad exercitum navalem dictus *Prætor L. navium* h. e. Imperator, Præfectus; ſicut a Nepote Lyſander *Prætor claſſis Lacedæmoniæ.* Porro autem emendandum omnino cenſeam XXIII. 40. ubi ait: *Et in Sardinia res per T. Manlium Prætorem adminiſtrari coeptæ, quæ omiſſæ erant, poſteaquam Q. Mucius Prætor gravi morbo eſt implicitus.* T. hic Manlius non erat *Prætor* proprie loquendo, ſed *Proprætor.* Quod vocabulum deſcriptionis & diſtinctionis ergo videtur hic etiam omnino ei tribuendum, maxime quia ſequitur confeſtim de vero iſtius anni *Prætore:* quin immo, quia mox addit Livius, *Manlius a Prætore exercitu accepto*; ut appareat, unum ex his duobus tantum fuiſſe Prætorem, ſicuti & proprie loquendo tantum erat, Manli-

um vero aliud quid, h. e. Proprætorem. Quod ſi Manlius æque ac Q. Mucius *Prætor* ſimpliciter appellatus paulo ante fuiſſet, rectius certe Livius dein ſcripſiſſet, non *a Prætore*, ſed a *Q. Mucio*. Sic XXIV. 40. *Legati ab Orico ad M. Valerium Prætorem venerunt, præſidentem claſſi Brundiſio Calabriæque.* Mera hæc eſt & ſola deſcriptio muneris, quod ſuſtinebat M. Valerius ſine ulla relatione ad id, cujus eſſet Prætor; quippe quæ relatio potius ineſt in altero vocabulo *præſidentem.* Quapropter hic quoque erratum crediderim, & reponendum *Proprætorem*, ſicuti appellatur cap. 20. Certe corrigendus omnino videtur Livius XXXVII. 50. *Prioris anni Magiſtratibus C. Lælio cum ſuo exercitu prorogatum in annum Imperium eſt: prorogatum & P. Junio Proprætori in Etruria, cum eo exercitu, qui in provincia eſſet, & M. Tuccio Prætori in Bruttiis.* Ejuſdem erat uterque conditionis & muneris Iunius & Tuccius, & idcirco uterque haud dubie eodem etiam modo a Livio memoratus fuit,
ſive

ve Propratores appellare maluerit, ſive Prætores iſtarum regionum. Suſpectum etiam, quod ait Liv. xxxix, 41. *Et L. Poſtumius Prætor, cui Tarentum provincia evenerat, magnas paſtorum conjurationes vindicavit.* Suſpectum hoc, quia proxime præceſſit mentio *Prætorum* iſtius anni, in ſuas Provincias profectorum, quibus ſi ita continuo ſubjungatur *L. Poſtumius Prætor*, qui tamem ſuperioris anni Prætor, hujus Proprætor fuit, id errori & confuſioni fore obnoxium, præterire Livium non potuit. Sed minime ſuſpecta eſſe debent loca clariſſima Taciti, An. 1. 74. *Nec multo poſt Granium Marcellum Prætorem Bithyniæ Quæſtor ipſius poſtulavit.* Atqui *Proconſul* is fuit. & propterea Viri Eruditiſſimi, Lipſius & Mercerus omni modo id vocabulum hic reponi volunt, non animadvertentes *Prætorem Bithyniæ* recte dici, quemcunque ejus provinciæ Præſidem, *multoque generalius ſumi Prætoris vocabulum, quam Proconſulis*, ut recte monuit ad hunc lo-

locum Vir Clariſſ. & mihi conjunctiſſimus Th. Cijquius. Atque ita Ann. II. 55. *Comagenis Q. Servæus præponitur tum primum ad jus Prætoris tranſlatis.* Ubi jam recte Lipſius. Cap. 77. *Piſoni faſces, & jus Prætoris, & legiones datas.* IV. 15. de Procuratore Aſiæ: *Quod ſi vim Prætoris uſurpaſſet, manibuſque militum uſus foret.* Atqui Aſia non habebat Proprætorem, aut Legatum Conſularem, ſed Proconſulem, (Confer. III. 66. cum mentione *C. Silani* in hoc capite) id quod notandum contra Viros Doctos ad Ann. I. 74. Sic denique IV. 45. *Prætor provinciæ L. Piſo.* Immo hinc apud Kurtium etiam de Macedonicis ſubactarum regionum præfectis: V. 43. *Prætores, qui regioni Babyloniæ, & Civitati præeſſent, Menetem & Apollodorum reliquit.* VII. 2. *In tabernaculum Cleandri (Prætor hic Regius erat) quarta vigilia pervenit.* Nempe præfectus hic fuit parti Mediæ & exercitus, ſed ſub Parmenione. Verum de his haud dubie
jam

am. ſatis ſuperque. Quæ tamen non alia de cauſa prolixius pertractavi, quam quia adeo errori obnoxia, & ut, quis verus eſſet in lingua Latina uſus vocabuli *Prætoris*, & ubi locum haberet, ubi minus, exemplis allatis oſtenderem.

XIV. Illum vero iſtius vocabuli frequentiſſimum in re militari uſum, quum Imperatorem, ſeu ducem exercitus denotat, probat vel maxime, quod quicquid ab Imperatore denominare voluerunt Romani, id vocabulis a *Prætore* formatis expreſſerunt. Veluti, *Prætoria Navis* eſt, in qua vehitur claſſi Præfectus: *Cohors Prætoria*, quæ ſemper in prælio verſabatur circa Ducem, ejuſque ſalutem unice tuebatur, quamque primus inſtituit S. Scipio, teſte Feſto, deinceps vero ſumſerunt omnes Duces. Atque hinc in bello à Rep. ductu Hirtii & Panſæ Conſulum, Cæſariſque Octaviani Proprætoris contra Antonium & Silanum geſto ſingulis Ducibus ſua tritribuitur *cohors Prætoria* apud Ci-

cer.

cer. Famil. x. 30. Nam Antonius eduxiſſe dicitur contra Panſam duas legiones & *cohortes Prætorias duas*, *unam ſuam*, *alteram Silani*, & Hirtius Panſæ ſubmiſiſſe item *cohortes Prætorias duas*, unam haud dubie quoque ſuam, alteram Cæſaris. Nam mox *cohors Cæſaris prætoria* nominatur, quæ diu pugnaverit in hocce prælio. Eadem porro ex cauſſa tabernaculum caſtrenſe, in quo Imperator tendebat, appellabatur item *Prætorium*, de quo præcipue hic agere decrevimus. Idque adeo, ut etiam quibuſcunque Magiſtratibus ſummo imperio inſtructis tribuatur, immo & exteris Regibus. Kurtius v. 10. 12. *Nabarzanes cum Bactrianis militibus in veſtibulo Prætorii aderat. Prætorii*, quod erat in caſtris Darii Codomanni Regis Perſarum. Similiter Iuſtinus II. 11. 15. de Lacedæmoniis ad Thermopylas adverſus Xerxem conſtitutis, *Caſtra irrumpunt*, *ſtatimque Regis prætorium petunt*. Hæc propria & prima hujus vocabuli ſignificatio,

ſio, a qua reliquæ omnes derivandæ, & proinde etiam in Lexicis primo debuerat loco poni, ſecus quam fit in optimis quibuſdam.

XV. Hinc vero ortum eſt, ut, quoniam in caſtris amplitudine, ſplendore, & magnificentia longe eminebat præ aliis tabernaculum ipſius Imperatoris, ut per quandam ſignificationis ſimilitudinem etiam ſumtuoſiſſimæ quæque villæ, atque ædificia extra Vrbem, in quibus Dominus ipſe, ruſticari quum vellet, manere ſolebat, appellata quoque fuerint Prætoria, quia illa longe item ſuper ruſticorum tuguria & caſas eminebant. Sueton. Aug. 72. cum ageret de ſeceſſibus: *Ampla & operoſa Prætoria gravabatur. Et neptis quidem Juliæ profuſe ab ea exſtructa, etiam diruit ad ſolum: ſua vero quamvis modica, xyſtis & nemoribus excoluit.* Sic alibi paſſim. Sed & ſi omnes ruſtici cum Domino habitarent in eadem unius tecti villa, quod fiebat plerumque in prædiis hominum non adeo opulentorum,

rum, tum quoque *prætorium* appellabatur illa pars villæ, quam proprie dominus ſibi deſtinaverat, lautius haud dubie ſemper excultam. Hinc Pallad. de re ruſt. 1. 8. ubi agit *de ædificio*, quod *pro agri merito, & pro fortuna Domini inſtitui* jubet; *Ipſius autem*, inquit, *Prætorii ſitus ſit loco aliquatenus erectiore & ſicciore, quam cetera.* Inde porro licet ipſa quidem ædificia urbana, etiam lautiſſima & ampliſſima, nunquam appellentur *Prætoria*, tamen præcipuum haud dubie conclave Urbanarum ædium hoc item nomine, quamvis, ut reor, rarius, deſignatum aliquando videtur. Sic certe apud Petronium ædes Trimalcionis deſcribentem, *diſpenſator in Prætorio aureos numerans* memoratur. Quin etiam huc retulerim, quod Gloſſæ, teſte Wowerio, *Prætoria* exponunt per *Domunculas in Navi.* Nempe videtur etiam in ſingulis Navibus locus, vel manſio Domini, ſeu Præfecti Navis hoc nomine ſignificata.

XVI. Ceterum Prætorium illud pro-

proprie dictum ſeu caſtrenſe ponebatur in præcipuo caſtrorum loco, qui & *Principia* dicebatur, conveniebantque in illud ad Imperatorem Minores Duces, Legati, Præfecti alarum, fabrum, &c. Tribuni Militum tanquam Conſilium Imperatoris, ad deliberandum de re bellica. Sed & exercebantur iſtic, ſeu in Principiis judicia, vocabaturque militum multitudo ad Concionem, ſpatio ante Prætorium relicto ea gratia ſatis amplo. Denique exigebantur ibidem pœnæ & ignominiæ militares. Quod convenerint ad Imperatorem reliqui Duces in Prætorium, ſeu quod eo vocari ſit ſolitum Conſilium Imperatoris, de cujus Conſilii ſententia rem gereret, probabimus duobus exemplis, Romano Græcoque. Quum Rex ultimus Macedonum Perſeus captus jam eſſet, & in caſtra Romanorum duceretur, L. Aemilius Paulus Imperator *Conſilium advocavit*, in eoque *literas* id nunciantes *recitavit*. Dein *Q. Aelium Tuberonem obviam Regi miſit. Ceteros manere in*

Prætorio frequentes juſſit, ut tradit Liv. XLV. 7. Mox, ut ibidem, Rege jam intrante caſtra, *lictores miſit, qui ſubmovendo, iter* Regi *ad Prætorium facerent*, ubi *adverſus advocatos in conſilium* Regem *conſidere juſſit.* Vides Conſilium Imperatoris advocari, & aſſidere ei in ipſo Prætorio, id quod probatum voluimus. Similiter apud Græcos ſe rem habuiſſe ex Nepote in Eumene cap. 7. certum eſt. Nam ille *invidiam verens, ſi potius ipſe alienigena ſummi imperii potiretur, quam alii Macedonum, in Principiis nomine Alexandri ſtatuit Tabernaculum*, h. e. Prætorium, *eoque omnes quotidie convenire juſſit, ut ibi de ſummis rebus conſilia caperentur.* Deinde: *Cum non ad Eumenis Principia, ſed ad Regia conveniretur, atque ibi de rebus deliberaretur, quodammodo latebat, cum tamen per eum unum gererentur omnia.*

XVII. Quin immo ex hoc uſu aut more, ne temere aut incaſſum expoſi-

ſitus cuiquam videatur, orta eſt nova Prætorii ſignificatio, ut nempe ponatur pro illo ipſo cœtu hominum in Prætorium convenientium, ſeu pro illo Imperatoris Conſilio, quod in Prætorio haberi ſolitum. Hinc paſſim apud Livium *dimitti* dicitur *Prætorium*, h. e. qui in Prætorio Imperatori publici negotii cauſſa aderant. xxx. 5. *P Scipio advocato conſilio, edicere exploratoribus juſſis, quæ comperta adferrent, poſtremo, quæ ipſe pararet in proximam noctem, proponit. Tribunis edicit, ut, ubi Prætorio dimiſſo ſigna concinuiſſent, extemplo educerent caſtris legiones.* Similiter alibi. Sed & ſicuti Prætorium erat in Principiis, & proinde etiam *ad Principia Imperatoris alicujus convenire* perhibentur Duces alii, ut fit apud Nepotem, ita & non modo *Prætorii*, ſed & *Principiorum dimiſſorum* phraſis apud Latinos Scriptores eodem modo & ratione formata occurrit. Frontinus II, 5. 30. *Tempus elegit, quo miſſa Principia quie-*

tem

tem omnibus caſtrenſibus dabant, Prætoriumque ſecretius præſtabant. Miſſa erant *Principia*, quum, qui in Principiis & ad Prætòrium, ſive litium cauſſa, ſive ut deſideria ſua exponerent Ducibus, ſive ut imperata acciperent, verſabantur magno numero & omnis ordinis milites, ſigno dato in ſua quisque tentoria abire juſſi erant. Plura utriuſque phraſeos exempla vide apud Lipſium de Mil. Rom. lib. v. Dial. 2.

XVIII. In hoc Prætorio & Conſilio Imperatoris agebatur præcipue de rebus graviſſimis ab belli ſummam pertinentibus; atque idcirco ſæpe Imperator de ejuſmodi rebus acturus arceſſebat ad ſe in Conſilium non tantum alios Exercitus ſui Duces ac Præfectos, ſed & quosvis ordinis Senatorii, aut præcipuæ dignitatis ex urbe Romana viros, qui in illa provincia tum forte erant, ſua ut negotia curarent. Sic quum primum Jugurtha ſe Romanis dedendi impetum cepiſſet, Q Metellus, ut ait Salluſt. Iug. 62. *propere*

cunctos Senatorii ordinis ex hybernis arceſſi jubet: eorum atque aliorum, quos idoneos ducebat, Conſilium habet. Ita more majorum ex Conſilii decreto per Legatos Iugurthæ imperat, &c. Similiter C. Marius legatos Bocchi auditurus, ibid. cap. 104. *illos & Sullam venire jubet, itemque L. Bellienum Prætorem, Utica, præterea omnes undique Senatorii ordinis, quibuſcum mandata Bocchi cognoſcat.* Sic apud Tacitum An. II. 74. in Syria poſt mortem Germanici, *Conſultatum inde inter Legatos, quique alii Senatorum aderant, quisnam Syriæ præficeretur.*

XIX. Ex his, ſeu ex hoc Romanorum Præſidum in provinciis more convocandi in Conſilium illuſtres Civitatis Romanæ Viros, quos iſtic reperire poſſent, vix dubito explicandum eſſe locum Actor. XXV. 23. & quidem paulo aliter, quam feciſſe videntur hodierni Interpretes. Feſtus illic auditurus erat Paulum ampliore in conventu, præſente Rege Agrippa;

atque idcirco ἀκροατήριον ipſius, h. e. locum, ubi cauſas audire & cognoſcere ſolebat, ingreſſi ſunt, advocati haud dubie a Feſto, non tantum ipſe Rex cum ſorore ſua Berenice, neque ſoli Tribuni militum, qui ſemper erant in caſtrenſi & provinciali Imperatoris vel Præſidis conſilio, ſed & generatim ἄνδρες κατ' ἐξοχὴν ὄντες τῆς πόλεως, h. e. *Viri Civitatis præcipua dignitate præditi.* Certum eſt, interpretes ita hæc accepiſſe, tanquam ſi advocati a Feſto fuiſſent præcipui Vrbis, in qua res agebatur, Cives. Vnde & Beza diſerte, *Eminentes EIVS Vrbis Cives*, reddit. Paulo rectius, quod ad ſenſum, mea quidem ſententia, exhibet Vulgata Verſio, *Viros Principales Civitatis*, quod ultimum vocabulum majuſcula litera ſcripſerim. Nempe intelliguntur haud dubie Viri præcipuæ dignitatis & ordinis ex Vrbe Roma, qui iſtic erant, (ut erant in omnibus provinciis omnis plerumque ordinis & generis Cives aliquot Romani) & mo-

more paulo ante expoſito in conſilium adhiberi ſolebant. Vrbs Roma à Latinis & Græcis Scriptoribus, qui ſub imperio Romano vixerunt, κατ' ἐξοχὴν *Vrbs* & πόλις paſſim appellatur, ut antea apud Aegyptios Græcoſque Alexandria, teſte Stephano, & Euſtathio ad Homerum Iliad. β. Suetonius Cæs. 94. refert, Cæſarem ſtetiſſe Nicomedi ad cyathum in Bithynia, *accubantibus nonnullis Vrbicis negotiatoribus*, h. e. non ex aliqua Vrbe Bithyniæ, ſed ex Vrbe Roma, licet ejus in proximis ſuperioribus nulla omnino facta fuerit mentio. Similiter Herodianus I. 10. tradit latrones quoſdam ſocios Materni, qui Commodum occidere deſtinarat, has illius inſidias Commodo detexiſſe, venientes ante eum εἰς τὴν πόλιν, h. e. Romam. Atque inde Gloſſar. Philoxeni, πόλις, μόνη Ῥώμη, *Vrbs*.

XX. Inprimis vero coram hoc conſilio Imperatoris, & proinde vel in Prætorio, vel potius Tribunali poſito ante Prætorium diſceptabantur lites, cog-

noſcebantur judicabanturque cauſæ militum, & delicta. Auct. ad Herenn. I. 14. de pœnæ deprecatione locutus: *Ergo in judicium non venit: at in Senatum, aut ante Imperatorem, & in Conſilium talis cauſa poteſt venire.* Quo in loco videntur quidem tria ſignificari, in quæ admitti poſſit talis cauſa, *in Senatum*, *ante Imperatorem*, & denique *in Conſilium*. Sed revera tamen duo tantum deſignantur, idemque eſt & unum, *ante Imperatorem, & in Conſilium*. Atque adeo pene putem, voculam *Et* hic eſſe adulterinam, ut quæ hæc duo, tanquam diverſa, ſejungere videtur. Certe lib. II. c. 17. de eadem prorſus re *Senatus* tantum & *Conſilium* nominatur, omiſſa mentione *Imperatoris*, qui Caput, h. e. pars, licet potiſſima, erat iſtius Conſilii. *Hæc cauſa* (dicit iſtic) *judicialis fieri non poteſt, ut in primo libro oſtendimus: ſed quod poteſt vel ad Senatum vel ad Conſilium venire, non viſa eſt ſuperſedenda.* Vbi non tam omittitur, quam excluditur

ter-

tertium quid. Similiter Cic. de Invent. II. 34. de eadem iterum re: *Quare hoc genus, quanquam in judiciis non verſatur, niſi quadam ex parte, tamen quia & pars ipſa inducenda nonnumquam eſt, & in Senatu aut Conſilio ſæpe omni genere tractanda, in id quoque præcepta ponemus. Nam & in Senatu, & in Conſilio* (ſcil. P. Scipionis) *de Syphace diu deliberatum eſt, & de Q. Numitorio Pullo apud L. Opimium, & ejus Conſilium diu dictum eſt.* Poſteriora hæc, *apud L. Opimium, & ejus Conſilium*, paulo aliter enunciantur, quam illa, & *in Senatu, & in Conſilio*, tum etiam, quam illa in primo loco, *aut ante Imperatorem & in Conſilium*, ubi copula ſimul, & diverſa præpoſitio diverſum quid, ut dixi, ſignificare videntur, quum heic ex ipſa locutione appareat, *Conſilium* hoc fuiſſe *L. Opimii*, eumque illius partem, ſed principem partem. Porro ex Hiſtoria non minus atque ex hoc loco conſtat, fuiſſe id conſilium Opimii caſtrenſe, ſeu militare,

non Vrbanum, quum L. Opimius Fregellas, quæ defecerant, opera Numitorii, qui Fregellanus erat, receperit & diruerit.

XXI. Patet autem ex his, in Conſilio illo Imperatorum judicia etiam criminum capitalium exercita. Jam vero Conſilium illud habebatur in Prætorio, vel potius, quum judiciorum ſolennia peragebantur, ante Prætorium. Unde conſequens eſt, diſceptatas quoque illic eſſe militum cauſas. Atque ita apud Livium XXVIII. 24. memorantur Tribuni, abſente Imperatore, & proinde Prætorio, *in Principiis* tamen, ubi eſſe debebat Prætorium, *jura reddere.* Immo & ea de cauſa *Prætorium* & *Tribunal* loco ſeu ſitu in caſtris conjunguntur apud Eund. XXII. 29. 30. Nam cum M. Minucius Magiſter Eq. a Dictatore ſuo Q. Fabio ereptus præſenti periculo, milites ſuos ſub imperium & auſpicium Fabii reduceret, dixiſſe fertur a Livio. *Ad prætorium ejus* (Fabii) *ſigna quum tulerimus.* Id vero mox

fa-

Factum referens Auctor, ait, *Ut conſtituta ſunt ante Tribunal Signa.* Similiter, XXVIII. 27. *In Prætorio tetenderunt Albius & Atrius, Claſſicum apud eos cecinit, ſignum ab iis petitum eſt; ſederunt in Tribunali P. Scipionis.*

XXII. Neque vero iſtic jus tantum dicebatur, ſed etiam repræſentabatur atque exſecutioni mandabatur, h. e. cujuſcunque generis pænæ, ſivè ignominioſæ, ſive capitales, & hujus quidem generis maxime ſolennes ac præcipuæ iſtic exigebantur. Atque ea gratia ante Prætorium in Principiis ſpatium erat ſic ſatis amplum, quo milites ad concionem advocari poſſent, ut ita pro concione ſupplicium ſecundum morem Romanorum ſumeretur. Quod concio militum in Principiis fuerit habita, declarat Tacitus An. 1. 67. ubi ait Ducem milites conſternatos & fugam ex caſtris parantes cum ex illo terrore revocaſſet, *contractos in principia, juſſoſque dicta cum ſilentio accipere, temporis ac neceſſitatis mo-*

mo-

monuiſſe: ſequente breviter orationis, quam dixerat ad eos, in Principia contractos, argumento. Sed non opus arbitror pluribus demonſtrare, quum a nemine, quod quidem ſciam, negetur, aut in dubium vocetur, concionis militaris ſolennem fuiſſe locum in Principiis caſtrorum.

XXIII. Illud vero prolixius probandum, pleraſque pœnas ibidem exactas. Siquidem, quum illud Lipſius de Mil. Rom. lib. v. Dial. 18. hæſitanter primo, & dein ſimpliciter affirmaſſet, Aug. Buchnerus in iis, quæ addidit Fabri Theſauro Erud. Schol. in v. *Principia*, *Mirari ſe* dicat Lipſium *id exiſtimare potuiſſe*, quippe quum *ſupplicia parum ad religionem, & ſanctimoniam loci quadrent*, atque idcirco *quod Otho milites quosdam, ante* Principia, *& ſe coram occidere auſus eſſet, ut novum & inuſitatum notet Suetonius*. Sequitur eum inter Eruditos Noſtrates Vir Ampliſſimus Obſerv. IV. 19. adeo ut non modo *verum eſſe non putet, quod tradat*

Lip-

Lipſius, pleraſque pænas in Principiis exactas, vel aliquem eo in loco ordinarie ſummo ſupplicio affectum, ſed & *Romanos de noxiis pænas extra Vrbem ſumſiſſe*, quaſi in perpetum aſſerat. Atque idcirco in argumento Capitis iſtius breviter, & ut ſimpliciter ac ſemper verum, præmittitur: *Noxii extra Vrbem puniti: In Principiis nec exactæ pleræquæ pœnæ, nec capite puniti.* Ratione utitur eadem Vir Ampliſſ: qua Buchnerus, Ne ſcil. *ſacra vel Dii tam Vrbani, quam caſtrenſes, fœdo ſpectaculo pollueren-tur.*

XXIV. Ncs in alia omnia abimus, eaque liquido probata dabimus. Nam ratio iſthæc per ſeſe corruet, ſi maniſeſtiſſima utriuſque rei, h. e. ſupplicii tum in Vrbe, tum in Principiis caſtrorum ſumti, exempla proferre poterimus. Sed & convellitur ea ratio ſic ſatis, mea quidem ſententia, ex illo ipſo Dionis loco, quem Vir Ampl. adfert, & in quo traditur propter multitudinem eorum, qui in publico neci

neci darentur, Auguſti ſtatuam alio tranſlatam, *ne vel ſemper videret cædes, vel ſemper velata eſſet.* Ergo in Vrbe utique peragebantur cædes & ſupplicia, eaque, tantum abeſt, ut propter deorum ſtatuas relegarentur prorſus extra Vrbem, ut illæ potius ſtatuæ propter cædes vel velarentur, vel etiam alia in loca transferrentur. Sed quoniam non adeo frequentes erant omni tempore cædes, ſtatuæ illæ Deorum plerumque velabantur haud dubie, quum ſumerentur in Vrbe ſupplicia, & *locus*, ubi ſumta erant, dein *purgabatur*, uti factum tradit Livius XXVIII. 29. quum P. Scipio in foro Carthaginis Novæ ſeditionis Sucronianæ auctores capite puniviſſet. Dii vero caſtrenſes, Aquilæ & Signa militaria, non adeo ſane abhorrere debuerunt ab omni cæde, etiam quæ ſecundum judicum ſententiam, atque ita jure fieret, ut propterea ſupplicia in caſtrorum principiis ſumi nefas foret, quum utique in aciem ſemper & prælium efferrentur, ubi multa ſane patra-

trabatur cædes tum hoſtium, tum civium.

XXV. Sed argumenti iſtius nullam heic habendam eſſe rationem, ut in re, quæ dicitur, facti, exemplis ex Hiſtoria veteri petitis, & extra controverſiam poſitis declarabimus. Iam primum omnium antiquiſſima ſupplicii Lex erat, quam refert Livius I. 26. *Verberato* (noxium ſcil. arbori infelici ſuſpenſum) *vel intra pomœrium, vel extra pomœrium.* Ex qua Lege promiſcue jam olim tum extra Vrbem, tum intra, ſumta fuerint ſupplicia, neceſſe eſt; maxime tamen in Vrbe ſumta, ex ſequentibus illius loci patet. Nam Horatium paricidii in ſorore admiſſi reum Duumviri intra pomœrium, & ſic in Vrbe, ſupplicio afficere voluiſſe dicuntur. Res enim geſta *eo loco*, ubi ſpolia Curiatiorum fixa erant, qui dicebatur *Pila Horatia.* Ille autem locus mox *intra pomoerium* fuiſſe dicitur, immo a Victore de Regionibus Urbis, in *regionem octavam*, quæ eſt *Fori Romani*, refertur his verbis:

Pila

Pila Horatia, *ubi tropæa collocata appellantur curia*; Lege *app. Curiatia.* Fuiſſe enim ibi fixa Curiatiorum ſpolia, quibus ornari ſolebant tropæa, diſerte ſcribit Livius. Cæterum colligitur jam hinc, non modo quod in Urbe, ſed & in quo Urbis loco, h. e. in Foro, exacta fuerint more majorum ſupplicia. Quam in rem notabile eſt vel maxime, quod occurrit apud Livium XXVIII. 28. *Propter quod facinus tota legio*, *millia hominum quatuor*, *in Foro Romæ ſecuri percuſſa ſunt*. Etiamdum negabit quis punitos in Vrbe noxios? Similiter P. Scipio Carthagini Novæ in Hiſpania ſeditioſos milites in Foro Urbis pro concione virgis cæſos ſecuri percuſſit. Confer ejuſdem libri cap. 26. ubi dicuntur in Vrbe *vocati ad Concionem in Forum ad Tribunal Imperatoris*; & cap. 29. ubi eodem loco pœna capitis dicitur de maxime noxiis exacta. Denique ipſum Comitium, h. e. partem illam Fori, quæ erat ante curiam & Roſtra, proprium fuiſſe ſupplicii mo-

more majorum ſumendi locum, ex Veteribus adeo certum eſt, ut nulla poſſit cuiquam ſupereſſe hæſitatio. Liv. xxii. 57. *Eouſque virgis in Comitio cæſus, ut inter verbera exſpiraret.* Suet. Domit. 8. *Virginem Veſtalem ſtupri convictam defodi imperavit, ſtupratoresque virgis in Comitio ad necem cædi.* Tacit. Agric. 1. *Neque in ipſos modo Auctores, ſed in libros quoque eorum ſævitum, delegato triumviris miniſterio, ut monumenta Clariſſimorum Virorum in Comitio ac foro urerentur.* Sed omnium planiſſimus eſt Plinii Junioris locus Epiſt iv. 11. quippe ex quo patet adeo proprium fuiſſe hujus generis ſuppliciis Comitium, ut hinc phraſis orta *Comitium & virgas pati. Ille,* inquit, *ab iis, quibus curæ erat, præmonetur, ſi Comitium & virgas pati nollet, ad confeſſionem confugeret, quaſi ad Veniam.* Præterea quis neſcit, quum jam, poſtremis pene liberæ Reip. temporibus, crux, & furca, & omnis iſtius ſupplicii apparatus eje-

ctus eſſet ex foro & ex Vrbe, virgæque a tergis civium remotæ, tamen etiam tum, ac deinceps, damnatos in Vrbe vel de rupe Tarpeja dejectos, vel in carcere ſtrangulatos, & inde ſub Impp. poſtea in Gemonias Scalas abjectos, uncoque per plateas in Tiberim tractos? Exempla ſunt paſſim obuia, nulla prorſus habita apud Scriptores ratione Deorum, Sacrorumve, quæ id vetarent.

XXVI. Res ergo ita ſeſe habuit. Olim quum priſcus ille rigor vigeret Romæ, pleraque omnia ſupplicia ſumebantur in Vrbe, in Foro, in Comitio, h. e. eo in loco, ubi populus convenire quotidie, & advocari in concionem ſolebat: Vt ita ſpectator eſſet ſupplicii, ejusque diritate a paribus flagitiis abſterreretur; pœnæque illæ publico ſervirent exemplo. Poſtea imminuta paulatim priſtina ſeveritate, acerbior illa pœna virgarum & ſecuris ſublata eſt ex Rep. ſed ita, ut Cives quidem Romani non amplius ea punirentur, punirentur tamen etiam

dein-

deinceps ſervi, & peregrini, vel etiam civitatem Romanam uſurpantes. Atque ideo, quum non amplius poſſet illa pœna ſervire exemplo Civibus, ut qui jam ab ea erant immunes, miſſa ea eſt ex Comitio in alium, proprium deinceps huic rei, locum extra Vrbem, videlicet in Campum Esquilinum, ubi proinde modo memorati homines cruci figebantur, virgis cædebantur, ſecuri percutiebantur: quum Cives ipſi in Urbe vel de Saxo Tarpejo præcipites darentur, vel in carcere triumvirali ſupplicio per carnificem ſtrangularentur. Ceterum imperatores obliteratam jam pene iſtam ſuppliciorum acerbitatem revocantes, illud quoque priſci moris ſupplicium ex antiquitate repetiverunt, & in Comitium reduxerunt; ut ex Imp. Domitiani rebus geſtis conſtat.

XXVII. Simili ferme modo in Caſtris res peragebatur. Vulgarium hominum, ſeu gregalium militum pœnæ ex vulgaribus delictis ablegabantur extremis temporibus extra vallum: id quod

Lipſium non ignoraſſe patet ex ejus Notis ad Tacitum An. I. 29. At olim intra vallum, in Principiis, pro concione, ſedente in Tribunali Imperatore exigebantur, immo & poſtea, ſi quando ſolenne ſupplicium, & exemplo ſtatuendo conducibile, ſumeretur. Ergo quum Q. Fabius Rullianus Magiſter Eq. abſente Dictatore L. Papirio, & contra ejus edictum pugnaſſet, Dictator redux in caſtra confeſtim milites *claſſico ad concionem advocaſſe* legitur apud Liv. VIII. 32. Tum Magiſtrum Eq. citaviſſe *ad Tribunal* ſuum, denique juſſiſſe eum ibidem veſtibus ſpoliari, & virgas ac ſecures in eum expediri. Facta hæc itaque eo loco, ubi in concionem exercitus vocabatur, & Tribunal Imperatoris erat poſitum. Utrumque autem erat, ut ſupra oſtendimus, in Principiis. Clarius vero deſignatur idem caſtrorum locus in Hiſtoria ſupplicii ſumendi apud Livium IX. 16. Nimirum idem ille L. Papirius Præneſtinarum cohortium præfectum, quia ſegnius ex ſubſidiis

ſuos

ſuos in primam aciem ſubduxerat, voluit *ultimi ſupplicii metu perfundere.* Quocirca *inambulans ante Tabernaculum, vocari* eum, & porro *Lictorem ſecurim expedire juſſit*, adeo ut exanimis jam ſtaret Prænestinus ille, tanquam ibidem loci ſtatim ſecuri feriendus. Facta hæc certe ante Prætorium in Principiis. Nam Prætorium omnino intelligitur, quando in Caſtris ita ſimpliciter & κατ' ἐξοχὴν *Tabernaculi*, & Imperatoris, ſeu ſummi Ducis fit mentio. Porro autem, ut magis terreret hominem, debuit utique ſolennia ſuppliciorum obſervare, & imprimis captare locum ei rei proprium, qui proinde fuerit in Principiis ante Prætorium, neceſſe eſt. Sed nihil apertius verbis Senecæ Rhetoris Lib. IV controv. 25. Agitur iſtic de flagitio L. Quinctii Flaminini, qui in gratiam meretricis in triclinio Prætorii inter epulas damnatum aliquem occiderat. In quo crimine accuſando quum urgeretur maxime circumſtantia loci & temporis, patroni omnia egerunt,

ut illam evaderent, & in meliorem partem interpretarentur: id quod fecerunt, conquirentes ex illa ipſa circumſtantia quædam, quæ reprehenſione omni & culpa vacarent. Audiamus jam verba, quæ ſunt Triarii. *Occiſus eſt. Qui? Damnatus. Ubi? In Prætorio. Quo tempore? Eſt enim aliquod tempus, quo nocens perire non debeat.* Sciendum omnino, dici hæc ab eo, qui cauſam Flaminini agebat, & proinde omnia juſta, legitima, ſolennia, quæ in circumſtantia facti reperiri ulla ſpecie poterant, opponi Accuſatoribus. *Damnatum* occidi juſtum & ſolenne habetur. Nullum etiam *tempus* eſſe alienum a ſupplicio nocentis ſumendo dicitur. Quod ad *Locum*, non tam generali reſponſo defungitur Triarius, ſed certum commemorat, qui proinde neutiquam a pœnis etiam capitalibus alienus debuit fuiſſe. Ceteroquin enim generali item reſponſo eludi debuiſſet hæc interrogatio & invidia a *Loco* petita. Manifeſtum itaque hinc, ſolennem fuiſ-

ſe

ſe Romanorum ſuppliciis locum, Prætorium, ſeu in Principiis ante Prætorium. Nam quod *in Prætorio* heic dicatur, condonandum Rhetori, qui aliter, ſervata Hiſtoriæ fide, loqui non poterat, & eo tamen ipſo, quod apud vel ante Prætorium ſupplicia ſumi ſolerent, invidiam ex circumſtantia loci petitam evadere conabatur.

XXVIII. De verbis Suetonii, qui in exponendo L. Othonis facto, eum milites, *quod præpoſitos ſuos occiderant, capite puniviſſe* ait *ante principia, ſe coram*, miror ſane Viros Eruditiſſimos, contendentes *notari* iſtis rem illam, *ut novam & inſolitam*, immo *carpi ab Auctore Othonem, nimiamque illam ſeveritatem vituperari & traduci*, denique vulgo eum *male audiviſſe*, *quod ne quidem reveritus fuerit ſanctum locum ſuppliciis fœdare*. Sic illi. Tu vero, mi Lector, decurre obſecro ad ipſum Suetonium, & vide, quod ille Epiphonema huic facto ſubjiciat. *Quo facto* (inquit Cap. 1.) *ſicuti GLORIAM auxit, ita Gra-*

tiam minuit. Nempe *Gratiam minuit* apud Principem, *Gloriam auxit* apud omnes alios. Quomodo ergo *male audivit* hoc nomine, aut quæ in his ineſt facti reprehenſio? Nam quod Suetonius ait, *Auſus eſt capite punire, & quidem ante Principia*, ejus rei non alia eſt cauſa, quam quod hoc facto ſibi gratiam apud Principem neceſſario minuere debuerit, quum capite puniret illos milites, *quamvis*, ut his ipſis verbis continuo addit Suetonius, *ob id ipſum promotos in ampliorem gradum a Claudio ſciret.* Ergo non temere, *Auſus eſt*, ait Auctor, *capite punire*, quoniam eo ſupplicio offenſurus eſſet ſine ullo dubio Principem. Eodemque jure & ratione ſubjungit, *& quidem ante Principia ſe coram.* Potuiſſet enim eoſdem clam interemiſſe, vel etiam Centurioni mandaſſe curam ſupplicii extra vallum peragendi. Ille vero punivit eos præſens, ſuamque auctoritatem huic ſupplicio præbens, in loco caſtrorum conſpectiſſimo & frequentiſſimo, ubi maxime

ſo-

ſolennia ſupplicia ſumebantur; atque ita certius adhuc incidere debuit in offenſam Principis, quandoquidem res, tali modo geſta, ignorari a Principe non potuit, nec ipſe auctoritatem ejus ſupplicii apud illum defugere.

XXIX. Neutiquam ergo iſtis Suetonii verbis eorumque ἐμφάσει ſignificatur quædam loci ſanctimonia, quæ licet revera fuerit quidem in Principiis caſtrorum, neutiquam tamen inde excluſit ſupplicia. Sed neque illis Taciti ſignificatur talis quædam loci ſanctimonia Hiſtor. I. 77. ubi uxor Sabini Calviſii *in ipſis Principiis ſtuprum Auſa* dicitur. Nam & hujus locutionis ratio non aliunde eſt petenda, quam a multitudine hominum, quæ iſtic, ut in foro caſtrenſi, ſemper erat. Hinc apud Livium XXVIII. 25. Tribuni militum miſſi, ut revocarent ad officium ſeditioſos milites, leguntur *primo circumiviſſe tentoria, dein in Principiis Prætorioque, ubi ſermones inter ſe ſerentium circulos vidiſſent, al-*

locuti. Immo inde factum, ut illi qui militari quadam ignominiâ erant notandi, ſtare iſtic per totum diem cogerentur. Sic certe Auguſtum, *quos variis ignominiis afficiebat, ſtare per totum diem ante Prætorium juſſiſſe* refert Sueton. cap. 24. Similiaque exempla Valer. Max. II. 7. & Frontin. IV. I. memorant. Quæ, obſecro, iſtius rei reddetur ratio, niſi quod, tum locus ille erat deſtinatus exigendis omne genus pœnis, tum homines illi ſtabant iſtic in conſpectu totius exercitus, & ſic illa ignominiæ nota erat omnibus conſpicua: id quod quærebatur, quodque etiam probat fuiſſe iſtic hominum maximam ſemper multitudinem. Sed & ad hanc rationem referri poteſt, quod Florus III. 10. valde item ἐμφατικῶς: *Itaque tantus gentis novæ terror in caſtris, ut teſtamenta paſſim etiam in Principiis ſcriberentur*. Quo ſignificatur, vel quod ab ipſis Præfectis, Tribunis &c. qui in Principiis juxta Prætorium tendebant, teſtamenta fuerint ſcripta, vel quod alii

quo-

quoque, iſto terrore occupati, non veriti fuerint, etiam in conſpectu ipſius Imperatoris reliquorumque Ducum ac totius exercitus edere ſui terroris certiſſima ſigna, condendo teſtamentum, tanquam mox morituri. Quum itaque ſummæ impudentiæ indicium eſſet, ſi quæ mulier in conſpectiſſimo caſtrorum loco, ubi interdiu frequentia erat omnis generis militum, noctu vigilum & excubitorum, ſtuprum committeret, nonne juſta ſatis cauſa fuit dicendi, illam *Auſam* fuiſſe ſtuprum in *ipſis* Principiis, ubi nulla utique alia, quæ aliquid verecundiæ & pudoris haberet, id fuiſſet auſura?

XXX. Sic ſatis ſuperque probatum arbitror, caſtrenſe juxta Prætorium diſceptatas fuiſſe & cognitas militum cauſas, judicia exercita, & ſecundum judicia pœnas etiam exactas. Ceterum ab hoc Prætorio caſtrenſi deductum eſt, ut ædes habitationi & manſioni deſtinatæ Præſidum, qui pacatæ provinciæ præerant, & proinde non in Caſtris, ſed in Vrbe habitabant,

bant, ut illæ quoque ædes dicerentur *Prætoria*, quoniam earum ædium in provinciis eadem prorſus erat ratio, quæ Tabernaculi iſtius in Caſtris. Verres Prætor Siciliæ habitabat in Vrbe Syracuſana in ædibus Regiis, quæ fuerant Hieronis, eæque propterea appellantur ſimpliciter *Prætorium* apud Cicer. Verr. IV. 28. *Antiochus* (inquit) *imperat ſuis, ut id in Prætorium deferrent*; h. e. ad Verrem, & ipſius domicilium. Nam Verres paulo ante rogaſſe dicitur Antiochum, *ut id ad ſe mitteret*. Similiter in Scripturâ S. πραιτώριον a Matthæo, Marco, & Iohanne appellatur ædificium illud, quod Pilatus Hieroſolymis inhabitabat. Marcus XV. 16. tradit Chriſtum abductum a militibus ἔσω τῆς αὐλῆς *intra aulam*, addens, ὅ ἐστι πραιτώριον, *quod eſt Prætorium* Præſidum Romanorum. Iohannes vero cap. 18. & 19. prolixius paulo refert, Chriſtum a Iudæis ductum εἰς τὸ πραιτώριον, ſed cum Iudæi illud intrare nollent, veriti, ne polluerentur, idcirco Pilatum *ad eos ex-*

exiiſſe, dein iterum *intraviſſe Prætorium*, & vocaviſſe Chriſtum, ut ejus cauſam cognoſceret; ſeu ut eum examinaret, tum vero *denuo exiiſſe* ad Iudæos, ac dixiſſe, *nullam ſe cauſam mortis in Chriſto invenire*: ſed quum illi urgerent accuſationem ſuam, Pilatum *rediiſſe rurſus in Prætorium*, & poſtquam paulisper iterum collocutus fuerat cum Chriſto, eduxiſſe eum, conſcendiſſe Tribunal, & ſic judicium peregiſſe, ac Chriſtum adjudicaſſe morti. Liquet ex his, Prætorium hocce Pilati fuiſſe amplum in Vrbe domicilium, quod proinde *Aula* a Marco dicitur, fuiſſe Pilatum in illo Prætorio, cauſam Chriſti in eo a Pilato cognitam, ac denique Tribunali extra Prætorium poſito judicium peractum: omnia eadem, quæ in caſtrenſi Prætorio fieri ſolebant. Sed & ſicuti in Caſtris ad Prætorium tendebat prætoria cohors, & excubabant vigiles, ſic & in hoc Pilati prætorio videtur omnino locus fuiſſe peculiaris, militum excubiis & ſtationi deſtinatus. Nam poſt-

quam

quam Pilatus Chriſtum tradiderat ſupplicio crucis afficiendum, milites eum abduxiſſe *in aulam*, *in Prætorium* dicuntur, atque ibi protervia militari inſultaſſe damnato verberibus & contumeliis, uſque dum conveniret omnis cohors, quæ convocata erat ad ſupplicium peragendum. Erat ergo pars cohortis jam ante in Prætorio, quæ ſecundum vices ſuas ſtationem ibi agebat, & proinde locum haud dubie in illo Prætorio ſtationi ſuæ opportunum & proprium habebat.

XXXI. Neque vero Præſidum ſolummodo habitacula in provinciis, ſed & Regum aulæ, quæ in Vrbe aliqua fuerunt, poſtea a provincialibus imperio Rom. jam ſubjectis videntur hoc modo appellatæ. Sic certe Cæſareæ in Iudæa Paulus ad Felicem abductus, dicitur ab eo datus in cuſtodiam *in Prætorium Herodis*, Actor. XXIII. 35. Nempe habitaverat antea ea in Vrbe Rex Herodes, eademque ſpecies fuerat olim & apparatus Regiæ Aulæ, qui poſtea erat Prætoriæ Aulæ, ſeu

Præ-

Prætorii in provinciis. Vtrobique ſtationes militum excubias agentium fuerunt locatæ: Vtrobique jus dictum. Vterque & Rex, & dein Præſes ſummam imperii in eadem Vrbe adminiſtravit. Nec ceſſerunt ſplendore & magnificentia Prætoria Præſidum illo tempore Aulis iſtorum Regum. Atque idcirco nihil mirum, has quoque a provincialibus appellatas *Prætoria*, ſicuti d. l. factum videmus.

XXXII. At vero poſterioribus & ſequioribus jam temporibus etiam ædificia illa publica, quæ deſtinata erant judiciis publice exercendis, dici tandem cœperunt *Prætoria*. Hinc in reſcripto Conſtantini & Conſtantis, *Prætoria Judicum & domos publicas oportet publico juri atque uſui ſemper vindicari*. l. 4. C. *de oper publ.* Similiter in Conſtitutione Arcadii & Honorii: *Cunctos judices ſcire volumus, a Prætoriis ordinariorum judicum his præſentibus abſtinendum*. l. 3. *Cod. de Metat. & Epid.* Sed tamen hæc ab ipſa Judicum habitatione

ne non videntur fuiſſe diſtincta, niſi ſeris valde temporibus. Vide ſeq. diſſert. §. 25. At Iſidorus & Imp. Juſtinianus videntur ſane credidiſſe ea etiam Vrbis R. loca, ubi Prætores olim vel ſoliti jus dicere, vel ubi habitabant, vocitata item *Prætoria*. Iſidorus Orig. xv. 2. *Curia dicitur, eo quod ibi cura per Senatum de cunctis adminiſtretur. Prætorium, eo quod ibi Prætor ſedeat ad diſcutiendum.* Videtur ſane loqui de rebus & locis Vrbis Romæ, unde ea vocabula ſint orta. Sed utcumque ſit, errat omnino, cum *Prætorii* prima ſignificatio nuſquam aliunde, neque Vrbanarum neque provincialium rerum, ſit petenda, quam ex Tabernaculo caſtrenſi ſummi Ducis, qui *Prætor* olim dicebatur. Juſtinianus vero in præfatione Novellæ xxiv. videtur & ipſe confudiſſe Prætores, tum qui Vrbani erant Magiſtratus, tum qui Provinciarum Præſides, dum quaſi de unius generis Prætoribus loquitur, iis *Prætoria* tribuens. *Vnde & ea loca, in quibus*

bus publice Magiſtratus vel jus reddere, vel habitare ſolebant, Prætoria appellare, & ut pleræque in Remp. Leges ex viva Prætorum voce inferrentur, conſtituerunt. Et multi Prætores partim Siciliam, partim Sardiniam inſulam, partim Hiſpaniam, partim terra marique, alii aliud vel imperio adjecerunt, vel rexerunt. Id ſcilicet agit, ut oſtendat, olim in Rep. Rom. permiſſam Prætoribus *tam rei bellicæ adminiſtrationem, quam Legum præſcriptionem*, ut ipſe ait. Quod & revera factum in provinciis ſæpius, ſed in Italia, nonniſi graviſſimo & multiplici bello. Quia verò Prætoribus olim licuit jus edictis ſuis interpretari, vel etiam corrigere & accommodare ad ſuorum temporum rationem; ideo *conſtitutum* ſcribit, *ut pleræque in Remp. Leges ex viva Prætorum voce inferrentur.* Neceſſario itaque intelligendum hoc de illis Prætoribus; qui erant Vrbani Magiſtratus. Sed & de iis accipiendum, quod ſequitur, quod quaſdam regiones *vel adjecerint*

imperio, vel rexerint. Nam Prætores Vrbis Romæ, antequam conſtitutæ ſunt publicæ quæſtiones, (ex quo demum tempore omnes ſui Magiſtratus annum in Vrbe exigebant,) mittebantur præter duos, Vrbanum & Peregrinum, reliqui in Provincias, & maxime *Siciliam, Sardiniam & Hiſpaniam,* quæ hic nominantur, ut eas adminiſtrarent ſecundum Leges Romanorum, & ſi uſus poſceret, etiam bellum gererent adverſus hoſtes. Atque ita Provinciarum Præſides illis temporibus erant ſimul proprie dicti Prætores, ſeu annui Vrbis Romæ Magiſtratus in Comitiis Prætoriis creati. Ceterum quod præmittit Imp. de locis, in quibus Magiſtratus illi *vel jus reddere vel habitare ſolebant*, quæque inde *Prætoria* appellaverint Romani, id in Vrbe & de Prætoribus Urbanis, de quibus tamen potiſſimum loqui videtur, maxime iis verbis, quibus reſpicit, quam memoravimus, *Legum præſcriptionem in Remp. viva eorum voce*, ut ait, *illatarum*, nullo modo

do

do verum eſt. Nec enim, ut ante dixi, *Prætorii* appellatio ex Urbe, aut foro, ſed ex caſtris primam originem trahit. Neque in Vrbe ullus fuit locus, qui *Prætorium* appellaretur, juriſdictioni deſtinatus, aut a Magiſtratu Vrbano ita dictus.

XXXIII. Ad eundem lapidem impegiſſe mihi videntur noſtrates S Scripturæ Interpretes, qui locum Pauli ad Philipp. I. 13. ubi ait, ſuam, ſeu ſuorum vinculorum innocentiam declaratam eſſe & cognitam ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι, vertunt, *in het ganſche Richthuis, ende allen anderen.* Atqui Epiſtola hæc ſcripta eſt ex ipſa Vrbe Roma, in qua, ut jam monui, nullus erat locus juri dicendo proprius, qui appellaretur *Prætorium.* Neque Prætor Vrbanus jus dicebat in ſuis ædibus, ſed publice in Foro, ubi proinde Tribunalia ſemper erant poſita, & ſubſellia judiciorum, ſicuti patet ex fortuito rogo Cæſaris in Foro cremati, apud Sueton. Cæs. 84. Certe in tot Scriptoribus rerum Ro-

manarum Græcis Latiniſque, ut & in antiquis Vrbis Romæ deſcriptionibus, nullam occurrere mentionem talis Prætorii judicialis, quod fuerit in Vrbe, licet haud temere quid negando aſſeverare velim, aut ſoleam, heic tamen pene aſſeverare auſim.

XXXIV. Rectius itaque iidem illi Interpretes in Notis ad aliam convertuntur ſententiam, qua per *Prætorium* intelligi volunt *Palatium Cæſaris*. Atque ita ſentiunt omnes, quos vidi de hoc loco agentes, interque illos Vir Graviſſimus & Eruditiſſimus, qui ſuum *Pilatum Judicem* defendens adverſus Doctiſſimi ſane Theologi miniatulas, affirmat Animadverſionum §. 11. Paulum per Prætorium *nihil intellexiſſe aliud, quam Aulam ipſius Imperatoris Romani*, monetque inſuper in Addendis, in ædibus Imperatoris *fuiſſe & Prætorium, quo jus vulgo redderet, qua ex parte & totis ædibus nomen hoc adhæſerit. Ut nihil interſit, Prætoriumne an Palatium iſtas appelles ædes. Quod hinc etiam*

etiam ad Præſidum domicilia tranſlatum ſit. Vellem addenda ſua documentis probaſſet Vir Nobiliſſimus. Certe mihi nuſquam lectum, nec credo aliis, *Prætorii* nomen eo ſenſu, ut ſignificet Palatium Imperatoris in Vrbe Roma. Immo vero tantum abeſt, ut ædes urbanæ Principis Romani appellentur promiſcue modo *Palatium*, modo *Prætorium*, (vocabulo, quod ex provinciis erat ortum, & in iis dabatur vulgo omnium Præſidum habitationi, etiam inferioris ordinis & dignitatis, veluti Procuratorum Cæſaris, qualis erat Pilatus,) ut inquam, in illis ipſis provinciis, etiam poſterioribus temporibus, diſtinctæ & diverſi generis fuerunt ædes, *Palatium* & *Prætorium*; *Palatiumque* diceretur illa domus, quæ in quaque civitate deſtinata erat, & ſervabatur Principi cum ſuo Comitatu iter per eam facienti; *Prætorium* vero, quam inhabitabant Præſides vel Judices Civitatum. Patet id ex titulo Codicis Theodoſiani, *Ne quis in Palatiis mane-*

maneat. Conſideraſis L. 2. ab Arcadio & Collegis profectam: *Ordinarii judices in remotis ab aggere publico civitatibus, ſi Prætoria non ſint, metu Legis adempto, quæ de Palatiis lata eſt, in ædibus, etiamſi Palatii nomine nuncupentur, commanendi habeant facultatem.* Vides diverſa prorſus eſſe, & diverſæ ſignificationis ædificia. Similiter in Conſtitutione Imp. Leonis, per quam licuit Præſidi Provinciæ habitare in Palatio, quod antea non licuerat per Legem ab Arcadio &c. memoratam: *Ubi autem & Palatium eſt, & Prætorium, Palatium quidem habitationi Præſidis, Prætorium autem ſuſcipiendis ſpeciebus publicis horreorum vice deputetur.* l. 14. C. *de officio Rect. provinc.* Jam vero ſi in Provinciis palatia Imperatorum, manſioni eorum, ſi forte eo advenirent, deſtinata, neutiquam appellabantur *Prætoria*, provinciali ceteroqui vocabulo, quanto minus in ipſa Vrbe, ubi non Imperator erat aut dicebarur *Prætor*, ſed alius, Ma-

giſtratus

giſtratus proprie ſic dictus, & proprie juri dicundo præfectus?

XXXV. Repugnat ergo huic quoque Interpretationi & Ratio, & Vſus Linguæ. Qui quamdiu non probatur, licebit mihi, opinor, meam de hoc loco exponere ſententiam. Nempe Paulus ex Vrbe Roma ſcribens, cum jam aliquamdiu in ea fuiſſet, uſus vocabulo Latino de re Vrbana, haud dubie id adhibuit eo ſenſu, quo ſolo in ea Vrbe & Lingua tunc temporis accipiebatur, & frequentabatur. Nihil autem erat in ipſa Vrbe, quod *Prætorii* nomine denotaretur, præter militum Prætorianorum in unis caſtris ad Vrbem tendentium multitudinem ſane quam magnam. Plane uti *Conſilium* pro collegio ipſorum hominum, qui Principi aut Reip. a conſilio ſunt, *Prætorium* ſupra §. 17. pro iis, qui verſabantur in Prætorio, quod faciebat vel maxime Prætoria cohors, aliaque ſimilia paſſim occurrunt. Sueton. Ner. 9. *Antium coloniam deduxit, adſcriptis veteranis e prætorio.* Quod

quid aliud, quam e corpore Prætorianarum cohortium? Item cap. 47. *Tribunos Centurioneſque prætorii de fugæ ſocietate tentavit.* Tac. Hiſt. IV 46. *Militiam* (ſcil. *prætorianam*, ut initio capitis dixerat) & *ſtipendia orant. Preces erant, ſed quibus contradici non poſſet. Igitur in prætorium accepti.* Quin immo, qui hiſce præerat, in Lingua Latina perpetuo *Præfectus Prætorii*, vel *Prætorio*, appellabatur. Plinius in præfat. Hiſtoriæ Natur. de Tito Veſpaſiani F. *Præfectus Prætorio ejus*, nim. Veſpaſiani. Nam hæ cohortes erant Prætoriæ Cæſarum, ad Cæſarum corpus ac ſalutem tuendam juxta urbem locatæ, & in Vrbe per vices ſtationum ad eorundem Palatium excubantes. Manifeſtum ex his, receptum omnino temporibus Pauli fuiſſe iſtius vocabuli hoc ſenſu uſum. Sed & ipſa Pauli locutio magis deſignare videtur proxime multitudinem aliquam hominum, quam locum, aut ædificium, dum ait, non modo ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, *inter omnes prætori-*

torianos milites, ſed & καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι, *inter* vel *apud omnes alios homines*.

XXXVI. Imprimis vero hic notandum, quod Paulus erat δέσμιος τοῦ Καίσαρος, *vinctus Cæſaris*, cujus Tribunal appellaverat. Quapropter miſſus ex provincia ſub cuſtodia militari Romam, traditus fuit una cum aliis τῷ ςρατοπεδάρχῃ, Actor XXVIII, 16. h. e. ut recte exponunt Belgæ aliique, *præfecto prætorii*. Nam quoniam hi milites, minimum novem millia numero, in una Caſtra extra portam Viminalem ſub Tiberio fuerant conjuncti, inde factum, ut in Vrbe Romana quando ſimpliciter *Caſtra* memorantur, intelligantur Caſtra hæc Prætoria. Sueton. Claud. 10. *Ab his lecticæ impoſitus*, & *in Caſtra delatus eſt*. Galb. 19. *Haud multo poſt cognoſcit teneri Caſtra ab Othone*. Tac. An. XV. 59. *Fuere, qui prodita conjuratione hortarentur Piſonem, pergere in Caſtra, vel Roſtra eſcendere*. Dio, vel Ciphil. lib. LXI. non

longe

longe ab initio: ἑπτὰ καὶ δέκα ἔτη ἦγεν, ὅτ' ἦρξεν, ἔς τε τὸ στρατόπεδον ἐσῆλθε. Hinc autem porro, qui Prætorio, ſeu Prætoriis hiſce caſtris, præerat, dicebatur a Græcis στρατοπεδάρχης, ut in Actis appellari eum videmus. Jam vero qui erant δέσμιοι τοῦ Καίσαρος, quos Cæſar in cuſtodiam vel carcerem dabat, illi a Prætorianis vinciebantur, & cuſtodiebantur: Immo omnia ad cuſtodiam & cædem iſtiuſmodi reorum pertinentia per illos milites peragebantur. Atque ideo, ubi detectam refert Tacitus Piſonianam conjurationem, utramque ibi paginam faciunt *Milites*, qui non alii ſunt aut eſſe poſſunt, quam Prætoriani. An. xv. 55: *Acciri reum juſſit. Is raptus per milites.* Sed & cognitioni, ac quæſtionibus tormentorum præerant Præfecti Prætorio, & Tribuni, ſicuti cædem ipſam exſequebantur Centuriones cum globo militum, ut ex illa Hiſtoria cuivis liquere poteſt.

XXXVII. Itaque & Paulus miſſus ex Provincia Cæſaris Romam, non

ad Senatum, aut Magiſtratus Vrbanos, ſed ad Cæſarem, & proinde traditus cum aliis Præfecto Prætorii, & ab hoc catena alligatus militi Prætoriano, neceſſario multum negotii & conſuetudinis, ſive arctior eſſet, ſive laxior cuſtodia, cum Prætorio, ſeu Prætorianis militibus habuit, atque adeo innocentia illius maxime cognoſci ab iis potuit & debuit. Quæ & unica cauſa, quare illi hoc loco præcipue nominentur. Sed & maxima ἔμφασις in eo, longeque major, quam in vulgatis Interpretationibus, quod ipſius vinculorum ratio & vitæ integritas dicitur declarata & agnita, ἐν ὅλῳ, in OMNI illa multitudine, & quidem Militum Prætorianorum: Qui cum ceteroqui minime pietati & Sanctimoniæ tum ſuæ, tum aliorum, attenderent, in Paulo tamen eam vereri & venerari, vi virtutum victi, debuerint. Quod præter hos tamen fecerunt & plerique alii, atque inter eos maxime illi, qui erant ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας, *ex Cæſaris domo* ſeu familia, Philipp. IV. 22.

Erat

Erat enim maxima item conjunctio conſuetudinis inter Palatinos, ut poſtea dicti, ſeu inter Cæſarum domeſticos, & Prætorianos; ſiquidem hi per vices excubabant ad Palatium, & omnia Cæſarum mandata & imperia accipiebant exſequebanturque. Vnde & præfecti ipſorum fuere jam ab initio præcipui Cæſarum miniſtri, & mox dignitatis ac potentiæ Cæſaribus proximæ, atque ideo poſtea non modo στρατοπεδάρχαι, & ἔπαρχοι τῶν δορυφόρων, vel τοῦ δορυφορικοῦ, ut Dio pene ſemper, ita *invaluiſſe*, ἐκνενικηκέναι, teſtatus lib. IV. p. m. 555. ſed & τῆς αὐλῆς ἔπαρχοι, ut Herodianus, vel ὕπαρχοι, ut Zoſimus, h. e. *Præfecti* aulæ ſeu palatii, dicti ſunt a Græcis Scriptoribus. Nihil ergo mirum, ad illorum quoque, qui ex Cæſaris familia, notitiam perveniſſe Paulum, qui inter Prætorianos & cum iis perpetuo agebat.

FINIS.

VLRICI HVBERI

Viri Ampliſſimi

COMMENTARIVS

TITVLI ff.

De Officio Præfecti Prætorio,

SEV

DIGRESSIO

DE

PRAETORIO,

Superiori Diſſertationi oppoſita.

RAtio hujus nominis eſt, quia veteres, ut refert Juſtinianus in *N.* 24. & *ſeqv.* Prætorem dixerunt omnem magiſtratum, cui pareret exercitus, quaſi Præitorem: & *prætorium, tabernaculum ejus;* Deinde in *aulâ Principis, prætorium fuit,* & præfecti prætorio, qui aulæ præerant. Officium Præf. Præt. fuit judicare vice ſacra, id eſt, Principis *C. Theod. d. appell. l.* 16.

adeo

adeo ut ab ejus ſententiâ appellari non potuerit, ſed intra biennium ſupplicatio admittatur *l. un.* §. 1. *h. t.* Eorum formæ τύποι, aliter ἐπαρχικὰ, *Cujac. h.* vim legis habent. *l.* 2. *C. de offic. præfect. prætor. Orient. & Illy.* Præſides provinciarum eorum cenſuræ ſubditi ſunt. *l. ne quis.* 30. *C. eod.* Item, adverſus eorum ſententiam alii magiſtratus reſtituere non poſſunt. *d. l. un. in fin. h. t.* adeoque ſumma rerum ipſis commiſſa fuit. *l.* 40. *C. d. Decur.* unde non dubitandum, quin habuerint merum imperium *l. un. pr.* §. 1. & 2. *h. t.* imo abſolutiſſimum *Cujac. parat. h.* Poſt Conſtantinum M. ſede imperii in Græciam tranſlatâ, quatuor Præfecti Prætorio fuerunt, Orientis, Græciæ, Illyrici, Africæ, ut paſſim ex inſcriptionibus LL. in Codice apparet.

II. Hactenus olim à nobis ſcriptum, Idque ſatis pro uſu præſenti. Verum quia non modo juris Romani uſum quem habet in ſeculo, ſed notitiam ex fundamentis profitemur, oportet ex-

expendere vim ſententiæ, quæ Præfecto quidem Prætorii res ſatis ſalvas, ſed Prætorium ei nullum relinquit, præter cohortes Prætorias, quæ juxta Prætorium ſemper habuere ſtationem. Delectamur hujuſmodi diſquiſitionibus, & gratulamur Academiæ noſtræ, quod juventus ita inſtituitur, ut in antiquitates Juris inquirendum putent. Quando tamen πραγματικῶς ita diſputatur, ut credendum ſit, Prætorium non fuiſſe rem diſtinctam Romæ a Cohortibus Prætorianis, danda eſt opera, ut auditorium Præfecti noſtri ſuper ipſum ruens, ſi pote, fulciamus.

III. Noſtra, id eſt, communis ſententia; quam ſi antehac probandam ſuſcepiſſem, Lectorem illudi ſibi crediturum, putaſſem, duabus conſtat poſitionibus. Prima eſt hæc, Prætorium tempore libertatis fuit *Tabernaculum Imperatoris, in quo ipſe agens, auditorium, & juxta quod milites Prætoriani ſtationem habebant.* qui nunquam illis temporibus dicti ſunt *Prætorium*, aut eadem res cum

Præ-

Prætorio ſunt habiti. In hac poſitione, quam in dubium vocari non videmus, nec commorabimur. Altera poſitio hæc eſt: Tempore Cæſarum, *Prætorium* fuit *Pars palatii, in qua fuit auditorium Imperatoris & ejus Præfecti, cum ſtatione militum Prætorianorum.* Auguſtus bellis civilibus defunctus, cum omnia nomine Principis ſub imperium accepiſſet, cohortes Prætorias, quas plures habebat, in urbe collocavit, & in Palatio Prætorium, juxta quod cohortes Prætoriæ ſtationem habere conſueverant, fixit perpetuum. Auctor Dion Caſſius in *lib.* 53. Καλεῖται δὲ τὰ βασίλεια παλάτιον, ὅτι ἔντε τῷ παλατίῳ ὁ Καῖσαρ ᾤκει, καὶ ἐκεῖ τὸ στρατήγιον εἶχε. *Imperatoris ædes vocantur Palatium, quoniam & Cæſar in palatio habitabat, atque ibi habebat Prætorium*, ut unice verti debet ac poteſt, quemadmodum Leunclavius, Sylburgius, uterque Stephanus aliique omnes acceperunt. Nam στρατηγὸς eſt *Prætor* & στρατήγιον *Prætorium* κατὰ πόδας. Sunt autem tria in his verbis notanda;

tanda; primum, quod Prætorium fuerit in Palatio: Secundum, quod domus Cæſaris etiam nomen ſuum acceperit inde, quod ibi erat Prætorium: tertium, quod tamen nomen domus Cæſareæ non fuit *Prætorium*, ſed Palatium. Hinc præter rem ipſam tres oriuntur collectiones. Prima, Prætorium fuiſſe domum vel ejus partem; quia Palatium Cæſaris *Domus* fuit, non tantum ob habitationem, ſed etiam quia Prætorium illic erat. 2. Habitationem Cæſaris fuiſſe diſtinctam à prætorio, licet utrumque fuerit in palatio. 3. Vulgo & πανδημεὶ domum Cæſaris non fuiſſe dictam *Prætorium* ſed palatium. Vnde reſponſio ad objectionem, quæ una ſententiæ inexpectatiſſimæ dedit anſam; quod Prætorii vox in uſu promiſcuo & deſcriptionibus Vrbis tanquam domus, non occurrit; cujus rei dabimus infra adhuc aliam rationem. Præterea, Prætorium fuiſſe partem domus Imperatoriæ, ſicut olim in Prætorio caſtrenſi Imperator & degebat & auditorium

 habuit;

habuit, indicant Græci rerum Romanarum Scriptores, Plutarchus, Herodianus, Zoſimus, qui *Præfectum Prætorio* vernacule reddentes, eum vocant ἔπαρχον αὐλῆς, *Præfectum aulæ*, aut etiam ὕπαρχον αὐλῆς, *quaſi ſubpræfectum aulæ*, quia vices Imperatoris gerebat. Aula non eſt alia, opinor, quam Aulica domus, ut Spartianus in Hadriano: quam Græci ſub nomine *Prætorii* comprehendunt, partem pro toto, & quia ſic in Provincia conſueverant, domum Præfecti vicem Cæſaris gerentis vocare *Prætorium* & *Aulam* promiſcue, ut auctor Euangelii Marcus, ἔσω τῆς αὐλῆς, ὅ ἐστι Πραιτώριον, *intra aulam, id eſt, Prætorium*; *cap.* 15: 16. quod imitatione Vrbis factum, ubi Imperator, ſicut in Provinciis Præſides, habitabat, in eadem domo, quæ *Prætorium* habebat, licet alia parte domus ſcilicet. Hoc vero ad urbem minime tranſtuliſſent Græci Romæ Scriptores, ſi non eodem modo ſe res illic habuiſſet, & Prætorium, quod aulam vocant,

dun-

duntaxat aulicæ domus pars non fuiſſet. Præfectus igitur Prætorii eſt ἔπαρχ☉ αὐλῆς *Præfectus aulæ*: neque Prætorium ab aula ſeparatum, niſi quis duo diſtincta officia Præfecturam aulæ & Præfecturam Prætorii, quæ in eodem Præfecto concurrerint, tempore primorum Cæſarum nobis excogitet: quanquam ne ſic quidem Græci Præfectum *Prætorii* ſimpliciter τ̃ αὐλῆς dixiſſent, ſi Aula & Prætorium res ſeparatæ, nec aulæ Præfectura, fuiſſet ipſa Præfectura Prætorii.

IV. Sic probatum eſt genus in definitione Prætorii, quod fuerit *pars Palatii*, idque univerſæ diſputationi conficiendæ ſufficit. Pergemus tamen; Sequitur in definitione, *ubi fuit Auditorium Cæſaris, ejuſque Præfecti*. Quod Cæſar, ejuſque Præfectus habuerint *auditorium*, etſi hoc quoque rariſſime commemoretur, dubitare non patitur cum ipſa res & neceſſitas jurisdictionis, quam habuit Cæſar, & ejus vice judicans Præfectus, tum nec Paulus Juris Conſultus *in*,

l. lecta 40. *π. de Reb. Cred.* ubi, *Lecta eſt in auditorio Æmilii Papiniani Præfecti Prætorio Juriſconſulti cautio hujuſmodi.* Hoc auditorium alibi fuiſſe, quam apud Aulam Cæſaris, cui Præfectus erat Papinianus, non contendent, ſaltem, qui nuſquam fuiſſe Prætorium, domum, in urbe perſuaſi ſunt: Verum in qua fuit auditorium, hanc domum vocatam fuiſſe *Prætorium*, docet tam clare *Paulus divus*, in epiſtolis ſuis, ut ingenti inopia veri opus ſit, ad diverſam e verbis ejus interpretationem exprimendam. Provocaverat e Provincia ad Cæſarem Paulus, ideoque judicandus erat in ejus auditorio. Auditus eſt, ϰ̀ παρέςη τῷ Καίσαρι Νέρωνι, & *ſtetit in jure coram Cæſare Nerone*, ut habet ſubſcriptio ſecundæ ad Timotheum, habuitque orationem Paulus apologeticam ſine ullis advocatis, hoc eſt, amicis conſiliariis, quales erant antiquitus *advocati*, ut ipſe narrat Timotheo in *eadem epiſtola cap. ult. v.* 16. ubi ὀδείς μοι

ου-

συμπαρεγένετο; *nemo mihi adſiſtebat*, adeoque etiam ſine Patrono, cujus ab advocati officio diſtinctum munus erat. Ipſe cauſam egit ſuam. Erant tunc initia Neronis, Burrho & Seneca; quos adfuiſſe huic audientiæ pro certo habemus, cum officii ratione abeſſe non potuerint; juventam ejus in publico ſapientiſſime moderantibus, neque adhuc Chriſtiana profeſſio in odium generis humani penetraverat. Ideoque auditus eſt ſine præjudicio cum attentione, ac, ut videtur, cum admiratione fructuoſa totius auditorii, quemadmodum ipſe de hac ſua πρώτῃ, ſine dubio, ἀπολογίᾳ loquitur ad Philippenſes, *de primâ defenſione ſuâ*, inquam, ut res loquitur: per eam factum eſſe, ut res ejus in melius & in gloriam Chriſti domini cederent. Τὰ κατ' ἐμὲ, inquit, μᾶλλον εἰς προκοπὴν τοῦ εὐαγγελίου ἐλήλυθεν, *Res meæ ceſſerunt in melius ad profectum Evangelii*, Ὥστε τοὺς δεσμούς μου φανεροὺς γενέσθαι ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι. *Ut cauſa vinculorum meorum mani-*

maniſeſta facta fuerit in toto Prætorio, & apud reliquos omnes. Hic fuit Apologiæ apud Cæſarem in ejus Prætorio habitæ fructus glorioſus, ut cauſa Dei in meliorem partem innoteſceret, cum in ipſo Prætorio apud Cæſarem, ejus Præfectum, Adſeſſores Judicii, Comiteſque & reliquos ἐκ τ̃ καίσαρος οἰκίας, *e domo Cæſaris*, quos laudat ad eoſdem Philippenſes, & quos ei maxime ab iſta actione conciliatos fuiſſe non poteſt dubitari, ut ipſum inter eos Senecam fuiſſe veteres libenter crediderint; tum apud *omnes alios*, qui adfluxerant, auditores, vel qui ex illis acceperant. quando non minus divina Pauli facundia perculſi fuerint, quam alias οἱ περὶ Agrippam & Berenicen, ut multi non pene, ſed bene Chriſtiani fierent. Hinc etiam accidit, ut cum ſiſtentem ſe judicio Paulum nemo comitari auſus eſſet, territi Majeſtate Cæſaris & eventu dubio ſuſpenſi, poſtquam viderunt, Dominum fuiſſe Paulo παράκλητον, *Advocatum*, ὃς αὐτῷ παρέςη, qui *adſtiterat*

terat ipſi, καὶ ἐνεδυνάμωσεν αὐτὸν, *&* *vires ipſi addiderat*, ut ipſe Timotheo ſcribit, adeo ut cum reputatione publica honoris & gloriæ, cum divinæ, tum ſuæ, exiiſſet; factum eſt, inquam, ut πλείονες τῶν ἀδελφῶν ἐν κυρίῳ πεποιθότες τοῖς δεσμοῖς αὐτοῦ, τοῖς ἐν πραιτωρίῳ φανεροῖς γενομένοις· περισσοτέρως τετολμήκασιν ἀφόβως τὸν λόγον λαλεῖν; *ni plures e fratribus in domino, confiſi exitu vinculorum ejus, quorum cauſa in Prætorio illuſtris erat facta, multo majori libertate verbum Dei jam ſine timore prædicarent*, ut Philippenſibus ſibi cauſæque Dei gratulatus ſignificat; etſi nec diſſimulat, fuiſſe tum homines Chriſtum quoque profeſſos, non valde diſſimiles iis, quos modo fert ſeculum, ut ne quidem invidia tam glorioſæ actionis abfuerit, quemadmodum ipſe Paulus indicat.

V. Hæc adeo clara, connexa & evidentia, velim mihi conferat æquus Lector, cum eo, quaſi quis diceret; Paulum, quod militem ex Prætorianis unum domi in urbe cuſtodem

haberet, tantum habuiſſe negotii & conſuetudinis cum *Prætorio*, id eſt, *Prætorianis militibus*, ut ejus innocentia maxime ab illis cognita fuerit; ideoque Prætoriani milites his verbis ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ nominatim a Paulo deſignati fuerint: eoque pertinere verba ſingularis ἐμφάσεως, ΕΝ ΟΛΩ, *in omni illa multitudine militum Prætorianorum*. Quæ ſit τοῦ πιθανοῦ conſequentia in hac conjectura, etiam cum illis circumſtantiis accepta, præ demonſtratione præcedenti, non eſt difficile cognitu: Primo quidem ſcire velim, ubi putet hæc interpretatio Paulum eſſe auditum & dein abſolutum; Nam in foro Cæſar & Præfectus ejus non habuerunt auditorium. Deinde non puto certum eſſe, militem Pauli cuſtodem fuiſſe prætorianum; magis eſt, ut de Julii centuriâ Legionis Auguſtæ fuiſſe videatur, qui Paulum in itinere cum eo colligatus, ut moris erat, cuſtodierat. Indulgenter enim Paulus & a Centurione Julio & a Burrho Præfecto habitus & accep-

tus

tus eſt, cum reliqui vincti traderentur in cuſtodiam, Παύλῳ ἐπετράπη μένειν καθ' ἑαυτὸν συν τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν ϛρατιώτῃ, *permiſſum ei eſt, habitare ſeorſim cum eo milite, qui illum cuſtodiebat.* Demonſtratur miles jam cuſtodiæ ejus adhibitus; alioqui dictum foret, *& miles ad cuſtodiam ei adjunctus eſt* a Præfecto Prætorio: ſed Præfectus Paulum in *ſtatu quo*, ut dicimus, reliquit, militem ejus conſuetudini adſuetum juxta eum relinquens. *Act. ult. v.* 16. Atqui ita perierit conſuetudo totius *Prætorii*, videlicet militum Prætorianorum cum Paulo, cujus ille miles cuſtos, fuerit pararius & conciliator. Eam vero, ſi maxime fuerit ille miles prætorianus, occaſionem comparet, ſi cui vacat, cum illa priori ὁρμῇ, quæ fuit ab apologia Pauli publice in Prætorio Palatino habita, quam commemoravimus: ne jam illa caſtra quæ ſemper vacua non modo pietatis, ſed etiam civilis modeſtiæ fuere, cum τοῖς ἐν καίσαρος οἰκίᾳ fidelibus comparemus. Sed quid, unquamne

quamne Latinus aut Græcus ſcriptor ullus dixit; *ſum in Prætorio*; id eſt, inter cohortes Prætorias, aut in caſtris Prætorianis? Atqui ſic Paulus, *in Prætorio*; proprie quidem nunquam cohortes Prætoriæ, nec caſtra quidem demonſtrata ſunt, voce *Prætorii*; Nemo unquam dixit; Claudius, Otho in *Prætorium* rapti, in *Prætorio* Imperatores creati ſunt, quod de Caſtris memoratur. At certe, milites Prætoriani ad *Prætorium* pertinebant, ibi per vices ſtationem habebant, illic eorum numeri, inde nomen habebant; *miles e Prætorio*, ſcilicet *Palatino*, unde nomen, decus & ſtipendium habebat. Ita Tribuni, Centuriones *e Prætorio*: alii *in Prætorium* accepti aliquando leguntur: ne quidem tropum eſſe dicam *Accepti in Prætorium*, ut eſt in *dimiſſo Prætorio*: cum ibi in numeros referrentur, ibi excubarent, vereque in illud acciperentur. Quis ferat narrantem, *Auguſtus Prætorium habuit per urbem diſtributum*, quod de cohortibus Prætoriis eſt verum;

rum; Tiberius Prætorium tranſtulit ex urbe extra pomœrium? Si quis putaſſet, poſtquam cohortes Prætoriæ ſub Tiberio, auctore Sejano, in unum extra urbem contractæ ſunt, & in Caſtris egerunt, Prætorium quoque in Caſtra fuiſſe tranſlatum, haberet quo ſe tueretur, quod ſemper in Caſtris, ubi milites erant Prætoriani, etiam fuerit Prætorium: ſed tamen nullum fuiſſe Prætorium in caſtris illis aut tabernaculum Imperatoris, verum eſt. Non Claudius, non Otho, non Galba cum Piſone; qui in caſtris & apud principia egerunt, unquam ingreſſi Prætorium aut tabernaculum Imperiale leguntur. Heliogabalus cum Alexandro Severo in caſtris Prætorianis pernoctarunt, ſed in templo, quod illic erat, egerunt, nulla Prætorii aut tabernaculi imperialis mentio. Herodianus, ἀνοίξαντες τὰς πύλας τοῦ στρατοπέδου ἐς τὸν νεὼν τοῦ στρατοπέδου ἤγαγον. *Apertis caſtrorum portis receperunt eos in templum Caſtrorum*, & mox διανυκτερεύσας ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ στρατοπέδου,

cum

cum pernoctaſſet in templo Caſtrorum, ait *in fin. libri. V.* ſed Prætorium, id eſt Auditorium Cæſaris ejuſque Præfecti, & ſtatio militum Prætorianorum manſit apud Palatium, quod nomen, ut antea dictum, de Cæſarea domo populariter notum, partis ejus, id eſt, *Prætorii* appellationem abſorpſit.

V I. Quæ eſt ratio, quod vulgo nomen Prætorii, de Cæſaris Aula rarius & forte an vix unquam apud Latinos ſcriptores & in deſcriptionibus vrbis inveniatur, etſi militum Prætorianorum ſtationi locum in palatio deſcriptores Vrbis adſignare non ſunt obliti. Sed nec Auditorium Præfecti Prætorio, quod eſt in citato Pauli fragmento, crebro fertur, & cauſa rarioris uſus omni exceptione major adſignata eſt. Cui neſcio, an addere non liceat, fuiſſe aliquid heic mixtum σοφίσματος πολιτικȣ̃ ab Auguſto & primis Imperatoribus, ut ſoliti ſunt, quicquid auribus inſolens erat, etſi rem tenerent, diſſimulare verbis. Præto-

torium erat Caſtrenſe vocabulum, nec minus in Vrbe nefas erat habere Prætorium, quam Caſtra; quin nec cum Imperio militari, cuiquam in Vrbe verſari licebat; unde triumphaturi, ad quod Imperio præditi eſſe debebant, tantisper extra pomœrium commorabantur; quod ingreſſi ſpem & jus triumphi amittebant, ut factum a Cæſare conſulatus petendi cauſa apud *Sueton. cap.* 18. Proinde nec mirum, Auguſtum maluiſſe domum ſuam verbo antiquo & loci indice, *Palatium*, quam vulgò *Prætorium* militari ac odioſo in Vrbe nomine vocari. Quæ ratio in Provincialibus & Græcis locum non habebat, qui Prætoria, ſcilicet, exemplo ejus quod in Vrbe erat, apud ſe non modo habebant, ſed etiam vulgo appellabant, ideoque Romæ cum res eadem eſſet, frequentius eodem quoque nomine ſunt uſi.

VII. Sed ad Paulum ut revertamur, ſcire velim inquam; qui verba ejus ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ *in toto Prætorio*, ſic intelligunt, in caſtris Prætorianis, vel,

vel, *apud omnes cohortes Prætorias*; ubi Paulum putent παρεστηκέναι τῷ Καίσαρι Νέρωνι, *judicio ſe Neronis ſtitiſſe*: An in foro cauſæ Provincialium provocationum actæ ſunt? ubi id unquam lectum? Tu dic, in Auditorio Principis, in Auditorio Imperatoris, ubi cauſas ipſe audiebat, ut teſtis in ea re eſt Vlpianus in *l.* 18. §. 1. & 2. π. *de Minor.* in quo Provincialium cauſas Provocationum actas fuiſſe teſtatur Symmachus *lib.* 8. *epiſt.* 17. ubi *Provinciali actione decursa, quæ ad ſacri Auditorii Cognitorem neceſſaria provocatione pervenit.* Nam gliſcente adulatione, quod olim Principis, & Imperatoris auditorium, deinde *ſacrum auditorium* fuiſſe dictum docet *l.* 2. *d. Pact.* & *tranſact. l.* 13. 40. 44. 48. *de Appellat. in C. Theod.* Ab hoc Auditorio Principis diſtinctum fuiſſe videtur auditorium Præfecti Prætorio, ut in citato Pauli loco apud *l.* 40. *d. Reb. Cred.* Auditorium *Papiniani Præfecti Prætorio* ſatis perſpicue ſeparatur ab Auditorio Princi-

pis,

pis. de illo Paulinus *in vit. Ambroſ.* in *Auditorio Præfecti Prætorio ita ſplendide cauſas perorabat.* Et Ambroſius ipſe *orat. funebr. in obit. fratris ſui.* Quam *incredibili admiratione in Auditorio Præfecturæ ſublimis emicuit!* Hoc tamen ipſum in *Cod. Theodoſ.* vocatur, *Auditorium ſacrum Amplitudinis Præfectorianæ l.* 67. *d. Appellat.* quia Præfectus, ut modo diximus, *vice ſacra* judicabat. Paulus igitur in Auditorio Cæſaris auditus eſt, ubi glorioſam utiliſſimamque habuit orationem illam apologeticam, qua toti auditorio aliiſque omnibus innocentiam non modo, ſed & Euangelii veritatem palam ac illuſtrem fecit. Ipſe, ait, id eveniſſe *in Prætorio*, quod ſi nondum id evictum ſatis, profecto illud Auditorium, in quo Paulus ſtetit coram Nerone, fuiſſe Prætorium, vel partem Prætorii ὀφθαλμοφανῶς demonſtrat; denique Prætorium fuiſſe partem Palatii, in quo Cæſar habitabat, non eſt quod repetamus.

In

VIII. In Provinciis eodem modo res ſe habuit. Præſides, etiam Procuratores cum jure Præſidum, qualis fuit Pontius Pilatus, habebant in aula ſua Prætorium; ſed ratio quæ in Vrbe promiſcuam Prætorii appellationem ſuppreſſit, ibi ceſſabat: Ideo tota Aula *Prætorium* dicta eſt, ſicut Hieroſolymis uſu veniſſe teſtantem audivimus D. Marcum. Qui diſtinctas & diverſi generis ædes fuiſſe narrant Hieroſolymis aliiſque in Provinciis, Prætorium & Palatium, adhuc operam dare debent, ut rem novam probent: fuiſſe alicubi diverſa non negamus; ſed plerumque eadem & promiſcuæ appellationis fuerunt, *Palatia ſeu Prætoria l. ul. C. de off. Rect. provinc.* Continebant & habitationem Præſidum & auditorium judicii. Verum ſicubi contingeret, ut habitatio & auditorium ſive Palatium & Prætorium diverſæ forent ædes, eam rem præter exemplum & morem fuiſſe, patet inde; quod Imperatores jubent Præſides, ad uſum habitandi & officii

ſui,

ſui, contentos eſſe Palatio; Prætorium vero ſiquidem ab eo diſtincta domus ſit, volunt in horrea converti, *d. l. ult*. Quod certo, inquam, argumento eſt, non fuiſſe id inſtituti Romani; ut *Prætorium*, hoc eſt, Auditorium Præfecti; a *Palatio*, id eſt, ab ejus habitatione ſeorſum haberetur. Nihil his addam; niſi, quod non modo in Provinciis, ſed vel maxime in Italia, quælibet inſignes domus, præſertim in agris, *Prætoria*, vocatæ ſint; exemplo & imitatione Prætorii Imperialis. In omni tranſlatione tropica; civilitas ineſſe debet; quæ autem ſpecies aut occaſio tropi ſeu tranſlationis; domos inſignes appellandi Prætoria; ſi Prætorium non fuerit domus, ſed numerus hominum, caſtra ſparſa, vel cohortes in aliquot hominum millia diffuſæ? Enimvero domus & Prætorium opponuntur a Neratio in *l.* 2. *pr. d. ſerv. P. R.* domus & Prætorium, ſed ut vulgaris & inſignis aut voluptuaria domus, ſicut in *l.* 198. *d. V. S. Prætoria voluptati tantum de-*

 ſer-

ſervientia. Plura qui volet, adeat Briſſonium de *Verb. ſignif. verb. Prætorium*, non modo juris loca, ſed ex variis auctoribus plura notantem, quæ a nobis deſcribi, cum in re certa verſemur & trita, nihil attinet. Plus operæ pretii erit, in *Johannis Chryſoſtomi* auctoritate demonſtranda, qui in argumento epiſtolæ *ad Philippenſes*, primo quidem quod Paulus ad Timotheum de apologia ſua ſcripſit, eodem modo cum his, quæ Philippenſibus de Prætorio narrat, conjungit, ita ſicut a nobis ſuperius factum eſt, arguitque apologiam in Prætorio fuiſſe habitam, cum Neroni appareret apud domum ejus, niſi quis Paulum apud principia caſtrorum inter cohortes Prætorias, auditum & judicatum fuiſſe malit. Quid porro Chryſoſtomus? Ὅτε δὲ ἔγραφε πρὸς αὐτοὺς, *cum ſcriberet ad Philippenſes*, ait, συνέβη αὐτὸν δεδέσθαι, *accidit ut vinctus eſſet*. Διὰ τοῦτο φησιν, ὥστε τοὺς δεσμούς μου φανεροὺς ἐν Χριστῷ γενέσθαι ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, *Propterea dicit*, ait, Paulus, *Ut vincula mea in Chri-*

Chriſto manifeſta fierent in toto Prætorio. Pergit Chryſoſtomus; Πραιτώριον τὰ βασίλεια τȣ̃ Νέρωνος καλῶν, id eſt, *Prætorium appellans Regiam* ſive *Palatium Neronis.* Deinde in commentario ad *verſic.* 13. *cap.* 1. ad verba Pauli, ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ *in toto Prætorio; addit Chryſoſtomus.* Τέως γὰρ ȣ̃τως ἐκάλȣν τὰ βασίλεια, *Antehac enim ita nominabant Regiam, ſive palatium.* (Prætorium) Nam Chryſoſtomi tempore non fuit eadem ratio loquendi. Non tamen ita olim Aula vocabatur Prætorium, quin Palatii prævaleret appellatio, vulgoque magis celebraretur, utique apud urbanos; nec enim difficulter crediderim, Provinciales Romæ agentes Prætorii vocabulum de toto, cujus pars erat, libentius uſurpaſſe, quam ipſos in urbe cives, qui adſueverant P*alatio.* Bene igitur interpretes Belgæ locum Pauli, convenienter Chryſoſtomi interpretationi reddidere: ſed quouſque in re liquidiſſimâ non parcemus dictis, quæ non memini plura, minus in re dubiâ, conſumere

 jam

jam pridem? ſed pro ſententiâ olim poſſeſsâ dabitur venia longius, quam pro inſtituti ratione, digreſſo.

FINIS.

IACOBI PERIZONII DISSERTATIO PHILOLOGICA

DE

PRÆTORIO CÆSARVM, EIVSQVE PRÆFECTO.

Viri Ampliſſimi

VLRICI HVBERI

Digreſſioni *de Prætorio* repoſita,

defendente

HENR. SYLV. a DOMPSELAER

Linga Weſtphalo.

NVllus equidem augurabar, quum noviſſimam de *Prætorio* ſcriberem diſſertationem, in eaque inprimis D. Paulum ad Philippenſes I. 13. &, quo iſtic utitur, Latinum *Prætorii* vocabulum aliter, quam vulgo fit, exponere aggrederer, fore, ut contra iſtam interpretationem ita ex profeſſo & confeſtim ex hac ipſa Academia quiſpiam non tantum privatim in Collegiis, ſed

& in publicis navigiis, modo, ne dicam plebejo, certe parum decoro, nec gravitatem vel ſanctimoniam ullam præferente, inveheretur, immo & inſuper publice lucubrationis ſuæ telum ſtringeret, tanquam ſi ſua proprie res iſtic fuiſſet acta, aut male habita. Sed quid facias? Ut homo eſt, ita morem geras. Scilicet tribus quatuorve verbis ſententia, quæ ceteroqui *communis* eſſe jactatur, jam *olim poſſeſſa* fuit, dum tamen *olim* ne γοῦ quidem de loco Pauli, ſed tantum de *Prætorio* traditum, id *in Aula Principis fuiſſe, & Præfectos prætorio eſſe, qui Aulæ præerant*. Paucula hæc *olim* ſcripta, quæ me quidem fugerant, nec tamen quicquam proprii præferentia, valuerunt ad undecim nunc paginas, extra ordinem, & inſtituti rationem implendas, quibus quæ Ego de *Prætorio* ſine cujuſquam injuria nuper admodum delibavi, in explanationem loci Paulini unice tendentia, refutentur. Delectarer hujusmodi diſquiſitionibus, & gratularer de iis Academiæ noſtræ, ſiqui-

ſiquidem ſic agendo induſtria plerumque intenditur, & res ipſæ utrimque ſedulo inveſtigatæ in clariorem ſæpe lucem proferuntur; ſed vellem abſque eo eſſent, quod tamen plerumque in hiſce rebus evenit, ut vis veritatis ſtudioſe adeo ab alterutra parte eludatur, atque involvatur, ac, ſi neque id fieri queat, ipſe tunc controverſiæ ſtatus invertatur potius, quam ut nihil reponatur.

II. Exemplo ſit controverſia de *jure Regio* quondam in circulo Eruditorum mota, in qua quum ſimpliciter, ſeu ſimplici vere animo, pleroſque primorum temporum Reges fuiſſe reipſa *Magiſtratus* populi, affirmaretur hinc; negabatur inde, conſpicua & animadverſa pleriſque cum acerbitate, id eos fuiſſe, addito *neque Latine*, *neque Juridice* ita unquam appellatos. Oſtenſum deinde per occaſionem longo ſane tempore poſt, & ſine ulla alicujus controverſiæ mentione, (Vide ſuper. Diſſert. §. XI.) in eundem tamen hominem, ſeu in eandem perſonam, quam

quis in Rep. ſuſtinet, revera concurriſſe aliquando appellationem *Regis* & *Magiſtratus*, certe in promiſcuo linguæ Latinæ uſu, ſeu in illis Scriptoribus, qui non ita proprie ſecundum diſciplinam juris regii, pro ut id poſtea conſtitui tandem cœpit, loquuntur, de quibus illud negatum fuerat, negando cum diſtinctione, *neque Latine*, *neque Juridice*, ita appellatos. Quin immo ipſum Pomponium Jctum in Enchiridio de Origine Juris, incluſiſſe in ordinem, numerum, & appellationem *Magiſtratuum* etiam Reges Romanorum, ſine ulla vel minima differentiæ nota a reliquis continenter ſubjectis Magiſtratibus, & ita ut in eo ipſo §. ubi de Regibus agit, præmittat iterum generalem Magiſtratuum mentionem his verbis: *Quod ad Magiſtratus attinet*. Quid vero ad hæc? Reſpondetur, non dicere tamen Pomponium, *Reges fuiſſe Magiſtratus*. Eodem plane modo, quo olim Ariani, negantes τὸ ὁμοούσιον Chriſti, etiamſi juſtis rationibus ex Scriptura S. pro-

S. probaretur, Orthodoxis tamen ingerebant aſſidue, non occurrere illud diſerte in Sacris Codicibus. Quod vero ad reliquos Latinæ Linguæ Scriptores attinet, reponitur. *Non puto, Latinos unquam eos, qui τὸ κύριον in civitate habent, Regesque ἀνυπευθύνους appellare Magiſtratus, ſed bene Reges, nomine tales, qui ſubjectum legibus & populo imperium tenent; quales qui omnes putant eſſe Reges, poſſunt eos appellare Magiſtratus, ſuo arbitratu, non more Latino, neque Juridico.* Per fidem tuam, Lector, quid eſt invertere ſtatum quæſtionis, ſi hoc non eſt. Affirmatum erat, de pleriſque Regibus primorum temporum, fuiſſe reipſa *Magiſtratus*, h. e. ſubjectos populo. Reſponſum, non modò non fuiſſe, ſed neque unquam ſic appellatos, *neque Latine, neque Juridice*. Jam vero, quum id exemplis declaratum eſt, reſtringitur iſthæc appellationis quæſtio ad Reges omni populo ſine controverſia majores, qui τὸ κύριον in civitate habeant, qui ſint

vere ἀνυπεύθυνοι, quales neque *Magiſtratus* appellari poſſunt, neque ab ullo pro Magiſtratibus haberi; ut adeo nulla de talibus fuerit, nec eſſe potuerit controverſia, ſiquidem tales fuiſſe primos illos Reges negabatur eo ipſo, quod illos revera fuiſſe *Magiſtratus* affirmabatur.

III. Hoc autem ingenio qui ſunt, incaſſum cum illis veritas rerum reconditarum, ſeu malis antiquarum, indagatur, ſiquidem nunquam quicquam ita bene erit dictum, aut liquido expoſitum, quin illi ſemper aliquid quaſi obtorto collo in contrarium rapiant, &, ſi ingenio ac eruditione valent, atque harum contentionum ſunt gnari & callidi, facile etiam aliquid inveniant, quo poſſint pulverem in hoc ſtadio ciere: quod ſi nihil inveniunt, vel ſic tamen ſecus pro auctoritate ſua pronunciare non vereantur, ſatis certi pauciſſimos reperiri hoc tempore, quo plerique ab interioribus Literis abducuntur, peritos rerum Arbitros. Quæ ratio in hac de Prætorio controverſia

inea-

eatur, Hypſea cæciorem eſſe oporſt, qui non videat. Affirmatur a me, *Prætorium* de re Urbana uſurpatum gnificare corpus Prætorianorum militum, τάγμα δορυφορικὸν, ut loqui mat Dio; ſententia adeo vulgata, ut etiam in Lexicis compareat, exemplis aliquot declarata: vel etiam locum, ubi hi milites in ſuburbio tendebant, qui in Lapidibus appellatur plerumque *Caſtrum Prætorium*, unde ſubmittebantur cohortes, quæ per vices ſtationem agerent ad palatium Cæſarum. Ipſum vero hoc Palatium, vel ejus aliquam partem, ubi vel Imperator, vel Præfectus prætorio jus dixerit, nunquam appellari *Prætorium*, certe non Pauli, vel etiam primorum Cæſarum, ſatis laxi ſpatii, tempore, neque apud ullos ejus ætatis Scriptores, ſane quam multos, neque apud JCtos, quorum ex libris Pandectarum opus eſt conflatum. In alia vero omnia quia abit adverſa ſententia, idcirco loca a me allata ex Tacito & Suetonio, quæ manifeſte de mili-

militibus agunt, quæſitiſſimis & alieniſſimis explicationibus eludere conatur, licet locum ipſa nullum ex tot Latinis Scriptoribus, ubi hoc vocabulum reperiatur, adferat, immo fateatur, *fortean vix unquam apud Latinos Scriptores inveniri Prætorium de Cæſaris Aula*, cauſa etiam addita, quod *militare*, & ideo *odioſum* in Vrbe *eſſet vocabulum*. Nihilo tamen minus vult & jubet omni modo accipi hoc vocabulum, ubicunque occurrat rem Vrbanam notans, tanquam poſitum pro Palatio vel ejus parte: & ita, ut ſuam hanc ſententiam dicat *liquidiſſimam*, &, *quam ſi antehac probandam ſuſcepiſſet*, *Lectorem illudi ſibi crediturum*, *putaſſet*, meam autem *inexſpectatiſſimam*, ad quam e verbis Pauli imprimis *exprimendam multa inopia veri opus ſit*.

IV. Sed nos his miſſis rem ipſam, extra quam evagari ad aliena nolumus, ut ſolent, qui rationibus ſuccumbunt, agemus, in quo Tuum, mi lector, quisquis eris, arbitrium, tua exiſtimatio

o per me valeat licet, modo adeſſe
quo animo, & bona fide judicium
rre velis. Extra controverſiam nobis
t, *Prætorium* prima & antiquiſſima
gnificatione denotare tabernaculum
aſtrenſe ſummi Ducis, ſeu Impera-
oris, qui veteri lingua Latina *Præ-
or* appellabatur: eadem ratione, qua
ohors militum, quæ in acie ſemper
erſabatur circa ſummum illum Ducem,
x in caſtris tendebat & excubabat ad
pſius Prætorium tabernaculum, di-
cebatur *cohors Prætoria*. Erat ergo
primus vocabuli hujus uſus caſtrenſis.
Sed quia per bella, quæ gerebant Ro-
mani, pacatæ tandem ſunt regiones in
quibus bella gerebantur, & in provin-
ciæ formam redactæ, ac denique ab
ejusdem imperii & poteſtatis Præſidi-
bus, ſeu ab illis ipſis militum Impe-
ratoribus adminiſtratæ; hinc factum,
non modo, ut illi Præſides in pro-
vinciis æque ac in caſtris appellati
ſint etiam *Prætores*, ſive eſſent pro-
prie ceteroqui Proprætores, ſive Pro-
conſules, ſive Legati Conſulares, ſed
& ut

& ut ipſorum habitationes in pacatis illis provinciis, earumve Vrbibus, itidem ut in caſtris, dicerentur *Prætoria.*

V. Quæ ſignificatio, ut manifeſtum petita eſt a ſimilitudine tabernaculi ſeu habitationis caſtrenſis, non vero ab exemplo Cæſarum Prætorii, quod in Vrbe R. fuerit, ut ſentire videtur adverſa pars, ſcribens §. 6. *Provinciales & Græcos Prætoria ſcilicet exemplo ejus, quod in Vrbe erat, apud ſe non modo habuiſſe, ſed etiam vulgo appellaſſe.* Nam ſi provinciales apud ſe loca ſeu domicilia Præſidum appellaſſent *Prætoria* ad exemplum ejus, quod in Vrbe erat, quodque ab adverſa parte exponitur fuiſſe *pars palatii tempore Cæſarum*, neceſſum foret, ante Cæſares ejuſmodi Prætoria in provinciis nulla fuiſſe, vel Prætorum ſeu Præſidum habitationes in Vrbibus provincialibus antea non fuiſſe appellatas *Prætoria.* At vero falſum eſt, ut dicitur, poſterius hoc; Proinde & prius. Siquidem aliquot annis,

is, antequam natus eſt Auguſtus, a quo demum id controverſum nobis *Prætorium* eſt ortum, Cicero Verrem accuſans, qui Siciliæ præfuerat, habitationem ejus in Vrbe Syracuſarum lib. V. Act. 2. modo *domum Prætoriam, quæ Regis Hieronis fuerit*, cap. 12. ſeu *domum Regiam, quæ Regis Hieronis fuit, qua Prætores uti ſolent*, cap. 31. modo ſimpliciter *Prætorium* vocitat. Veluti cap. 35. *Affertur nocte intempeſta gravis hujus mali nuncius Syracuſas, curritur ad Prætorium, quo iſtum e convivio reduxerant paulo ante mulieres.* Et iterum cap. 41. ſed ita, ut diſerte iſtic a *Foro*, ubi Prætor jus dicebat, diſtinguatur, utque appareat, haſce Præſidum ædes non appellatas *Prætoria* a juriſdictione ibi exercita, ſed ſimpliciter, quod eſſent *Prætoria domus*; ſeu quod in ſuam habitationem iis uteretur Prætor, ſicuti Prætor caſtrenſis caſtrenſi tabernaculo. *Hæc*, inquit, *poſteaquam conſtituta ſunt*, ſcil. inter Verrem & Cleomenem, *procedit iſte* (Ver-

(Verres) *repente e Prætorio, in Forum venit, nauarchos vocari jubet.* Manifeſtum ex his, non ergo hanc certe, quod volebat adverſa pars, ut nec pleraſque alias iſtius vocabuli ſignificationes referendas ad exemplum conficti in Urbe R. Prætorii, ubi Cæſares jus dixerint.

VI. Sed neque referendæ ſunt, nec a me relatæ ad illam prætoriarum cohortium ſignificationem, tanquam primam, licet id adverſa pars meam in invidiam innuere videatur, dum agens de ea ſignificatione, qua Prætorium notat inſigniora ædificia in agris, monet, §. 8. *in omni tranſlatione tropica civilitatem ineſſe debere; nullam autem ſpeciem eſſe, aut occaſionem tropi ſeu tranſlationis, domos inſignes appellandi Prætoria, ſi Prætorium non fuerit domus, ſed numerus hominum; caſtra ſparſa, vel cohortes in aliquot hominum millia diffuſæ.* Nemo hæc legens aliter arbitrabitur, quam illum, qui iſtic oppugnatur, ſic ſentire: Prætorium primitivo uſu neutiquam ſignifi-

rificare habitationem aliquam, ſed tantum cohortes prætorias, a quo proinde reliquæ ſignificationes ſint deducendæ. Quod de me quam a vero ſit alienum; liquere cuilibet poteſt ex nupera mea Diſſertatione; in qua non modo antiquiore loco retuli illum agreſtis *Prætorii* uſum, ſed & §. 15. unice de eo egi tum exemplis probando; tum proxime repetendo a tabernaculo ſeu prætorio caſtrenſi: quod & §. 14: dixeram eſſe primæ ſignificationis, a qua potiſſimum reliquæ ſint derivandæ: Nempe quoniam in caſtris Tabernaculum, ubi manebat ipſe exercitus totius Imperator, appellabatur proprie *Prætorium*, idque forma ſua, quæ erat rotunda in modum templi, tum altitudine, unde erat omnibus etiam e longinquo conſpicuum, ut ex Plutarcho in vita Bruti conſtat; denique ſplendore & magnificentia longe eminebat præ omnibus aliorum tabernaculis, hinc factum eſſe diximus; *ut per quandam ſignificationis ſimilitudinem etiam ſumptuoſiſſimæ quæque villæ at-*

 que

que ædificia extra Vrbem, in quibus dominus ipſe, ruſticari quum vellet, manere ſolebat, appellata quoque fuerint Prætoria, quia longe item ſupra ruſticorum tuguria & caſas eminebant. Sic vides, Lector, in me, qui quidem *Prætorium* in Vrbe R. per prætorias cohortes expono, incaſſum tamen jactari illam admonitionem *civilitatis, quæ in omni tranſlatione tropica ineſſe debeat.* Ceterum quæ tandem, obſecro, eſt in eo civilitas tranſlationis, quæ immo ſpecies tropi, quando a parte aliqua Palatii, ſeu ejus conclavi, quod unice juri publice dicundo fuerit deſtinatum, derivatur ſignificatio ampliſſimorum ædificiorum, quæ opulenti & potentes viri, non juris dicundi, ſed voluptatis & manſionis gratia in prædiis ſuis exſtruere ſolebant?

VII. Egimus hactenus de ſignificationibus utrimque receptis, nunc videndum, an recte his addiderim illam, quæ notet prætoriarum cohortium corpus, rejecerim vero eam, quæ palatium

tium Cæſaris, vel proprie ejus partem, ſeu conclave aliquod publicum, in quo publice jus fuerit dictum, notare dicitur. Poſterius hoc, quod in rejiciendo conſiſtit, meum eſt, & in eo ſine ulla hæſitatione perſevero. Prius illud vetus eſt, & commune mihi cum vivis & mortuis. Nam ſic in vulgatiſſimo jam & præſtantiſſimo Lexico, ſeu Theſauro Eruditionis Scholaſticæ: *Prætorium etiam dicebantur prætoriæ cohortes.* Et dein, *quibus qui præerant Præfecti prætorio appellabantur.* Sed & inter JCtos Vir Eruditiſſimus Franc. Hottomannus in Magiſtratuum Romanorum deſcriptione de Præfecto prætorii agens: *Unde autem dictus ſit, demiror eſſe, qui ambigant, cum Aſconii exſtet auctoritas:* Veteres, *inquit*, omnem Magiſtratum, cui pareret exercitus, Prætorem appellaverunt. Unde & Prætorium, tabernaculum ejus dicitur, & in caſtris porta Prætoria, & hodie quoque Præfectus prætorio. *Quibus ex verbis perſpicuum eſt Præfectum præ-*

 torio

torio dici eum, qui militibus iis præerat, quos Imperatores in ſui cuſtodiam allegerant. Liquida certe, & clara eſt hæc Hottomanni ſententia. Ea vero ſi inſuper ex Aſconii verbis perſpicua eſt, ut ille affirmat, res pene erit confecta, ſiquidem Aſconius D. Pauli tempore vixit, linguamque Latinam, utpote Grammaticus & Ciceronis Interpres, optime intellexit. Et ſane manifeſtum arbitror, illum etiam deducere *præfecti prætorio* appellationem, non a re Vrbana, ſeu Vrbana alicujus habitatione, ſed a re militari: nec a Cæſaribus, ſed ab illis Magiſtratibus, quibus pareret exercitus, qui idcirco dicti *Prætores*, nomine, quo nunquam appellati Cæſares ipſi, ſed quod dabatur illorum Legatis, illis ſupra hujus appellationis ſeu dignitatem ſeu mediocritatem longe evectis. Quod ſi ita, *Prætorium* in iſta Præfectorum appellatione ex ſententia Aſconii non rem natura ſua mere Vrbanam, domicilium ſcilicet Cæſaris in Vrbe, nec ejus partem,
judi-

judiciis exercendis deſtinatam; deſignat, ſed potius milites, ſeu partem aliquam exercitus, vel rem origine ſua, immo durante etiam tunc uſu, caſtrenſem, a Prætore caſtrenſi ſic appellatam, hoc eſt; Prætorias cohortes.

VIII. Ceterum ut illa ſignificationis derivatio ex caſtris, quam facit Aſconius, magis confirmetur, nos heic primo ejus analogiam, deinde uſum oſtendere conabimur, quantum oſtendi utrumque poteſt. Nec enim exſpectanda auctoritas antiqui alicujus Scriptoris, qui diſerte, quaſi jam tum gnarus exortæ inter nos controverſiæ, dicat, *Prætorium ſunt Prætoriæ cohortes.* Nihil frequentius in Linguis, Latina & Græca, quam ut Nomina, quæ appellantur Subſtantiva, vel etiam Adjectiva frequenti uſu in Subſtantivorum naturam quaſi redacta, accipiantur, ut dicitur, collective pro numero & multitudine hominum. Sic enim non tantum *Familia* paſſim occurrit poſitum pro multitudine famulo-

mulorum, quam quis habet, ſed & *Servitium* pro corpore, ſeu toto genere ſervorum. Plaut. Curcul. 2. 3. 21. *Ita nunc ſervitium eſt*, h. e. ita, ſeu iis moribus nunc ſunt ſervi. Cic. Verr. V. initio. *Quid igitur? nulline motus in Sicilia ſervorum, nullæne conſenſiones factæ eſſe dicuntur? Nihil ſane, quod ad S. P. Q. R. pervenerit, nihil, quod iſte Romam publice conſcripſerit. Et tamen cœptum eſſe in Sicilia moveri aliquot locis ſervitium ſuſpicor.* Quid heic *ſervitium* aliud, quam multitudo, & corpus ſervorum, qui erant in Sicilia? Similiter *Officium* pro ipſis Officialibus, ut poſtea dixere, ſeu miniſtris alicujus Magiſtratus crebro item occurrit. Plin. Paneg. *Ipſius quidem* (Imp. Trajani) *officium tam modicum, ut antiquus Conſul incedere videretur.* Atque hinc in Notitia utriusque Imperii ſubjungitur ſemper illuſtribus muneribus, quæ illic memorantur, ſuum *officium*, idque ſingillatim exponitur, & eſſe dicitur, *Cornicularius*, &c. Jam *Conſilium* pro iis omnibus poni, qui

ſunt

ſunt alicui a conſilio, & in conſilio, ſeu pro ipſis conſiliariis, vel pueris notum. Audiamus Cicer. Verr. V. *Vtrum vobis Conſilium recitari tandem Prætoris videbatur, quum audiebatis Nomina, an Prædonis improbiſſimi ſocietas atque comitatus. En fœderum interpretes, ſocietatis pactores, religionis Auctores.* Liquidiſſime *Conſilium* pro ipſis hominibus poſitum, quorum nomina recitata & audita dicuntur. Quin immo ſic & *Auditorium*, ejusdem prorſus formæ vocabulum, denotare frequenter ipſos Auditores, eorumque cœtum, ſeu corpus, jam docuit Valla. Sed quid moramur? quum ipſum Illud *Prætorium*, de quo quærimus, extra controverſiam priſcis Scriptoribus fuerit adhibitum ad deſignandum cœtum Prætorianorum, ſeu eorum, qui in Prætorio caſtrenſi quotidie verſabantur, & Prætori ſuo præſto erant, usque dum ſigno buccina dato dimitterentur. Certe Lipſius de Mil. Rom. lib. II. dial. 5. monuit *ſumi Latinis vocem Prætorii non pro*

loco ſolum, ſed & pro conventu, & hominibus, qui in eo loco, adferens verba Livii, *Tribunis edicit, ut ubi, Prætorio dimiſſo, ſigna concinuiſſent, &c.* Iterum, *Priusquam Prætorium dimitteret, denunciat &c.* Rurſus *Fulvius dimittens Prætorium, Tribunis militum imperat.* Similiter lib. XXI. c. 54. idem Livius Annibalem ipſum exploraſſe locum quendam inſidiis oportunum refert, & dixiſſe fratri: *Hic erit locus quem teneas. Delige centenos viros cum quibus ad me vigilia prima venias. Nunc corpora curare tempus eſt.* Subjungit his Livius continuo: *Ita Prætorium miſſum*, ſine ulla mentione Prætorii tabernaculi, ubi hæc agitata ſint, ut adeo *Prætorium* iſtic ſimpliciter pro ſtipatoribus, & comitibus Hannibalis, quos penes ſe habuerit in perluſtrando iſthoc loco, poni videatur. Jam vero, ſiquidem Latinis id adeo frequens, ut ejusmodi vocabula Singularis Numeri, & Neutra, adhibeantur pro multitudine & corpore hominum ejus generis, quod

iſtis

iſtis vocabulis proxime denotatur; interque ea ſit etiam ipſum *Prætorium*, ſine controverſia notans cœtum hominum, ſive in Prætorium caſtrenſe convenientium, ſive Prætoris lateri hærentium: horum autem utrorumque vel maxime præcipui fuerint Prætoriani milites, ſeu *Prætoria cohors*, quæ ita *dicta*, teſte Feſto, *quod a Prætore non diſcedebat*; rogo itaque te, & obſecro, mi Lector, cogites, annon peroportuna & uſitata prorſus analogia (nam de ea nunc ſola agimus, uſum & exempla mox videbimus) *Prætorii* vocabulum in caſtris dari potuerit præcipue Prætorianis illis militibus, a prætorio caſtrenſi, ſeu prætoria cohorte ſic dictis: Tum annon, quum Auguſtus prætorias ſuas cohortes ex caſtris in Vrbem R. ſecum deduceret, corpus iſtorum militum *Prætorii* quoque appellationem, æque ac *prætoriarum cohortium*, ex caſtris traxiſſe veriſimile ſit: Vel etiam ſimpliciter, annon prætoriæ illæ cohortes, in V. R. inductæ, & dein ſepa-

rato loco, qui etiam dicebatur *Prætorium Caſtrum*, ſeu *Prætoria caſtra*, agentes, commode & appoſite prorſus ſecundum Linguæ Latinæ uſum appellari potuerint *Prætorium*; plane ſicuti conſiliarii alicujus Magiſtratus *Conſilium*, Officiales *Officium*, Servi *Servitium*?

IX. Certe ego ſic arbitrer, tanto magis, quoniam & in Lingua Græca obtinet eadem prorſus analogia, idemque uſus, huic *Prætorii* vocabulo ſecundum meam interpretationem ita reſpondens, ut nihil poſſit dari convenientius. Ioſeph. Antiq. Iud. XIX. 1. ἡ δὲ γυναικωνῖτις καὶ τὸ νεώτερον ἡδοναῖς ἀνειλημμένοι h. e. *mulieres & adoleſcentes voluptatibus abrepti*. Similiter milites paſſim Græcis appellantur τὸ στράτευμα, &, quod maxime hic notandum, τὸ στρατιωτικόν. Ibidem Ioſephus, τινὲς τοῦ στρατιωτικοῦ. Plutarchus in Galba, ἔπεισε τὸ στρατιωτικὸν, Αὐτοκράτορα Γάλβαν ἀναγορεῦσαι. Manifeſte in his τὸ στρατιωτικὸν pro τοῖς στρατιώταις h. e. militibus, qui aliquo in loco conjuncti agunt, ſeu cor-

pore militum, quod alicubi eſt. Sed magis adhuc & propius ad propoſitam accedit quæſtionem, quod hi ipſi *Prætoriani milites* uno item vocabulo Græcis dicuntur τὸ δορυφορικόν. Sic Dio paſſim. Veluti lib. LIX. Κάσσιος Χαιρέας, καὶ Κορνήλιος Σαβῖνος χιλιαρχίας ἐν τῷ δορυφορικῷ ἔχοντες h. e. *Tribunatus in Prætorio, ſeu prætoriis cohortibus obtinentes*. Mox iterum: ἐπεὶ δὲ τὸ δορυφορικὸν ἐταράττετο, καὶ διαθέοντες ἐπυνθάνοντο, ὅς Γάϊον ἔσφαξεν, h. e. *Quum vero Prætorium turbaretur, & diſcurrentes rogitarent, quis Gajum interemiſſet*. Quin immo qui his militibus præerant, ſicuti Latine dicebatur modo *prætorii*, modo *prætoriarum cohortium præfectus*; ſic plane Græcis modo τοῦ δορυφορικοῦ, modo τῶν δορυφόρων ἄρχων vel ἔπαρχος. Dio lib. LV. *Tum vero primum etiam* ἐπάρχους τῶν δορυφόρων *duos conſtituit*. At lib. LX. Iuſtum Catonium Præf. prætorii ſub Claudio τοῦ δορυφορικοῦ ἄρχοντα, ſicuti Burrhum ſub Nerone ἔπαρχον τοῦ δορυφορικοῦ lib. LXI. vocat. Quid cla-

clarius, quid Latinis vocabulis convenientius dari queat? δορυφόροι ſunt milites prætoriani, τὸ δορυφορικὸν eſt corpus illorum militum, h. e. *Prætorium*, de quo quæritur. Habemus tamen his adhuc planiora, & Latinis vocabulis omni ex parte, non modo quod ad Analogiam, ſed & ſignificationem, reſpondentia. Nam δορυφόροι dicebantur quidem illi milites, non tamen, ut in Latina Lingua, a Prætore ſeu Imperatore militum deducta appellatione, ſed quod tuerentur ſalutem Cæſarum, eorumque eſſent ſtipatores; qui Græcis a lancea quam geſtare apud illos ſolebant, dicti. At vero ſignificatio quoque Prætorianorum militum exhibetur, quum eos Græci, ut fuere ſatis locupletes verborum, appellant etiam στρατηγικοὺς, vocabulo, quod a στρατηγῷ, quo proprie ipſe *Prætor* ſeu Dux totius exercitus notatur, formatum. Plutarch. Galba, δωρεὰν ὑπέσχετο τοῖς αὐλικοῖς καὶ στρατηγικοῖς προσαγορευομένοις. *Donativum promiſit militibus Aulicis, qui Prætorii appellantur.*

tur. Nempe erant, & a Plutarcho dicuntur *Aulici*, quoniam circa Aulam excubias agebant, & ſic ad Aulam quodammodo pertinebant: ſed proprie tamen & vulgo cognominabantur *prætorii* ſeu *prætoriani*, quoniam eorum cohortes in caſtris jam dictæ *prætoriæ*, & inde in Vrbem tranſlatæ, retinuerunt ut munus ſuum tuendi ſalutem imperatoris, ſic & nomen proprium. Atque ita idem Plutarchus in Antonio refert Octaviam Auguſti ſororem ad Antonium adduxiſſe ἐπιλέκτους στρατιώτας δυσχιλίους εἰς στρατηγικὰς σπείρας h. e. *ſelectos bis mille milites in cohortes prætorias*, ſeu in earum ſupplementum. Jam vero harum στρατηγικῶν σπειρῶν τάγμα, *prætoriarum cohortium corpus*, ut Latinis *Prætorium*, ſic Græcis eodem etiam modo dicebatur τὸ στρατηγικόν. Joſephus XIX. 2. referens cædem Gaji Caligulæ, τῶν σωματοφυλάκων, inquit, οἱ περὶ τὸ στρατηγικὸν καλούμενον, ὅπερ ἐστὶ τῆς στρατιᾶς καθαρώτατον, ἐν βουλῇ περὶ τοῖς πραχθέντοις ἦσαν: *Ex corporis Cuſtodibus* (qui varii erant;
erant

erant enim & Germani, & alii) *illi qui appellantur Prætorium, quod* corpus militum, ſeu quod Prætorium *eſt puriſſimum* ſeu *integerrimum totius exercitus*, qui ſcilicet fuit ad Urbem, vel in Urbe, *in deliberatione erant de rebus agendis.* Nam οἱ περὶ τὸ στρατηγικὸν καλέμενον idem eſt prorſus, ac ſi diceretur ſimpliciter in primo caſu τὸ στρατηγικὸν καλ. ratione loquendi Græcis omnibus, ut notum eſt, frequentiſſima. Atque ita ipſe Joſeph. xx. 5. Τὲς δὲ περὶ Ανανίαν τὸν Αρχιερέα, καὶ τὸν στρατηγὸν Ανανὸν δήσας, Et ibid. οἱ περὶ Κεμανὸν δὲ, καὶ τὲς πρώτες τῶν σαμαρέων ἀναπεμφθέντες εἰς Ρώμην. Quæ a nemine aliter exponi poſſunt, quam ſimpliciter, *Vinciens Ananiam ſummum Sacerdotem, & Ananum præfectum templi*; Dein, *Cumanus & primores Samaritarum Romam miſſi.* Confirmatur autem ex his vel maxime non tantum ſignificationis analogia, ſed & uſus controverſi illius *Prætorii*, ut a me & aliis accipitur, ſiquidem dicitur τὸ καλέμενον στρατηγικὸν h. e. Corpus, *quod*

pro-

proprie *Prætorium appellatur*: & præterea vocabulis *Prætor* & *Prætorius* omni modo reſpondent Græca ϛρατηγὸς & ϛρατηγικὸς, adeo ut ubicunque *Prætor* Latinum occurrit, id verti poſſit & ſoleat a Græcis per τὸ ϛρατηγὸς. Quapropter ſicuti Latinis vir Prætura functus proprie dicitur *Prætorius*, ſic & Græcis proprie item ϛρατηγικὸς: Sicuti cohortes ad tuendum Imperatoris latus & ſalutem, illis *Prætoriæ* cohortes, ſic Græcis ϛρατηγικαὶ σπεῖραι: Denique ſicuti illarum cohortium corpus, ſeu agmen Latinis *Prætorium*, ſic Græcis τὸ ϛρατηγικὸν, ſcil. τάγμα vel χρῆμα, quemadmodum τὸ ϛρατιωτικὸν, τὸ δορυφορικόν.

X. At vero ego heic ſignificationem & uſum controverſi vocabuli non tam ex aliena, quam ex ſua lingua probare annitar. Quod tamen antequam aggrediar, vellem ſane, communem eſſe nobis quandam interpretationis normam. Conſtituam itaque ego, quam nemo æquus facile recuſaverit: nempe, in controverſa alicujus vocabuli ſig-

ſignificatione conquirenda eſſe, & conferenda inter ſe loca, quæ illud nobis ſervarint; tum diligenter in iis ſingulis ad antecedentia & conſequentia, ſeu ad rem, de qua iſtic agitur, & de qua hoc præcipue vocabulum adhibetur, attendendum; Poſtremo alia quoque loca ex iiſdem Auctoribus ad partes vocanda, ubi de eadem re aliis illi verbis, & pleniori locutione utantur, ut ſic tandem ex his omnibus certa illius vocabuli ſignificatio eruatur & conſtituatur. Jam vero nullus adhucdum locus apud ullum Latinæ Linguæ, ſub primis Imperatoribus laxo ſatis ſpatio ſumptis, immo & ſub poſterioribus, ſcriptorem, ab adverſa mihi parte, vel a quoquam eorum, qui ipſi præiverunt, oſtenditur, ubi id *Prætorii* vocabulum de re judiciaria, vel politica, vel non militari, quæ fuerit, aut geſta ſit in ipſa Vrbe R. uſurpatum occurrat. Attuli e contrario non modo loca, per quæ etiam in provinciis, etiam poſteriori ævo, *Palatium* & *Prætorium* diverſa prorſus ædi-

ædificia fuiſſe liquet, ſed & tria alia ex proximis Paulino ævo Scriptoribus, Suetonio & Tacito, in quibus controverſa vox reperitur, & in quibus, ut & aliis nunc addendis, agitur de cohortibus prætoriis, ſeu prætoriana militia, ſine ulla alterius rei, quam denotare ea vox potuerit, mentione. Denique *Præfecti prætorio* appellationem contuli cum aliis ejuſdem muneris appellationibus, quibus vocatur *præfectus prætoriis cohortibus*, vel *prætorianis militibus*. Nunc vero heic primum tria illa loca repetemus, ut ſimul frigidiſſimas, & longiſſime petitas eorum interpretationes, quæ, pro obviis & appoſitis, nobis obtruduntur, omnium oculis exponamus, & ſingula aliis ſimilibus inſuper confirmemus.

XI. Primus erat locus Suetonii in Ner. cap. 9. *Antium coloniam deduxit, adſcriptis Veteranis e Prætorio.* Milites fuiſſe hos *Veteranos ex Prætorio*, nullum eſt dubium, nec in dubium ab adverſa parte vocatur.

Sed dicitur, *Milites prætoriani ad Prætorium pertinebant, ibi per vices ſtationem habebant, illic eorum numeri*, (intellige iterum *per vices*, & tantum *unius cohortis*: ceteroqui falſum, quippe quum eorum numeri in unum corpus conjuncti, non iſtic, ſed in prætoriis caſtris fuerint) *inde nomen habebant: Miles e Prætorio, ſcilicet Palatino, unde nomen, decus, & ſtipendium habebat.* Quam impedita & ſalebroſa hæc ſit expoſitio, ex ipſis ejus verbis quaſi per gradus quoſdam in hanc ſententiam contortis, haud difficilè eſt cognitu. Et vel ſic tamen manet certum, nihil ex iſta locutione, & ex illo loco pro Palatio vel ejus parte poſſe elici, poſſe multum pro certo genere militum: id quod ex Tacito, & variis Inſcriptionibus, denique ex ſimili plane locutione Græca clarius adhuc probabimus. Nam ſicuti Suetonius, ſic plane Tacitus Hiſt. II. 11. *Othonem comitabantur ſpeculatorum lecta corpora, cum ceteris prætoriis cohortibus, Veterani e prætorio,*

torio, claſſicorum ingens numerus. Quid hic aliud eſſe queunt, *Veterani e prætorio*, quam Veterani milites ex cohortibus prætoriis, quas ipſas heic memorat Tacitus, & quæ una cum illis Veteranis Prætorianorum, peculiare vexillum, ut fieri ſolebat, conſtituentibus, comitabantur Othonem ad bellum contra Vitellium prodeuntem. Et, quemadmodum hic Tacitus, *e prætorio*, ſic alibi *e prætorianis*. Hiſt. l. 80. *Armandæ ejus cohortis cura Vario Criſpino Tribuno e prætorianis data.* Alterum ex altero explicandum. Similiter vero in vetuſtis lapidibus. Veluti apud Gruterum DXXIV. 8. *C. Atucio. Albano. Veterano. Ex. Prætorio.* DXLVII. 3. *L. Julio. Quarto. Vet. Ex. Pr. N. Gallo.* h. e. *Veterano ex prætorio, natione Gallo.* ut nemo in his verſatus ignorat. DLII. 7. *M. Maternio. Quintiano. Veterano. Ex. Prætor.* Et ſic alibi. Ceterum quomodo hæc intelligenda ſint, colligitur ex eo, quod ſæpe item Veteranus quis fuiſſe dici-

tur ex aliqua *cohorte prætoria*, quæ utique eſt militare corpus, licet minus, & pars totius *prætorii*. Sic DXXVII. 2. *M. Aurelio. Feſtino. Vet. Ex. Coh. III. Pr. Augg. NN.* h. e. *Veterano ex cohorte tertia prætoria Auguſtorum noſtrorum*. Similiter DXLV. 7. & innumeris pene aliis locis, *Miles ex cohorte prætoria*, vel *cohortis prætoriæ*. Quid diſcriminis vero inter has & illam locutionem, niſi quod illâ ſimpliciter quis dicitur fuiſſe ex toto corpore prætorianæ militiæ, his ex aliqua ejus parte? Sed jam conferamus etiam Dionis Græcam phraſin cum hac Latina, cujus auctoritatem Adverſa certe pars defugere non debet, ſiquidem ejus Græco quodam vocabulo in adſtruenda Urbani *Prætorii* ſignificatione unice nititur. Ille ergo lib. LV. ubi refert, quæ præmia emeritæ militæ ab Auguſto fuerint conſtituta partim legionariis, partim prætorianis militibus, hoſce appellat τοὺς ἐκ τοῦ δορυφορικοῦ. Quod quid aliud eſt, quam *Milites e Prætorio*, ut hoc
a me

a me accipitur pro corpore militum?

XII. Secundus Suetonii item locus ex Ner. cap. 47. agit iterum de Militibus, ſiquidem Nero iſtic *Tribunos Centurionesque Prætorii de fugæ ſocietate tentaviſſe* dicitur. Cum quo loco conferri velim Inſcr. 8. pag. 258. Gruter. quam poſuere Marco Imperatori *Petronius. Mamertinus. Et. Gavius. Maximus. Pr. Pr.* (h. e. *Præfecti Prætorio*) *Tribuni. Cohortium. Prætoriarum. Decem. Et. Urbanarum. Trium. Centuriones. Cohortium. Prætoriarum. Et. Urbanarum. Cohortes. Prætoriæ. Decem. Et Urbanæ.* X. XII. XIII. Nempe quos Suetonius appellat. *Tribunos & Centuriones Prætorii*, illi heic dicuntur *Tr. & Cent. Prætoriarum cohortium.* Immo in una hac Inſcriptione legas *Præfectum prætorii*, & *Tribunos ac Centuriones Prætoriarum Cohortium.* Cauſa eſt, quod *Præfecti* plerumque ſic breviter appellabantur; & præterea omnibus cohortibus ſimul, h. e.

 toti

toti *Prætorio*, præerant, *Tribuni* vero ſingulis cohortibus in *Prætorio*, ſicuti *Centuriones* ſingulis partibus in iſtis cohortibus. Quapropter & Tacitus An. III. 14. *Tribunum prætoriæ cohortis* memorat, haud dubie ejus, quæ tunc excubabat ad Palatium. Sed tamen ſicuti recte *Tribuni & Centuriones* hujus aut illius *Legionis* dicuntur paſſim, ſic & a Suetonio recte item *Tribuni Centurioneſque Prætorii* nominantur, quum utrumque ſit æque corpus militum, quod ſuos Tribunos ac Centuriones habet.

XII. Tertius locus, quem nuper attulimus, erat Taciti Hiſtor. IV. 46. ſed maxime notabilis. Retulerat quippe initio ejus Capitis Auctor, *ſeditionem militarem prope exarſiſſe*, ſiquidem *Prætorianam militiam repetebant a Vitellio dimiſſi* (nam is dimiſerat Prætorianos, Othoni prius contra Galbam, dein contra ipſum faventes) *pro Veſpaſiano congregati: Et lectus in eandem ſpem e Legionibus miles* (ut paulo ante habuimus mili-

milites e Prætorio) promiſſa ſtipendia , ſcil. Prætorianorum militum , qui præ ceteris habebant ampliſſima, *flagitabat*. Repetit illud deinceps, ſed brevius, his verbis: *Militiam & ſtipendia orant* , nempe, Prætorianam & Prætoriana, ſeu promiſſa. *Preces erant, ſed quibus contradici non poſſet. Igitur in Prætorium accepti*. Milites, qui heic *in Prætorium accepti* leguntur, annon facti Prætoriani milites? Porro annon manifeſte *Prætorium* brevius heic appellatur, quod antea plenius dicebatur *Prætoriana militia* , ut quam illi milites deſiderabant, & in quam etiam accepti ſunt? Quin immo ponamus ſane *Prætorium* fuiſſe partem Palatii, a qua denominati ſint milites *Prætoriani* , annon vel ſic tamen, quando milites dicuntur *accepti in Prætorium* , intelligi deberet corpus iſtius militiæ; quæ a Prætorio iſto, quod nobis obtruditur, nomen ſuum accepiſſet. Nec enim hanc locutionem proprie de loco quodam, in quem vere *accepti* ſint illi milites,

interpretari poſſumus, certe non de illa Palatii parte, ut ad quam excubias ſolummodo egerunt, neutiquam vel in perpetuum, vel omnes ſimul conjuncti vixere, aut habitavere: id quod faciebant in alio loco, qui ſine controverſia proinde dicebatur *Prætorium Caſtrum*, ſeu *Prætoria Caſtra*, & in quem adeo *accepti* quodam modo poſſent dici, ſed ita, ut vel ſic tamen intelligendum eſſet ea locutione corpus militiæ, quæ iſto loco continebatur. Ut adeo, in quamcunque te partem aut figuram vertas, neceſſario ſtatuere debeas, vocabulo *Prætorii* in iſta locutione deſignari corpus Prætorianæ militiæ, quod volo, & ſentio. Judicet nunc Lector, quam frigida præ hac ſit interpretatio dicentis, hos milites *acceptos in Prætorium*, hoc eſt, & quidem ſine *tropo*, in Palatium ſeu ejus aliquam partem, quoniam *ibi in numeros referrentur, ibi excubarent, VERE que in illud acciperentur*. At quomodo *in illud vere accipi* poterant? Nempe non aliter, quam

quam ut in Palatio (ex adverſæ partis ſententia, ſed quam probare debuiſſet) in numeros relati, inde in caſtra ſtatim concederent, ubi viverent, ubi habitarent, unde modo hi, modo illi per vices evocati, excubias agerent ad Palatium. Hoc eſt adverſæ parti, *vere accipi in Prætorium*, nulla habita alterius loci, in quem unum vere aliquo modo *accepti* poterant cenſeri, ratione.

XIV. Sed quamvis manifeſte ſatis Tacitus ipſe ſignificet, ſe per *Prætorium* in iſta locutione intelligere *prætorianam militiam*, quum utrumque tanquam parallelum & ſynonymum de eadem re in eodem capite pro more Scriptorum verba variantium adhibeat; nos tamen & aliunde eam locutionem de militibus uſurpatam, & de militia prætoriana intelligendam eſſe oſtendemus. Scilicet variæ ſunt Inſcriptiones Lapidum, quæ nobis exhibent milites *ex Legione* aliqua *trajectos in Prætorium*, ejusve certam cohortem; quod quid aliud, quæſo, quam trajectos

ex uno militiæ corpore in aliud honoratius & utilius? Sic apud Gruterum DXXIII. 6. *C. Atilius. C. F. Pom. Creſcens. Militavit. Leg. IX. Annis. VIII. Trajectus. In. Prætorium. Coh. V. Pr. Militavit. Annos. III.* Sic DLI, 2. *Vet. Leg. IV. Scyt. Trajectus. In. Prætor. Coh. VI. Pr.* Et DLII. 1. *Tralatus. Ex Leg XXII. Primig. In. Præt. Coh. VII.* Et DXX. 3. *Militavit. In. Pr. Annis. XVII.* h. e. *in Prætorio*, ut certum ex allatis lapidibus, ex quibus item liquet, veram eſſe meam *Prætorii* interpretationem.

XV. Addam his etiam alium Taciti locum, qui planiſſime iterum declarabit, *Prætorium* in Urbe Roma adhiberi ab eo ad ſignificandum ipſum cohortium Prætoriarum corpus. Eſt is Hiſtor. I. 20. *Exauctorati per eos dies Tribuni, e Prætorio Antonius Taurus, & Autonius Naſo, ex Urbanis cohortibus Aemilius Pacenſis, e Vigiliis Julius Fronto.* Quibus quid clarius, quid certius dari queat ad inveni-

veniendam hujus vocabuli ſignificationem? Nempe tria erant illis temporibus in Vrbe Roma ordinaria militiæ corpora, *Prætoriarum cohortium*, Tum *Vrbanarum*, Denique *Vigilum*, quæ omnia heic memorantur, dum ex ſingulis exauctorati dicuntur quidam Tribuni. Jam rogo Te, Lector, annon ergo de ſingulis illis militum corporibus ſingulæ illæ locutiones ſint interpretandæ; & annon Tribuni iſti *ex Prætorio & Vigiliis exauctorati*, exauctorati fuerint vere ex Prætoriis cohortibus & cohortibus Vigilum, æque ac Pacenſis ille *ex Vrbanis cohortibus*, ut hæ quidem plenius iſtic appellantur, quoniam uno vocabulo exprimi non poterant, ſicuti illæ? Porro autem annon eadem prorſus ſit loquendi ratio in τῷ *Prætorio*, quæ eſt in τῷ *Vigiliis*? Et hoc quidem vocabulum annon certiſſime a Tacito pro cohortibus Vigilum, eorumve corpore adhibeatur? Quæ igitur ratio, immo ſpecies dari poteſt, quare non eodem modo exponatur *Prætorium*, cum

cum Prætoriæ cohortes revera in Vrbe R. fuerint, æque ac Vrbanæ & Vigilum; quum Tribuni illi *Antonii* revera etiam fuerint ex illarum cohortium corpore expuncti & dimiſſi; quumque e contrario alterius ſignificationis, quam adverſa pars huic vocabulo tribuit, nullum prorſus exemplum apud Tacitum aut æquales occurrat?

XVI. Adeo liquida & aperta hæc ſunt, ut verear ne jamdudum Lectorem ſatias ceperit meæ interpretationis amplius probandæ, certe multo potiori jure veritus Ego fuiſſem, ſi antea tanto id egiſſem ſtudio, ne *Lector crederet ſibi*, vel ſtupori ſuo a me *illudi*. Et tamen Adverſa pars: *Proprie quidem nunquam cohortes Prætoriæ, nec Caſtra quidem demonſtrata ſunt voce Prætorii.* Quin immo rogat inſuper; *Vnquamne Latinus aut Græcus Scriptor ullus dixit, Sum in Prætorio, ideſt, inter cohortes Prætorias, aut in Caſtris Prætorianis? Atqui ſic Paulus, in Prætorio*

torio. Qua interrogatione, ſi quid video, non modo negatur iſthæc illius vocabuli ſignificatio, ſed & intenditur, ſi maxime ſignificaret corpus prætoriarum cohortium, aut Prætoria Caſtra, vel ſic tamen illam loquendi rationem cum vocabulo iſtius ſignificationis in Græca potiſſimum lingua (nam ea ſcripſit Paulus) neutiquam cohærere: ut proinde perperam, quod ad rationem loquendi, eo ſenſu dixiſſet Paulus non modo, *ſe fuiſſe in Prætorio*, quod tamen non dixit, ſed &, id quod dixit, *ſuorum vinculorum rationem declaratam in omni Prætorio & in omnibus aliis hominibus*, immó etiam, ſi pro ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ dixiſſet ἐν ὅλῳ τῷ δορυφορικῷ, vel στρατηγικῷ, ſiquidem hæc, quod ad ſignificationem, ut & rationem Grammaticam, eadem prorſus ſunt cum τῷ πραιτωρίῳ, ut a me exponitur. Illa debet eſſe iſtius interrogationis ſententia. Sed quis Græce ſciens vereretur dicere ex. gr. Τοῦτο φανερὸν ἐγένετο ἐν ὅλῳ τῷ δήμῳ, ἐν ὅλῳ τῷ στρατεύματι, vel

στρα-

ϛρατιωτικῷ. Quis item cunctaretur dicere, φαν. ἐγεν. ἐν πᾶσι τοῖς δορυφόροις, ſicut ſequitur apud Paulum, ἐν τοῖς λοιποῖς πᾶσι? Quin immo ipſe Paulus alibi Rom. I. 19. Τὸ γνωςὸν ϛ͂ Θεοῦ φανερόν ἐςιν ἐν αὐτοῖς. An ergo ſimiliter cum iſta præpoſitione, eo in ſenſu prorſus nemo dixerit ἐν τῷ πραιτωρίῳ, vel ἐν τῷ δορυφορικῷ pro ἐν τοῖς δορυφόροις. Certe non ita ſenſit Dio, qui lib. LIX. extr. de Caſſio Chærea, & Corn. Sabino ait, καίτοι χιλιαρχίας ἐν τῷ δορυφορικῷ ἔχοντες, h. e. *quamvis Tribunatus militares in Prætorio*, ſeu *in Prætoriis cohortibus haberent*. Sed profecto nihil frequentius in lingua Græca hujusmodi locutionibus. Neque in Græca tantum, ſed & in Latina, ex qua unum item adferam exemplum. Plin. Epiſt. VI. 2. *Quid jucundius* Oratori, *quam ſub alterius invidia, quamdiu velis, & in alieno auditorio, quaſi deprehenſum, commode dicere:* h. e. in publico judicio inter alienos Auditores, ab alio *corrogatos*, ut in proxime ſuperioribus loquitur de Regulo,

qui

qui in publicis judiciis *audituros corrogare* ſolebat. Attende autem, mi Lector, ad convenientiam Paulinæ ac Plinianæ locutionis. *Dicere* & agere cauſam *in Auditorio alieno*, h. e. inter Auditores alienos: innocentiam ſuam & vinculorum ſuorum cauſam declarare *in Prætorio*, h. e. inter Prætorianos.

XVII. Quod ſi quis omni modo voluiſſet exponi hoc vocabulum de loco quodam Urbis R. unum erat, de quo ſic ſatis commode accipi poſſet, nempe Caſtra Prætoria, ſiquidem illa non tantum in plurali, ſed & in ſingulari appellata fuere *Prætorium Caſtrum*, ut patet ex Variis inſcriptionibus, repertis eo loci, ubi Prætorianorum militum manſio fuit, quas vide apud Gruterum, ut & Onuphrium in Deſcr. Urbis Rom. Hinc vero non abſurde colligas, quoniam non ita frequenti in uſu erat ſingulare illud *Caſtrum*, fuiſſe id per Elipſin plerumque omiſſum. Accedit, quod Græci *Præfectum Prætorio* appellaverunt; tum

tum στρατοπεδάρχην, tum ſæpiſſime ἔπαρχον τῦ ςρατοπέδυ, vel τῶν ςρατοπέδων. Et revera poteſt utroque modo ſumi hoc vocabulum, ut ſignificet tum ipſa Caſtra Prætoria, tum corpus prætoriarum cohortium, quæ in caſtris continebantur, quod poſterius vult & jubet poſterior certe locus Taciti, ut & Græcorum locutiones, quæ *Prætorium* illud ſimiliter plane τὸ δορυφορικὸν, & τὸ ςρατηγικὸν καλϰ́μϑμον, *Præfectumque prætorio* ἔπαρχον τῦ δορυφορικῦ vocitant. Ceterum adverſa pars utrumque rejicit; addens inſuper, *Nemo unquam dixit. Claudius, Otho in Prætorium rapti, in Prætorio Imperatores creati, quod de Caſtris verum eſt.* At vero reperiuntur de his ipſis Imperatoribus Nummi a Doctis editi, in quibus exhibetur Imperator militi ſignis caſtrenſibus ſeu militaribus onerato dextram præbens, cum Inſcriptione non multum ab illis locutionibus diverſa, PRÆTOR. RECEPT. quæ ab ipſis illis Eruditis Editoribus recte exponitur, *Prætorio* h. e. in

Præto-

Prætorium Caſtrum, cujus effigies in Nummis iſtis exhiberi videtur, *Receptus*. Quin immo de ea agens Vir Doct. Ioach. Oudanus (vide eum ad Tabulam XCIII. *Romanæ potentiæ*) controverſum quoque Pauli locum de iſtoc Prætorio interpretatur Caſtro: id quod nunc primum deprehendi, dum ut ferme fit, paulo diligentius nunc, quid etiam alii de *Prætorio* ſcripſerint, inveſtigo.

XVIII. Tu vero mirare mecum, Lector, ab adverſa parte flagitari adeo omnis generis locutiones, quo meæ interpretationi, aliis nec paucis jam probatæ, fides habeatur, quaſi rarius vocabulum vel rarior ejus ſignificatio omnibus, quæ excogitari queant, locutionibus inſtructa eſſe debeat, aut poſſit; cum interim pro ſua interpretatione ipſe ne unicum quidem attulerit locum, ubi *Prætorii* vox occurrat; vel ulla fiat mentio loci peculiaris in Palatio, quem pateat juri dicundo a primis Cæſaribus deſtinatum. Sed quoniam huc devenimus, & jam ſatis ſuperque probatum æquo Lectori, im-

mo & iniquo, neutiquam tamen Adverſæ parti, noſtram *Prætorii* expoſitionem arbitramur, age ſane, inquiramus nunc, an etiam Palatium, vel ejus aliquam partem, ſeu Auditorium Principis in Palatio iſtis temporibus, immo etiam diu poſt, denotaverit eadem vox, id quod negavi antea, atque etiam nunc nego, & pernego. In quo ſufficere mihi, & conficiendæ univerſæ huic diſputationi poteſt, quod neque Adverſa pars, neque illi, apud quos invenio omnia hic contra me diſputata, Faber in Semeſtribus, & Briſſonius in Lexico, ullum attulere locum, ubi iſtius ſignificationis vel minimam ſpeciem controverſa vox præferat. Quin immo, quid amplius deſiderem, quam quod adverſa pars ſingulariis ſuis largitur, *Vulgo & παν-δήμως domum Cæſaris non fuiſſe dictam, Prætorium, ſed Palatium.* Itaque in iſto ſenſu *Prætorii vocem in uſu promiſcuo non occurrere, vulgo nomen Prætorii de Cæſaris Aula rarius, & fortean vix unquam apud Latinos*

Scrip-

Scriptores , & in Deſcriptionibus Vrbis inveniri. Palatii nomen de Cæſarea domo populariter notum , partis ejus , id eſt , Prætorii appellationem abſorpſiſſe. Quin immo *hujus rarioris uſus cauſam omni exceptione majorem eſſe ,* quod Cæſaris domus , quia erat in monte Palatino , appellata vulgo fuerit Palatium , cui addi queat , *fuiſſe heic aliquid* σοφίσματ☉ πολιτικȣ *mixtum ab Auguſto & primis Imperatoribus , ut ſoliti ſint , quicquid auribus inſolens erat , etſi rem tenerent , diſſimulare verbis. Proinde nec mirum, Auguſtum maluiſſe domum ſuam verbo antiquo & loci indice Palatium , quam vulgo Prætorium militari ac odioſo in Vrbe nomine vocari.* Hæc ſi ita ſunt , ut ſunt , & ut rei manifeſta veritas , ſeu potius *inopia veri* ad probandum contrarium , Adverſæ parti expreſſit , quid amplius volumus ? Nam qua de re diſputamus , niſi de *verbis,* ſeu in quem uſum adhibita fuerit vox *Prætorii*, & an etiam denotaverit Vrbanam Cæſaris habitationem , vel ejus

partem. Porro conciliata hæc velim cum adverſa interpretatione. Nam ſi *Prætorii* nomen de Cæſaris Aula fortean vix unquam occurrat apud Veteres, ſi Palatii nomen appellationem *Prætorii* etiam de parte Aulæ abſorpſit, ſi Auguſtus ipſe maluit in Vrbana ſua habitatione deſignanda abſtineri militari ac odioſo *Prætorii* nomine, quæ ergo ratio, ſed λογικὴ, dari poteſt, quare vox *Prætorii*, quando tamen occurrit apud Tacitum, Suetonium, & æquales, de militibus Prætorianis agentes, de Palatio debeat omni modo exponi; immo quare in novi muneris, & ab Auguſto inſtituti, *Præfecturæ prætorii*, appellatione, majorem in modum deinceps frequentata, *Prætorii* vox ſemper adhibeatur ex Adv. partis ſententia pro voce *Palatii*, hæc autem *Palatii* vox nunquam Præfectum ſuum demonſtret, aut ornet, licet ſæpe, quando ſcilicet illius muneris, ſeu *Prætorio Præfecti* appellationem variare volunt Auctores, *Prætoriarum cohortium* mentio ad illum deſignandum fiat. An ergo minor erat

in-

invidia Auguſto metuenda, minor ratio illius σοφίσματος πολιτικοῦ habenda in Præfecto ſui palatii, cujus appellatio ab ipſo primum proficiſci debuit, militari ac odioſo vocabulo appellando, quam in ipſo Palatio? Immo an quæ ratio excogitari poteſt, quare cum Palatium nunquam appelletur *Prætorium*, ejus tamen Palatii Præfectus ſemper & ubique dicatur *Præfectus Prætorii* in ſignificatu Palatii, niſi ſi quando dicitur *Præf. Prætoriis cohortibus?* Nulla, mi Lector, nulla omnino, niſi quod αὐτὸς ἔφα, quod olim ita ſcripſerat Adverſa pars, tribus quatuorve verbis, quæ Ego ignoraveram; tantum abeſt, ut invaſerim.

XIX. Ceterum veriſſimum Ego illud affirmo, quod Adverſa pars tradit, *vix unquam*, ſed addo *Nunquam*, *apud Latinos Scriptores Prætorii nomen de Cæſaris Aula inveniri.* Accipio etiam illam rationem, quod primi Cæſares noluerint *militari & odioſo vocabulo* ſuam domum vocari *Prætorium.* Erat enim illud revera caſtrenſe & pro-

vinciale, qualia Vrbi erant odioſa, quia caſtra & provinciæ graviſſimo continebantur, & ſeveriſſimo imperio. Vnde adeo in libera Rep. vetitum fuit, Vrbem intrare, niſi imperio illo militari & provinciali, quo imperio bellici Prætores, unde *Prætorium*, erant ornati, depoſito, præterquam die triumphali. Neque vero in libera tantum Rep. ſed & ſub Imperatoribus ſic ſe res habuit. Nam ita & Druſus Imp. Tiberii filius unicus, quum ei decreta eſſet ovatio, & quum, antequam eam ageret, Vrbem intraſſet, imperium (nam miſſus fuerat cum imperio militari in Pannoniam) prius depoſuit, & propterea quum jam paratis omnibus ovationem peragere vellet, dicitur iterum *Vrbe egreſſus repetendis auſpiciis*, ſcil. imperii militaris, atque ita *mox ovans introiſſe* apud Tacitum An. III. 19. ubi videas velim Interpretes. Adde his, quod Imperatores Auguſti non appellati fuerint *Prætores*, immo quod longe infra majeſtatem eorum fuerit tum hoc nomen, tum vel maxime, ut vocabulis

ab

abeo derivatis deſignaretur quæcunque res, ab Imperatoribus ceteroqui denominanda, inprimis ſi nunquam antea illud nomen habuiſſet, ut certe non habuerat *Prætorii* nomen Vrbana alicujus habitatio. Alii erant Prætores partim in Vrbe, partim in provinciis, utrique multo infra Cæſarem, ut qui utroſque conſtituebat. Tac. An. II. 77. *Piſonem, non Sentium, Syriæ præpoſitum. Huic faſces, & jus Prætoris, huic Legiones datas*, ſcil. a Tiberio. Neutiquam ergo conveniens majeſtati Cæſarum, neque etiam Vrbis dignitati, ut vocabulo caſtrenſi, a *Prætore* formato, appellaretur Vrbana eorum habitatio, qui nec Vrbani, nec provinciales erant Prætores. Neque vero non modo hæc domus, ſed nec ulla alia res, neque in Vrbe, neque in provinciis, ab Imperatoribus, tanquam a *Prætoribus*, appellata fuit. Sed dicet quis, *Prætorias* tamen *cohortes*, qui ſalutem Imperatoris, in Vrbe tuebantur, videri ea ratione hoc nomen accepiſſe. Nequa-

quam. Habuere enim illud nomen jam in Caſtris, in quibus militaverant ſub Auguſto nondum Principe. Evocati deinceps & ducti ex caſtris in Vrbem, appellabantur eo nomine, quod jam dudum habebant, & quod ut exuerent magis, quam *Militum* nomen, nulla erat cauſa. At longe alia res eſt, quando novum rei prorſus Vrbanæ nomen imponitur, veluti ſi ſimplex Cæſaris domus in Vrbe, ſubito caſtrenſi nomine, quaſi a caſtrenſi Prætore, appellatur *Prætorium*.

XX. Immo vero tantum abeſt, ut illud factum in Vrbe Roma, ut neque in provinciis Palatia Cæſarum, quæ deinceps iſtic quoque in eorum proprie uſum ſunt exſtructa, appellata fuerint *Prætoria*. Patet id ex eo, quod manifeſte *Palatia* & *Prætoria* ab Imperatoribus in utroque Codice tanquam diverſa domicilia diſtinguuntur. Probavi id nuper ex titulo Codicis Theod. *Ne quis in palatiis maneat*: & in primis ex l. 2. *Ordinarii judices in remotis ab aggere publico Civita-*

tibus

tibus, ſi Prætoria non ſint, metu Legis adempto, quæ de Palatiis lata eſt, in ædibus, etiamſi Palatii nomine nuncupentur, commanendi habeant facultatem. Non opus arbitror eximia quadam judicii acrimonia ad perſpiciendam horum verborum ſententiam. Adeo perſpicua ea eſt, & aperta. Nempe Lex erat, ſeu conſtitutio Arcadii, & Collegarum, de *Palatiis* ante biennium data, quam præfert ipſe titulus, & nobis ſervavit prior ejus pars, his verbis, *Nulli manendi intra Palatia noſtra* (quæ deinde vocantur *Sacræ Domus*) *in qualibet Civitate vel Manſione facultas pateat.* At vero quia poſtea cognoſcebatur eſſe, quasdam Civitates ab aggere publico remotas, in quibus eſſet quidem *Palatium*, ſed non *Prætorium*, h. e. ut non jam Ego, ſed Iac. Gothofredus, Doctiſſimus Codicis Theodoſiani Interpres exponit, ædificium *manſioni ſimul & jurisdictioni Judicum*, ſeu Rectorum Provinciæ *deſtinatum*; ſicuti *Palatium ſoli Principi ejusque*
 comi-

comitatui ex illius item ſententia *reſervabatur*; & quia proinde in iſtis Civitatibus Iudices non habebant publica ædificia, in quibus cum ſuo comitatu manere poſſent, vel auderent, idcirco viſum fuit iisdem Imperatoribus biennio poſt, concedere Iudicibus facultatem in ejusmodi Civitatibus divertendi in ipſa Palatia, nulla iſtic habita ratione Legis, quæ vetuerat in genere, *ne quis in Palatiis maneat.* Manifeſtum ex his, fuiſſe itaque *Palatium* & *Prætorium*, alterum ab altero, ne quidem ut pars a toto, ſed prorſus, diverſa, & diverſorum manſionibus deſtinata, adeo ut fuerint Civitates, in quibus eſſent *Palatia*, non item *Prætoria.* Manifeſtum, non licuiſſe judicibus provinciarum manere in *Palatiis*, ſoli quippe Principi reſervandis. Manifeſtum denique, *Prætoria* fuiſſe proprias judicum ſeu Præſidum ædes in provinciis, diſtinctas a manſionibus Imperatorum, alio vocabulo etiam iſtic deſignatis.. Ceterum quia iſthæc Palatia in provinciis erant

in-

inutilia, quando ipſi Imperatores, ut plerique, peregrinationibus, vel etiam bellis, non delectarentur: immo & incultu prolabebantur, ſiquidem neque ipſi ea incolerent, neque provinciæ Rectoribus licebat in iis habitare, vel in tranſcurſu manere; idcirco poſtea viſum Imp. Leoni, concedere Palatia quoque habitationi Judicum ſeu Rectorum provinciæ, ea inprimis gratia, ut illi *hac neceſſitate compellantur eorum reparationi providere.* Sed audiamus ipſa Imperatoris verba *l. ult. C, de offic. Rect. prov.* ſiquidem & ipſa manifeſte declarabunt. *Prætoria* & *Palatia* fuiſſe ædificia diverſa. *Nulli Judicum*, inquit, *qui provincias regunt in Civitatibus, in quibus Sacra Palatia aut Prætoria ſunt, liceat his relictis, privatorum ſibi domos, ad habitandum, Veluti Prætoria, vindicare; ſed ſacratiſſima modis omnibus inhabitare Palatia ſeu Prætoria cogantur, ut hac neceſſitate compellantur, eorum reparationi providere. UBI autem & Palatium eſt*

&

& Prætorium, Palatium quidem habitationi Præſidis, Prætorium autem vel ſuſcipiendis conſervandisque ſpeciebus publicis horreorum vice, vel alii neceſſariæ rei deputetur. Quod ſi quis aliquando diſſimulare tentaverit, protinus eum atque officium ejus L. librarum auri multam, ad reparandum ſacrum, quod neglexerit, palatium ſolvere ſancimus. Liquet ſane ex his itidem, diverſa prorſus fuiſſe *palatium* & *prætorium.* Nam quid aliud ſignificant iſta verba, *Vbi autem eſt & Palatium, &c.* quam fuiſſe quasdam Vrbes, in quibus eſſet utrumque, quum in plerisque aliis eſſet alterutrum ſolum? Qua etiam de cauſa, & quia Præſes utrumq; ædificium ſimul inhabitare non poterat, de illis Vrbibus, in quibus erat utrumque, ſpeciatim conſtituit Imperator, in quos uſus proinde illud, quod non inhabitabatur a Præſide, converti deberet. Porro patet etiam, quum, ubi utrumque erat, ibi *Palatium* cederet habitationi Præſidis, & *Prætorium* in longe alios uſus, quam Iurisdictionis,

nis,

his, converteretur, nempe in uſum horrei, fuiſſe proinde *Prætorium* longe infra dignitatem *Palatii*. Denique ex his omnibus certum, *Palatia* ergo fuiſſe ædificia in eum uſum exſtructa etiam in provinciis, ut quoties eo perveniret Imperator ipſe, in iſtis maneret, ac proinde etiam ſoli Imperatori olim ſervata fuiſſe, appellataque ideo paſſim & *ſacra* & *ſacratiſſima*: Prætoria vero fuiſſe proprie deſtinata habitationi Præſidum; Vnde & in hac ipſa conſtitutione dicitur, ne ſibi privatorum domos ad habitandum, *veluti Prætoria*, vindicarent. h. e. tanquam ſi eſſent *Prætoria*, ſeu Præſidum habitationi conceſſa vel deſtinata ædificia.

XXI. Pluribus verbis in hujuſce rei demonſtrationem uti, eſt abuti tua patientia, mi Lector, & valde vereor, ne his tam ſerio agendis me *tibi illudere* putes, certe mihi vix ullam fidem habeas; ſi dixero hoc *palatii* & *prætorii* diſcrimen in provinciis, licet jam in ſuperiori mea Diſſertatione,

ne, utraque illa Imperatorum Conſtitutione declaratum, tamen etiam ſic deinceps negatum, quamvis nullus in contrarium allatus ſit locus, ad probandum, fuiſſe illa eadem. Audi quæſo verba Adverſæ partis. *Qui diſtinctas & diverſi generis ædes fuiſſe narrant Hieroſolymis, aliiſque in provinciis Palatium & Prætorium, adhuc operam dare debent, ut rem Novam probent.* Vidiſtine unquam diſputationem iniquius inſtitutam, quam hæc eſt? Nam qui quæſo probari aliquid ex antiquitate poteſt, ſi nondum ex ſuperioribus probatum eſt, fuiſſe diverſi generis ædes *Palatium* & *Prætorium*: res non *Nova*, ſed antiquiſſima, quum ipſi Imperatores, & Doctiſſ. eorum Interpres ſine ulla hæſitatione diſtinctas & diverſi generis ædes haſce faciunt. De Hieroſolymis nihil ego ſpeciatim hac in parte dixi, quamvis tamen haud dubie eodem ſeſe modo res iſtic habuerit. Neque te moveat, quod apud D. Marcum *Aula* & *Prætorium* tanquam eadem promiſcue ponun-

nuntur. Nam *Aula* eſt vocabulum latioris uſus, ſignificatque omnes Magnatum ædes; immo omnes, quæ habebant locum ὕπαιθρον, veſtibulum aëri & ſoli expoſitum, denique ipſum illud veſtibulum. Vide & Aelian. Var. Hiſt. III. 4. Nihil ergo mirum a Marco habitationem Pilati uſitatiſſima loquendi ratione appellari αὐλήν. Quin ille etiam τοῦ Ἀρχιερέως, *ſummi ſacerdotis*, habitationem ea appellatione inſignivit, XIV. 54. ἠκολούθησεν αὐτῷ ἕως ἔσω εἰς τὴν αὐλὴν τοῦ Ἀρχιερέως, *ſecutus eſt eum uſque intra Aulam Sacertis ſummi.* Similiter etiam ceteri Euangeliſtæ qui tamen nunquam iſtam Sacerdotis Aulam vocaſſent *Palatium.* Porro Græci Romanarum rerum Scriptores, quando Cæſarum quoque habitationem illo laxioris ſignificationis vocabulo deſignant, diſtinctionis tamen gratia plerumque ei addunt Epitheton, dicentes βασίλειον αὐλήν, ut paſſim Herodianus. Quam deſcriptionem vel diſtinctionem neutiquam iidem addunt *Palatii* vocabulo, quia

hoc per ſe & proprie denotabat Cæſarum habitationem, idque peculiari & propria item ratione, quoniam Auguſti, qui Cæſarum imperium conſtituit, domus fuit in monte Palatino, & inde hoc nomen traxit, cum aliis proinde ædibus haud temere communicandum. Nihil itaque ad nos, quod Hieroſolymis a Marco Prætorium Præſidis etiam appellatur *Aula*, ſiquidem non *Aulæ* & *Prætorii*, ſed *Palatii* & *Prætorii* convenientiam, & promiſcuum in eandem ſignificationem uſum negamus. Sed audiamus porro, quæ Adverſa pars ſuperioribus ſubjungit: *Fuiſſe alicubi diverſa non negamus; ſed plerumque eadem & promiſcuæ appellationis fuere* Palatia ſeu Prætoria *l. ult. de Off. Rect. prov. Continebant & habitationem Præſidum & Auditorium Judicii. Verum ſicubi contingeret, ut habitatio & Auditorium, ſive Palatium & Prætorium diverſæ fuerint ædes; eam rem præter exemplum & morem fuiſſe patet inde, quod Imperatores jubent Præ-*

ſides

ſides ad uſum habitandi & officii ſui contentos eſſe Palatio: Prætorium vero, ſiquidem ab eo diſtincta domus ſit, volunt in horrea converti. Quod certo, inquam, argumento eſt, non fuiſſe id inſtituti Romani, ut Prætorium, hoc eſt Auditorium Præfecti, a Palatio, id eſt, ab ejus habitatione ſeorſim haberetur. Quibus in verbis hæc latere videtur ſententia *Palatium* ſi diſtinguatur a *Prætorio*, tum proprie loquendo ſignificare *habitationem Præſidum*, *Prætorium* vero denotare *Auditorium judicii*. Hæc duo autem plerumque in unum fuiſſe ædificium conjuncta, alicubi tamen, ſed præter exemplum & morem Romanorum, fuiſſe diverſa, & proinde juſſos Præſides in *Palatium* ſeu habitationem ſuam contrahere etiam *Prætorii* ſeu Auditorii ſui uſum. Ceterum quî hæc ſententia conveniat cum verbis Imperatorum, jam videamus. In quo omnium primum exputari velim, quæ cauſa fuerit, quod Adverſa pars in hac controverſia ita prorſus ſilentio

obliteraverit omnem illum titulum Codicis Theodoſiani, *Ne quis in Palatiis maneat*, jam nuper a me allegatum. Haud dubie quoniam nimis manifeſta ex eo liquebat veritatis demonſtratio. Nempe arcana hæc ſunt Veteranorum in hac diſputandi arte, ut quæ nulla ſpecie perverti queunt, ſilentio prætermittantur. Nam quid manifeſtius, quam longe aliter in illo titulo diſtingui *Palatia* & *Prætoria*, dum primo dicitur, *Nulli prorſus manendi intra Palatia noſtra* (ſic loquuntur ipſi Imperatores) *in qualibet Civitate vel Manſione facultas pateat, immo omnibus*, *qui manſionem in iis prava temeritate ſibi præſumſerint, etiamſi vel dignitate aliqua vel fortunis nitantur*, certa ſtatuitur pœna. Deinde vero ordinariis provinciarum Judicibus permittitur, in iſtis Civitatibus, *ubi Prætoria non ſint*, *commanere in ædibus*, *quæ Palatii nomine nuncupentnr*, *metu Legis* prioris, quæ id vetabat, *adempto*. Ex quibus utique liquet, *Palatiis*

ergo

ergo excluſos omnes omnino privatos, etiam dignitate aliqua conſpicuos, etiam Ordinarios Judices. Id quod diſertiſſime confirmatur *l. un. C. de Palatiis: Conſecratas nobis ædes, id eſt, inclita palatia, ab omni privatorum uſu, & communi habitatione excipimus.* Quin immo & hinc Imperatores *Palatia* paſſim vocant proprie *ſua, ædes ſibi conſecratas, ſacras domus, ſacra*, & *ſacratiſſima*. Porro manifeſtum item ex ſuperioribus, *Prætoria* fuiſſe propria Præſidibus, atque idcirco iſtic tantum loci, ubi *Prætoria*, h. e. ædificia habitationi judicum exſtructa & deſtinata, non eſſent; conceſſum tandem iis fuiſſe uſum *Palatiorum*, quæ proinde ceteroquin iis non concedebantur; tantum abeſt, ut proprie ſignificarent *habitationem Præſidum*, quod vult Adverſa pars. Denique clariſſimum, fuiſſe quibuſdam in Civitatibus *Palatia*, ubi non eſſent *Prætoria*. Hoc vero quam abſurdum erit, ſi admittamus interpretationem Adverſæ partis? Nam ſic ſta-

tuendum foret, fuiſſe quibuſdam in locis Præſidum ordinarias & publicas habitationes, ampliſſimo illo *Palatii* vocabulo appellatas, in quibus tamen ſive extra illas, ſive intra, nullum eſſet Auditorium, ſeu judicii exercendi locus, licet in quibus oppidis habitarent Præſides, & habitationi ſuæ deſtinata haberent ædificia, ibi vel maxime jus dicere ſolerent. Sed & *Prætorium* nunquam adhibitum pro peculiari Auditorio, ut vult Adverſa pars, immo in hoc vocabulo ſignificationem loci alicujus nunquam fuiſſe ab habitatione diſcretam infra pluribus oſtendemus. Reliqua hujus controverſiæ adeo certa & perſpicua jam arbitror, ut facile patiar titulum hunc Codicis Theod. comparari cum l. ult. C. de off. Rect: prov. ubi item *palatia* appellantur *ſacra* & *ſacratiſſima*, Prætoria vero ſola pro habitationibus judicum ponuntur, dum illi vetantur, *privatorum ſibi domos ad habitandum, Veluti Prætoria*, (*Prætoria* tantum, non item *Palatia*) *vindicare*: porro autem

autem utraque Imperatorum verba accurate examinata cum mea & Adverſæ partis heic exhibita ſententia ac interpretatione conferri lubens velim. Videtur tamen Adverſa pars neſcio quid præſidii ſibi ponere in vocula *ſeu*, ſiquidem illa ſolummodo verba ex leg. ult. oſtentat, *Prætoria ſeu Palatia*, quaſi ea conjunctione denotetur *fuiſſe plerumque eadem & promiſcuæ appellationis* hæc vocabula. Frivolum ſane argumentum, quod vel illo Horatii ſubvertitur, *Tollere ſeu ponere vult freta.* Sed demus potius huic voculæ in Jure ipſos JCtos interpretes, qui per eam ſæpe item diverſas plane res ampliandi modo conjungunt. *Si quis ita legaverit*, inquiunt, *Uxori meæ mundum, ornamenta, ſeu quæ ejus cauſa paravi, do, lego, placet omnia deberi. Sicuti quum ita legatur, Titio vina, quæ in Urbe habeo, ſeu in portu, do, lego, omnia deberi: Hoc enim verbum, SEU, ampliandi legati gratia poſitum eſt. l. 30. D. de auro, argento, &c. legato.*

Sed preterea ex ipſa illa lege Codicis vel maxime patere cuilibet poteſt, diverſa eſſe ædificia *Palatium & Prætorium*, ſiquidem horum reſpectu lex illa duas & diverſas continet partes, quæ de diverſi generis civitatibus agunt. Nempe de iis, *in quibus ſacra palatia aut prætoria ſint*, h. e. ut ex ſequenti parte patet, alterutrum eorum, ſeu *palatium* ſolum, ſeu *prætorium* ſolum. Tum (& quidem per adverſativam voculam *autem*, quaſi ex oppoſito ſuperiori parti) de iis, *Ubi autem & Palatium eſt, & Prætorium*, h. e. in quibus utrumque ſimul reperitur.

XXII. Adderem his fuiſſe eodem etiam modo diverſa munera *Prætorii*, & *Palatii Curam*, unde *Curopalatæ*, (Vide ſis Caſaub. ad Trebell. Poll. in Claudio cap. 14.) ſed tædium & ſatias me denique capit ulterius in hiſce immorandi, quibus liquidior eſſe nequit lux meridiana. Non poſſum tamen, quin notabili prorſus exemplo heic declarem, quomodo, qui veritatem oppugnant, ſæpe ſui ipſo-

rum in eadem pene pagina, certe folio, obliviſcantur. Ambigimus de uſu vocum *Palatii* & *Prætorii*, utrum ſint ejuſdem ſignificationis, an diverſæ. Dixi Ego etiam in provinciis, etiam poſterioribus ſeculis, Conſtitutiones Impp. de iis loqui, tanquam de diſtinctis & diverſi generis ædificiis, eaque gratia attuli Conſtitutiones Impp. Arcadii & Collegarum, tum Imp. Leonis, qui omnes ſeculo vixere quinto poſt natum Chriſtum. Negat illud Adverſa pars, contendens *fuiſſe eadem & promiſcuæ appellationis*; quin ſi alicubi fuerint diſtincta ædificia, non aliter fuiſſe, quam ut *Palatium* tunc ſignificet ipſam habitationem, *prætorium* vero Auditorium judicii. Sed & illam diſtinctionem neutiquam tamen fuiſſe inſtituti Romani, idque ex illa ipſa conſtitutione Imp. Leonis, cujus unius auctoritate in eam ſententiam abutitur, conſtare. At vero ſequenti ſtatim pagina auctoritatem adfert D. Chryſoſtomi, qui vult per *Prætorium*, cujus meminit Paulus, intelligi Pala-

tium Neronis. In quo notari velim, quæ addit & Chryſoſtomus, & Adverſa pars: Τέως γὰρ οὕτως ἐκάλουν τὰ βασίλεια, h. e. ex verſione Adverſæ partis, *Ante hac enim ita nominabant Regiam, ſive Palatium (Prætorium)* Si *Antehac*, ergo non amplius tempore Chryſoſtomi, id quod etiam fatetur Adverſa pars, addens continuo: *Nam Chryſoſtomi tempore non fuit eadem ratio loquendi.* Atqui Chryſoſtomus vixit & ſcripſit tempore Arcadii, aliquot annis ante Leonem. Quo tempore ergo ſi *alia fuit ratio loquendi*, quam fuerat *ante hac* in hiſce vocabulis, h. e. ſi hæc vocabula, quum antea ex ſententia Chryſoſtomi promiſcue acciperentur, tunc temporis fuere diſtinctæ ſignificationis, quî obſecro ſub Imp. Leone iterum fuiſſent promiſcua: vel quæ ratio, in ejus conſtitutione velle iterum ea promiſcue accipi, quum fatearis aliquanto ante, tempore Chryſoſtomi, aliam loquendi rationem jam invaluiſſe, ſeu promiſcuum horum vocabulorum uſum

jam

jam in deſuetudinem abiiſſe. Non video, quo effugio, quod quidem aliquam ſpeciem habeat, evaſura ſit Adverſa pars. Nec enim Chryſoſtomi auctoritatem defugere poteſt, ſiquidem ea utitur adverſus me. Adde quod, ſi ulla eſt hominis Græci auctoritas in conſtituenda vocum Latinarum ſignificatione, ea omnino valere debeat in ea ſignificatione, quam ſuo tempore fuiſſe teſtatur, quamque ex uſu Aulæ Conſtantinopolitanæ, quæ Latino ſermone utebatur, ſcire poterat, & haud dubie ſcivit, quum eſſet Patriarcha Conſtantinopolitanus.

XXIII. Ceterum licet ſua ipſi conſtare debeat auctoritas in explicanda *Prætorii* ſignificatione, quæ ſuo tempore fuerit in Lingua & Imperio Romano, nullam tamen ei tribuere poſſumus, quando Latino *Prætorii* vocabulo, in priſca lingua, ante tria ab ipſo ſecula, affingit ſignificationem, quam ipſe ſuo tempore nullam fuiſſe declarat, cujuſque etiam olim adeo nullus fuit uſus, ut Adverſa pars

fateatur *fortean vix unquam apud Latinos Scriptores inveniri.* Unde ergo eam habere potuit Chryſoſtomus, aut quæ illius in ea ſtabilienda queat eſſe apud nos auctoritas? Certe ego non video, qua ratione ille ſcire aut docere nos potuerit, quid *Prætorium* ante tot ſecula ſignificaverit, niſi id apud priſcos illos Latinæ Linguæ ſcriptores repererit. Nec eſt profecto, ut quis putet, meæ cauſæ nimium quantum me favere, dum in ejuſdem vocabuli ſignificatione fidem modo habeam eidem homini, modo derogem. Etenim in omnibus utique teſtimoniis maxima ſemper habetur ratio temporis, quo exiſtiterit aut acciderit res, de qua quis teſtatur. Quin immo eodem plane modo agunt omnes Eruditi cum aliis etiam, & ejus maxime ætatis, Scriptoribus. Quis Iſidoro ex. gr. fidem in rebus ſui temporis negat? At paſſim erroris idem in rebus antiquis accuſatur & convincitur. Similiter ab ipſis JCtis quam plurimum, & ſuo quidem jure, tribuitur Triboniano ac Theo-

philo; at iidem tamen in vocabulis, antiquitatibus, & Hiſtoriis priſcis hallucinati ſane quam frequenter deprehenduntur, adeout Adverſa pars hunc; *uti ſæpe a ſe laudatum, ita quandoque ſpretum*, illius *omnia σφάλματα tueri ſe nolle* alibi memoret. Quod ſi talia Latinis Scriptoribus evenere, etiam illis, qui Grammaticam ſeu Etymologiam profitentur: quod ſi ipſis ICtis, qui Ius Romanum exponunt? nihil mirum, accidiſſe ea etiam & Græcis & Theologis, qui quam graviter ſæpe lapſi fuerint in interpretandis Latinis, dum alia plerumque agunt, vel ex uno liquet exemplo Iuſtini Martyris, tanto antiquioris Chryſoſtomo, exponentis Inſcriptionem ſtatuæ, *Semoni. Sanco. Deo. Fidio.* poſitæ, de *Simone* Mago, tanquam is *Dei Sancti* titulo a Romanis fuerit cultus, ut jam obſervatum ab Eruditis. Liceat ergo & mihi eodem jure, quo omnes utimur in Iſidorum, Hieronymum, immo Feſtum, atque alios ſequiorum temporum Scriptores, quando-

do priſcam Latinitatem explicare illi aggrediuntur, non ſubnixi auctoritate Veterum, eodem, inquam, jure uti etiam adverſus Chryſoſtomum, quando is *Prætorium* in Paulo interpretatur Palatium Neronis, contra temporis non ſui modo, ſed & Paulini uſum. Neque vero contra uſum ſolummodo, ſed & contra omnem rationem partim a me, partim ab ipſa Adverſa parte prolatam. Atque ita demonſtravimus, in quantum ulla negatio ex antiquitate demonſtrari poteſt, *Prætorium* in Vrbe Roma non ſignificaſſe Palatium, ſeu Aulam Imperatorum, nullum fuiſſe ejus hoc ſenſu uſum; immo neque conveniens fuiſſe dignitati Vrbis in re prorſus Vrbana provinciale hoc & militare vocabulum, neque etiam Majeſtati Imperatorum novum hoc nomen a *Prætoribus* formatum, quum illi ut re ipſa, ſic & appellationibus longe eminerent ſupra Prætores, tum Vrbanos, tum Provinciales; Denique *Palatium* & *Prætorium* etiam in provinciis fuiſſe diverſa prorſus ædificia.

XXIV.

XXIV. Sed forte pro parte quadam Palatii juri dicundo deſtinata adhibitum fuerit a Veteribus hoc *Prætorii* vocabulum. At neque ejus ſignificationis ullum a quoquam adfertur exemplum. Immo adverſa pars, *Palatii nomen de Cæſarea domo populariter notum, partis ejus, id eſt, Prætorii appellationem abſorpſiſſe* ait: adeo nullum omnino ejus appellationis uſum reperit. Et tamen quo jure, qua injuria, eam nullo prorſus exemplo probatam nobis obtrudit, rejecta & negata illa *Prætorii* ſignificatione, quæ apud optimos & Auguſteæ ætati proximos Scriptores, immo & lapides obvia eſt, ac uſitata. Nos vero, qui ſolis exemplorum documentis refutari poſſumus, & proinde, quamdiu illud fieri nequit, victricem habemus cauſam, probabimus tamen inſuper ab omni veriſimilitudine & ratione alienam eſſe illam quoque *Prætorii* appellationem. Qua in re primum repetimus, minime conveniens fuiſſe illi σφίσματι πολιτικῷ, ut Auguſtus in media

dia Vrbe, ſeu *in Palatio Prætorium figeret perpetuum*, ut ait Adverſa pars, h. e. certum locum deſtinaret cauſis publice cognoſcendis, quem appellaret provinciali & militari vocabulo, tanquam ſi Vrbem quoque ipſam eſſet coërciturus provinciali & militari jurisdictione, quæ longe ſemper fuit imperioſior, ſeverior, immo aſperior Vrbana. Qua etiam de cauſa non modo nemini, ut ſupra diximus, licebat cum militari imperio intrare Vrbem, niſi unico triumphi die; ſed & notabile erat diſcrimen in inſignibus imperii inter Vrbanos Magiſtratus, & Provinciales Caſtrenſesque Prætores: ſiquidem hi faſcibus ſuis additas habebant ſecures, terrori amplius incutiendo idoneas, ut quibus caput damnatis amputabatur, illi vero neutiquam. Secundo, ſi forte tamen ad ſolos provinciales in Vrbem miſſos, & milites Prætorianos reſtringere velit hanc ſui *Prætorii* juriſdictionem Adverſa pars, affirmamus nullam fuiſſe Imperatoribus cauſam, quare propter

eos ſolos in Palatio ſuo tale haberent *Prætorium*, ſiquidem ipſi Imperatores neque provincialibus neque militibus ordinarie jus dixerunt. *Provincialium* enim *appellationes Conſularibus Viris, quos ſingulos cujuſque provinciæ negotiis præpoſuiſſet, delegavit* Auguſtus, teſte Suetonio cap. 33. Inter milites vero Prætorianos jus dicebat Imperatoris mandatu Præfectus prætorii, ita tamen haud dubie, ut de plerisque majoris momenti cauſis Imperatorem privatim coſuleret. Certe ſi quem capite damnaſſet, ſententiam ad Imperatorem deferebat, ſed tantum, ut is ex more ſubſcriberet. Liquet id ex Seneca de Clem. II. 1. *Animadverſurus in latrones duos Burrhus præfectus tuus*, (alloquitur Neronem, cujus ptætorii Præfectus erat Burrhus) *Vir egregius, exigebat a Te, ſcriberes, in quos & ex qua cauſa animadverti velles. Hoc ſæpe dilatum ut aliquando fieret, inſtabat. Invitus invito quum chartam protuliſſet, traderetque, exclamaſti,*

Vel-

Vellem neſcire literas. Idem brevius more ſuo referens Sueton. Ner. 10. *Cum de ſupplicio cujuſdam capite damnati, ut ex more ſubſcriberet, admoneretur, Quam vellem, inquit, neſcire literas!* Patet ex his, Præfectum prætorii animadvertiſſe in noxios, capite damnaſſe, ſed ita ut de his rebus privatim referret ad Imperatorem, ejuſque ſubſcriptionem in ſententiam poſtularet. Ceterum hoc factum neutiquam habet eam ſpeciem, tanquam ſi publica hujus cauſæ cognitio & damnatio fuiſſet in Palatio facta. Neque etiam conveniens erat ſive otio, ſive negotio Aulæ, ut Præfectus prætoriarum cohortium iſtic publice jus diceret potius, quam alibi, immo quam in caſtris prætoriis, ubi captivi ſervabantur, ubi omnes milites erant conjuncti, & ubi haud dubie jus fuit ab eo dictum, ſicuti deinceps oſtendemus.

XXV, Tertio, nunquam *Prætorium* ante Auguſtum, ut neque diutiſſime poſt, ſignificavit proprie locum

cum judiciorum, ſeu partem habitationis proprie judiciis deſtinatam. Et longe a vero alieni ſunt, qui *Prætorium* in provinciis proprie interpretantur *Auditorium Præfecti*, ſeu Præſidis: *Palatium* vero *ejus habitationem*, dicuntque *Præſides habuiſſe in Aula ſua Prætorium*, ſcil. ut partem in toto. Nunquam ita Veteres; apud quos *Prætorium* in ſignificatione loci ſemper denotat locum habitationis; ſeu manſionis; & proinde primum in Caſtris (nam inde prima hujus vocabuli ſignificatio & uſus) integrum notat ſummi Ducis tabernaculum, ubi ille tendebat & manebat, eodem plane modo & conſtructione, qua *navis Prætoria* ſignificat integram navim, qua vehitur Prætor ſeu Imperator. Hinc Livius XXVIII. 27. *In Prætorio tetenderunt* (non, jus dixerunt) *Albius & Atrius*. Similiter vero in provinciis Prætorium Præſidum erat ipſa eorum Aula. Vnde D. Marcus XV. 16. ἀπήγαγον αὐτὸν ἔσω τῆς αὐλῆς, ὅ ἐστι πραιτώριον, *abduxerunt eum intra*

Aulam, quod eſt Prætorium. Sed clariſſime nos docet Cicero, quid proprie fuerit in provinciis *Prætorium*, dum Verris habitationem in Vrbe Syracuſana modo *Prætorium* vocat, modo *prætoriam domum*, modo *domum regiam, quæ Regis Hieronis fuit, qua Prætores uti ſolent*, locis ſupra a me allatis. Sed & longe poſtea in Impp. conſtitutionibus itidem a me allatis vetantur judices, qui provincias regunt, privatorum ſibi domos *ad habitandum, veluti Prætoria*, vindicare. Denique ſic & in agris *prætoria* ſignificabant illa ædificia, in quibus Dominus manere & commorari ſolebat. Vt adeo ex his omnibus facile conſtet, quandocunque hoc vocabulum ad locum denotandum adhibetur, ſignificare proprie habitationem ſeu manſionem. Immo vero tantum abeſt, ut extra habitationis ſignificationem deſignaverit proprie locum judiciis exercendis deſtinatum, ut ne quidem in *Prætorio* ſeu Caſtrenſi, ſeu Provinciali jus olim dici ſoleret, ſed

ſed ad ſummum, præter deliberationes de re bellica vel provinciali iſtic proprie inſtitutas, cauſa aliquando cognita, ſeu reus auditus & examinatus fuerit. Res iterum manifeſta ex Cicerone, qui refert lib. V. c. 41. Verrem, quum vellet Nauarchos, quia infeliciter pugnaverant cum piratis, ad cauſam dicendam vocare, & capitis damnare, *proceſſiſſe repente e Prætorio, veniſſe in Forum, Nauarchos vocari juſſiſſe, appoſuiſſe illis Accuſatorem Nævium Turpionem &c.* Non citavit ergo, ut liquet, reos in Prætorium, immo non audivit iſtic, ſed omnia egit in Foro. Atque ita pene etiam Pilatus Chriſtum audivit quidem, & cauſam ejus cognovit in Prætorio; ſed cum judicium, ſeu ſolennia jurisdictionis vellet peragere, tribunal extra Prætorium in loco excelſo, & magnæ multitudini facile conſpicuo, atque ita idoneo rei, quæ agebatur, poſuit, eoque Chriſtum duxit & condemnavit. Joh. XIX. 13. quemadmodum etiam apud Joſephum de B. Judaico

II. 8. dicitur idem *ſediſſe in tribunali in ſtadio magno*. In caſtris nihil certius, quam lites in Principiis diſceptatas. Ipſi etiam *Tribuni jura reddidere in Principiis* apud Liv. XXVIII. 24. Si majoris momenti res accidiſſet, de ea cum conſilio ſuo deliberabat Imperator in Prætorio, & dein extra Prætorium tribunal conſcendebat, remque ex conſilii ſententia peragebat. Vide Liv. XXVIII. 26. Nulla ergo eſt Analogia, nulla ratio, velle vocabulum, quo locus habitationis ſeu manſionis proprie denotabatur, ex habitationis ſignificatu per Auguſtum eſſe excluſum, & ad partem ejus, ſeu *Auditorium judicii* proprie tranſlatum, idque ſine ullo iſtius uſus exemplo, non tantum Auguſti tempore ſed & longe poſt. Nam ſi aliquando pro publico judicii exercendi loco ſine habitatione Iudicis fuit uſurpatum, factum id non niſi circa tempora demum Conſtantini, quando omnia pene aliam accepere faciem: quamvis tamen & tunc, & poſtea quoque,

iſtius-

iſtiusmodi ædificia publica, quæ *Prætoria* appellabantur, plerumque, ſi non ſemper, cum ipſa habitatione, ſeu manſione Iudicum, conjuncta fuiſſe non dubitem, ut qui quamplurima tum Theodoſianei tum Iuſtinianei Codicis loca pro manſione Iudicum in Prætoriis, nullum, qui eam excludat, repererim.

XXVI. Quarto, non tantum nego, fuiſſe unquam partem Palatii Romani, quæ appellata fuerit *Prætorium*, ſed &, fuiſſe ſub primis Imperatoribus certum aliquem ac peculiarem locum in Palatio, judiciis ibi exercendis, immo etiam cognoſcendis publice cauſis, proprie & conſtanter deſtinatum. Quin immo etiam tunc, quando tandem talis locus iſtic eſſe cœpit, aliter eum, ſeu non *Prætorium*, ſed *Auditorium* fuiſſe appellatum affirmo. Quod ad prius attinet, quoniam illud conſiſtit in negando, de eo nihil a me amplius requiri æquis conditionibus poteſt. Contrarium contraria & adfirmans pars debuiſſet oſten-

diſſe. At illa defungitur affirmando ſimpliciter: Quod Cæſar ejusque Præfectus habuerint auditorium, quodque ibi cauſam dixerit Paulus; idque probat rogitando me, ubi ceteroqui cauſam dixerit? *an in foro cauſæ provincialium provocationum actæ ſint? Ubi id unquam lectum?* Ceterum licet Ego nondum etiam affirmaverim, Paulum in foro cauſam ſuam oraſſe, aut provincialium provocationum cauſas in foro actas, quî evaderet Adverſa pars, ſi mihi liberet par pari reponere, &, quoniam unice inter nos diſputatur de *Prætorio*, utrum ſcilicet fuerit certa quædam Palatii pars ſic appellata, nec ne, ſi rogitarem Ego viciſſim: Vbi lecta unquam vox *Prætorii* in iſto ſenſu? Immo ubi lectum unquam apud tot Paulinæ ætatis Scriptores, fuiſſe in Aula Romana peculiarem locum cauſis publice cognoſcendis deſtinatum, qui proinde peculiari item vocabulo a reliquis Aulæ partibus diſtinctus fuerit? Sed tamen *Auditorium* Imp. Sept. Severi memorat Ulpia-

pianus. At ubi *Prætorium*, de quo inprimis quæritur? Dein ſi maxime iſto *Auditorii* vocabulo ſignificaretur illic ſtatus & certus audiendis cauſis in Aula locus, quid id ad tempus Pauli, quum, quod Vlpianus tradit, plus centum annis poſt evenerit, tantoque temporis ſpatio in omnibus Rebuspublicis (quisque ſuam animo volvat) maximæ ſemper reperiantur hujuſmodi rerum viciſſitudines, ſed quæ vel præcipue tamen in Imperio Romano, ejusque primis ſeculis, fuerunt frequentiſſimæ. Certe quando vixit Paulus, multus adhuc erat uſus illorum σοφισμάτων πολιτικῶν, ut ipſius Adverſarii verbo utar; at vero Imp. Sept. Severi tempore, qui armis denuo occupavit Imperium, oppreſſis omnibus ipſi adverſis, victoriamque ſatis ſevere in ipſum exercuit Senatum, nullus amplius. Quin & in hac ipſa re, de qua diſputamus, quanta identidem evenit rerum mutatio? Ille enim *Prætorio*, quodcunque tandem ſit, Præfectus modo Vnus fuit, modo Plures. Primum

ex Equeſtri ſolum ordine, dein etiam ex Senatorio, denique ſemper Senator. Prius modica ejus fuit poteſtas, mox ampliſſima omnium. Prius tantum præfuit prætoriis cohortibus, mox etiam omnibus Palatii negotiis & miniſteriis Principis, utpote præcipuus ejus Miniſter. Olim erat in Vrbe vel in Comitatu Principis, deinde ſublatis tandem a Conſtantino Magno in Vrbe R. caſtris prætoriis, plures variis & præcipuis Orbis terrarum regionibus præfecti ſunt, ut eſſent *Præfecti prætorio Orientis*, *Africæ*, *Illyrici*, *Galliarum*. Hæc licet ita ſint, tamen, quia tempore Imp. Severi *Auditorium Principis* memoratur, *Tu dic*, inquit Adverſa pars, *in Auditorio Principis* a Nerone auditum Paulum. Sed Reſp. literaria nemini dicto eſt audiens, non agnoſcit affirmantem & præcipientem pro imperio Dictatorem, docentem requirit & probantem diſputatorem. Tu mihi dic primum, quæ cauſa, quod, ſi fuerit in Aula primorum quoque Imperatorum tale

ali-

aliquid certum ac ſtatum cauſis publice cognoſcendis Auditorium, quod, inquam, quum toties memoretur qualecunque tandem *Auditorium Principis* a poſterioribus Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus, & JCtis, nunquam tamen memoretur a prioribus, a Tacito, Suetonio, & aqualibus: licet, ſi jam tum fuiſſet, nullus certe Scriptor frequentiorem ejusfeciſſe debuiſſet mentionem, quam Suetonius, ut qui imprimis res Vrbanas, domeſticas, & privatas Imperatorum memoriæ prodidit, & de ſingulis etiam Imperatoribus accurate retulit, quales illi *in cognoſcendo & judicando* fuerint. Quæ ergo, iterumrogo, cauſa, quod ſi maxime integrum percurramus Suetonium, immo & Tacitum, aliosque, nulla apud eos mentio fiat non modo talis *Prætorii*, ſed neque *Auditorii*; nullumque occurrat exemplum judicii in illo deſtinato publicis judiciis loco, ut vult Adverſa pars, exerciti, quum tamen iſtic graviſſima quæque & maxime memoranda (nam levia neutiquam curabat Imperator ipſe) exerceri

debuiſſent, & tot exempla apud illos Auctores paſſim ſint obvia Iudiciorum alibi ab Imperatoribus exercitorum, ſicuti mox videbimus.

XXVII. Ceterum his interrogationibus miſſis, quibus tamen quid reſponderi poſſit, non video, age oſtendamus jam, quæ ratio fuerit primorum Cæſarum in cauſis cognoſcendis & jure dicundo, ut ita probemus, primos illos Cæſares nullum habuiſſe in Aula ſua certum & ſtatum Auditorium. Primum omnium non videntur ſane adeo frequenter ſeu aſſidue juri dicundo operam dediſſe plerique Imperatores, ut propterea habere debuerint aut voluerint peculiarem ei rei in Aula ſua locum; ſicuti nec hodie Principes & Reges Iuris dicundi moleſtiam ipſi excipiunt, aut in Aulam ſuam recipiunt. Certe ipſe Auguſtus, qui tamen frequenter ceteroquin & ſtudioſe jus dixit, ſed maxime citra dubium in Conſulatu, ille, etiam *Appellationes, Urbanorum quidem litigatorum Præfecto delegavit Urbis,*

bis, at provincialium Conſularibus Viris, quos ſingulos cujusque provinciæ negotiis præpoſuiſſet, referente id Suetonio cap. 33. Si *Appellationes* ipſas delegavit aliis, quanto magis initia litium, ſi quæ ad ipſum ſtatim deferebantur. Militum porro cauſas delegavere Cæſares ſuis prætorii Præfectis, qui proinde capite damnaverunt reos, Cæſare deinceps illorum ſententiis ſubſcribente, ut ſupra oſtendimus. Id quod factum videtur in omnibus pene reis, qui ad Cæſarum tribunal pertinerent, ut capite, inquam, ab aliis, quibus hanc poteſtatem Cæſares dederant, damnarentur, ipſis ſententiæ tantum ſubſcribentibus. Certe Sueton. Calig. 29. id ſignificare videtur, de Cæſare loquens, *Decimo quoque die numerum puniendorum ex cuſtodia ſubſcribens, rationem ſe purgare dicebat.* Quin immo legimus quidem Imperatores aliquando, quando ita ipſis luberet, aliorum Iudiciis interfuiſſe, modo ut Advocatos, modo ut Teſtes, (Vide Sueton. Aug.
cap.

cap. 56. & Dionem lib. LIV. p. m. 522.) modo etiam ut conſiliarios & admonitores Iudicum. Qua de re Vide omnino Sueton. Tib. 33. *Magiſtratibus pro Tribunali cognoſcentibus plerumque ſe offerebat conſiliarium, aſſidebatque mixtim, vel ex adverſo*, &c. Similiter de eodem Tacitus An. I. 75. *Nec Patrum cognitionibus ſatiatus, judiciis adſidebat in cornu Tribunalis, ne Prætorem curuli depelleret. Multaque eo coram adverſus ambitum & preces potentium conſtituta.* Sed ubi *Prætorium*, ubi *Auditorium* Tiberii? Immo quæ tandem illic cauſæ actæ? Cur nulla in hujuſmodi locis ejus mentio, ut cujus ſeu cognitionibus, ſeu judiciis ſatiari itidem, vel non ſatiari potuiſſet? Qui eſt; quod ſciamus, quid in alieno tribunali egerit Tiberius; nihil ſciamus, quid in ſuo *Prætorio* egerit, ſi publicus is & ordinarius judicii ab Imperatore proprie exercendi locus fuit.

XXVIII. Dixere tamen aliquando

do jus etiam ipſi Imperatores, ſed non adeo, tanquam Imperatores, verum ut Conſules, ſeu tunc maxime, quum Conſules eſſent. Certum id ex eo, quod Suetonius, quæ tradit de Imperatorum more & ratione, quam tenuerint in judicando, ea plerumque refert in illam vitæ partem, ubi agit de eorum Conſulatibus, rebuſque in eo honore geſtis. Sic certe in Nerone cap. 14. & Claud. 14. de quo tamen addit, ſed tanquam rem notatu dignam, quod non modo *Conſul*, verum & *extra honorem jus dixerit*. Ceterum quando itaque jus, ſive in Conſulatu, ſive extra, dixere, fecerunt id in publico pro tribunali, niſi ſi morbo impedirentur. Habemus ea de re notabilem Suetonii locum in Aug. cap. 33. *Ipſe jus dixit aſſidue; ſi parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans*. Egregia ad hanc rem verba, ut in quibus traditur, ubi ordinario, & ubi extra ordinem ægrotus jus duxerit, nulla iterum mentione *Prætorii*, nec *Auditorii Principum*. Deinde patet ex iis, Cæſarem

ſarem etiam ægrotum jus dixiſſe tamen in publico, & *pro tribunali*, adeo ut lectica eo deferretur, nec aliter in Aula ſua, ſeu *domi*, niſi *cubans ex morbo*; quando veriſimile prorſus eſt, non publice, ſed privatim audiviſſe & cognoviſſe cauſam litigantium. Denique notandum *tribunal* opponi heic *domui*, certo indicio fuiſſe ergo illud extra domum in publico. Atque ita & Cicero ad Q. Fratr. l. 1. *Nullius inopiam & ſolicitudinem non modo illo populari acceſſu ac Tribunali, ſed ne domo quidem & cubiculo eſſe excluſam.* Nempe jam inde ab initio Vrbis conditæ jus Romani ſemper dixerunt in loco publico & multitudini conſpicuo, idque ex ipſius Romuli inſtituto, qui, ut ait Dionyſ. II. 4. locum, in quo ſedens jus diceret, conſtituit ἐν τῷ φανερωτάτῳ τῆς ἀγορᾶς. h. e. *in maxime conſpicua Fori parte.* Quare & iſtic, ſeu in Foro, erant tribunalia. Vnde Domitianus apud Suet. 8. *In Foro pro tribunali reſcidiſſe* dicitur *ſententias ambitioſas Centumvi-*

tumvirorum : & cum Iulii Cæſaris lectus funebris in Foro, ubi peragebatur Laudatio, ſubito incenderetur; dicuntur a multitudine in flammam congeſta *tribunalia*, quæ iſtic erant, *cum ſubſelliis* in Cæſ. cap. 84. Similiter vero & in Caſtris *Tribunal*, unde proprie jus dicebatur, erat extra Prætorium in Principiis in loco propatulo, ut docuerunt jam dudum Eruditi. Immo & in Provinciis pacatis *Tribunal*, ſeu βῆμα, extra Prætorium, ut ex Scipionis, Verris, & Pilati factis ſupra a me allatis liquet, locabatur ad jus dicendum vel in Foro Vrbium, vel in aliis locis excelſis, & multitudini recipiendæ idoneis. Quando ergo Imperatores quoque Romani *pro tribunali* jus dixiſſe leguntur, patet jam ex his, illos id non dixiſſe in Prætorio, in aliqua Aulæ parte, ſed omnino extra eam. At vero de his Imperatoribus, ſed primis, ſi quando traditur, quomodo aut ubi jus dixerint in Vrbe Roma, ſemper pene *pro tribunali* id feciſſe memoran-

rantur, certe nunquam in *Auditorio*; aut *Prætorio*. Notabilis etiam in hanc rem eſt locus Dionis lib. LX. non ita longe ab initio: Καθ' ἑκάστην γε, ὡς εἰπεῖν, ἡμέραν, ἤτοι γε μετὰ πάσης τῆς γερουσίας, ἢ καὶ ἰδίᾳ, τὸ μὲν πλεῖστον ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἤδη δὲ καὶ ἄλλοθι, ἐπὶ βήματος ἐδίκαζε. Nempe induſtrius fuit Claudius, (de eo enim loquitur) & *quaſi quotidianus in jure dicundo.* At quomodo, aut ubi *jus dixit?* Vel *cum omni ſenatu*, h. e. in Senatu ſeu Curia; vel *ſeorſim* ab Senatu h. e. extra Senatum At ubi tum? *Plurimum quidem in Foro*, qui locus præcipue erat juri dicundo deſtinatus: *ſed & alibi*; verum tamen iſtic, ubi erat *Tribunal* poſitum, ſeu, *ſed & alibi pro Tribunali.* Nec enim ſemper omnino jus dicebatur in Foro, verum aliquando & in aliis publicis ac patulis Vrbis R. locis. Certe Claudium etiam alibi, ſed tamen in propatulo, jus dixiſſe liquet ex eodem Dionis libro, ubi refert Auctor, Claudium iratum cuidam Oratori juſſiſſe eum in Tiberim mitti,

mitti, addens, ἔτυχε γὰρ αὐτοῦ πλησίον δικάζων, *erat enim prope eum* (Tiberim) *jus dicens*. Jam vero, cur in illa aſſidua & pene quotidiana Claudii jurisdictione, ex profeſſo a Dione memorata, in Curia, in Foro, & alibi, ſed pro Tribunali, exercita, nulla omnino ſit mentio *Prætorii*, ſeu proprii ejus *Auditorii* in Palatio, ſi fuit? Similiter & Veſpaſiani vita quum deſcribitur lib. LXVI. conſtanter ille veniſſe ipſe traditur in Senatum, & omnia cum Senatoribus communicaſſe: porro etiam *ſæpe jus dixiſſe*, ſed *in Foro*, ordinario, ſcilicet, & ſolenni maxime juris dicundi loco.

XXIX. Nunquamne ergo in Aula quid egere primi illi Impetatores, quod ad jurisdictionem pertineat? Immo cauſas aliquando audivere, ſed extraordinarias, enormes, delatas ad ipſos a Senatu, vel etiam ſponte, ſi ſua intereſſe crederent, ſumptas, ſine ulla tamen unquam apud Auctores mentione certi & ſtati *Auditorii*: atque idcirco, in quacunque parte Au-

læ, privatim, extra ordinem, & præter Leges: ſicuti omnes erant Cognitiones, quæ non fiebant publice apud ordinarios judices. Hinc apud Tacitum Ann. III. 12. Tiberius, quum Piſo veneficii reus in Germanicum fieret, *id ſolum* (inquit) *Germanico* SUPER LEGES *præſtiterimus, quod in Curia potius, quam in* FORO, *apud Senatum, quam apud* JUDICES *de morte ejus anquiritur.* Sic loquitur Imp. ipſe, ſic loquitur in Senatu, per quem ceteroquin omnes alicujus momenti cauſas tractare ſolebat, & ad quem, licet rogatus, ut hanc *cognitionem exciperet*, jamque *minas accuſantinm, & Rei preces, adhibitis paucis familiarium audiviſſet, integram cauſam remiſerat*, cap. 10. ut ſolebat ſcilicet omnia per Senatum agere, nihil indigens Palatini *Auditorii*, ſi maxime quid vellet, quod eſſet *ſuper Leges.* Vnde idem Tacitus An. III. 44. increpitum ait vulgo Tiberium, quum Sacrovir & Galli defeciſſent, quod *in tanto rerum mo-*

tu

tu libellis accuſatorum inſumeret operam. An Julium Sacrovirum reum majeſtatis in Senatu fore? Exſtitiſſe tandem viros, qui cruentas epiſtolas armis cohiberent, Vides, Lector, *Senatum* ſolummodo memorari, ut ordinarium tunc temporis etiam provincialium δικαστήριον, ubi extraordinaria crimina, qualia erant majeſtatis, cognoſcerentur & judicarentur. Idem IV. 6. *Publica negotia & privatorum maxima apud Patres tractabantur.* Seu, ut ait Sueton. Tib. 30. *neque tam parvum quicquam, neque tam magnum publici privatique negotii fuit, de quo non ad P. C. referretur*, ſicuti *Cetera quoque, non niſi per Magiſtratus & jure ordinario agebantur*, ibid. cap. 31. Immo ipſi Imperatorum procuratores accuſante provincia cauſam in Senatu dicebant, ut videre eſt apud Tacitum An. IV. 15. Similiter vero apud Dionem de Claudio, conſpiratione detecta, & damnatis necatiſque quam plurimis, ἐκρίνοντο ἐν τῷ συνεδρίῳ, τοῦ τε κλαυδίου, τῶν ἐπάρ-

χων τε, καὶ τῶν ἐξελευθέρων αὐτοῦ παρόντων. τὴν μὲν γὰρ ἐσήγησιν ἐν μέσῳ τῶν ὑπάτων ἐπὶ δίφρου ἀρχικοῦ καθήμενος ἐποιεῖτο: *Judicabantur autem illi in Senatu, Claudio, & Præfectis, atque Libertis ejus præſentibus. Relationem ipſe, in medio Conſulum ſella curuli ſedens, faciebat.* Additur dein, καὶ ταῦτα μὲν καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν μεγίστων ὁμοίως ἐγίγνετο. *Et hæc quidem etiam in aliis maximis negotiis ſimiliter fiebant.* Quin adeo quidem omnia Senatus judicia & cognitiones erant in poteſtate Cæſarum, *ut neque libertatem ad pœnitendum Senatui* ſuperfuiſſe dicat Tacitus An. III. 51. Ceterum quidquid agerent per Senatum Imperatores, quod ad jus dicundum pertineret, id omne tamen præter vel *ſuper Leges* erat, ut modo probavimus, immo & *extra ordinem.* Quæ cauſa, *quare Patrum Cognitiones* apud Tacit. An. I. 75. opponantur *Judiciis* Prætoris ſeu Judicum: æque ut ipſius Cæſaris *Cognitio*, *Ordinario juri* apud Sueton. Claud. 15. *Judicem interpellatum de*

pro-

propria lite, negantemque Cognitionis rem, ſed Ordinarii juris eſſe, agere cauſam confeſtim apud ſe coegit. Si quando tamen ipſi Imperatores extra ordinem cauſas in Aula cognoſcerent, id eos feciſſe tunc privatim, & in quacunque parte Aulæ, non in publico ſtatoque huic rei Auditorio, liquet ex eo, quod Tiberius Piſonis cognitionem quum recepiſſet, *paucos* ſolummodo *familiarium adhibuiſſe* legitur. Quo modo etiam Claudius Imp. factus, in Aula *conſilium habuit* tantum *Amicorum*, συναγαγὼν τὰς ἑταίρους, de pœna in Chæream Caſſium, & alios Gaji interfectores ſtatuenda apud Ioſeph. Antiq. XIX. 3. Quin immo quum Valerius Aſiaticus opera Meſſalinæ & Vitellii, accuſante Suilio, a Claudio capitis damnaretur, eum ait Tacitus An. XI. 1. 2. a Prætorii Præfecto, *inditis vinculis in Urbem raptum, neque data Senatus copia, intra Cubiculum auditum, Meſſalina coram;* (Plane uti Neroni conſpirationem adverſus ſe factam indaganti,

 ganti,

ganti, & pœnam in conjuratos ſtatuenti *intimum conſiliorum erat Poppæa & Tigellinus*, An. XV. 16.) Sed dein tamen, quum Valerius jam accuſatus a Suilio, jam auditus, jam damnatus eſſet *intra Cubiculum*, tum demum vocatis in Curiam Patribus, reliquorum, quos una cum Valerio perdere volebat Meſſallina, accuſatio peracta, & ab Senatu decreta Accuſatoribus præmia, cap. 4. Quo ex loco obſervari velim, fuiſſe hic omnia, quæ cognitionem & judicium conſtituunt, nempe accuſationem, defenſionem, & damnationem, at fuiſſe facta hæc omnia non publice, ſed privatim, uxore coram, non in ſolenni quodam & publico Palatii *Auditorio*, verum in *Cubiculo*. Denique tanquam inſolitum quid & extraordinarium notari ab Auctore, quod Valerius fuerit in Aula auditus & damnatus, *non data ei Senatus copia*, tanquam ſi in Senatu ceteroquin audiri & damnari debuiſſet, ubi & reliqui deinceps accuſati

&

& damnati fuere. Iam vero clariſſimum eſt, ni fallor, ex his omnibus, revera quidem cognoviſſe Principes aliquando crimina & cauſas etiam in Palatio ſuo, ſed privatim, ſed extra ordinem, atque adeo rarius; Porro nullam ergo omnino fuiſſe illis cauſam habendi in Palatio publicum & ſtatum ei rei *Auditorium*. Nam qua tandem gratia, obſecro te, haberent, quidve in iis ageretur? Quum *privatas* utique *lites* plerique, ut infra ſuam majeſtatem & præter animi ſui libidinem, ac otium, non reciperent ipſi, ſed dijudicandas aliis relinquerent, immo ipſi, ſi quando cum privatis diſceptarent, ſubirent *forum & jus*. Tac. An. IV. 7. Quum ipſas *appellationes Vrbanarum* litium Præfecto Vrbis, *provincialium* Conſularibus viris mandarent, *Militares* cauſas præfecto prætorii: Quum, ſi quando tamen ipſi jus litigantibus dicerent, id facerent vix aliter, quam in honore Conſulatus, certe *pro Tribunali*, in *Foro*, vel in alio publico Vrbis loco: Quum ipſa *extraordina-*

naria crimina, & ad eos ipſos ac majeſtatem illorum pertinentia per Senatum cognoſcerent & tractarent, partim ad evitandam invidiam, ut ex facto Tiberii conſtat, cognitionem de morte Germanici ad ſe ab Senatu delatam, remittentis ad eundem Senatum; partim quia omnia ſic ſatis ex libidine ſua per Senatum agere poterant: Quum denique nonnulla quidem aliquando & ipſi per ſe in Aula tractarent, ſed ea *privatim*, & quacunque Aulæ parte ipſis liberet, veluti *Cubiculo*, & tantum pleraque talia, quæ vererentur, vel quæ puderet ipſos Senatui publice permittere. Jam vero ſi ita eſt, ut eſt, quid ergo relinquitur tandem Palatii *Prætorio*, ſeu publico primorum Principum Auditorio, ubi Paulus fingitur ab Adverſa parte publice *apud Cæſarem, ejus Præfectum, Aſſeſſores judicii, Comiteſque & reliquos e Cæſaris domo, tum omnes alios, qui adfluxerint Auditores, apologiam ſuam habuiſſe.* Vellem, hæc non modo pro auctoritate affirmata, ſed

ſed & probata ac declarata eſſent vel unico exemplo talis in Palatio publici cum concurſu Auditorum judicii.

XXX. Sed tamen *Auditorii Principum* meminere poſteriores JCti. Imo hoc ipſum mihi argumento, quod ſub primis Principibus nullum tale fuerit *Auditorium*. Nam quæ ceteroqui cauſa, ut jam antea monuimus, quod, ſiquidem de & ſub ſeqq. Principibus memoratur ſæpius *Auditorii* nomine locus certus, cauſis a Principe cognoſcendis deſtinatus, quod nuſquam tamen de Primorum Principum Aula nec vocabulum nec res ipſa occurrat apud Tacitum, Suetonium, alios, licet utramque apud illos paginam faciant judicia & damnationes, *ſuper Leges* & præter ordinem voluntate Cæſarum factæ; atque adeo frequentiſſima memorandi *Auditorii* fuerit illis Auctoribus occaſio; imo paſſim omnia alia loca, ubi Cæſares jus dixerint, cauſas cognoverint, veluti, *Forum*, *Curia*, ipſum Cæſaris *Cubiculum* apud eos laudentur. Con-

firmat me vel maxime, quod Plinius poſterior & Quinctilianus opponere ſolent *Forum*, *veraſque lites*, & *Auditorium* ſimpliciter, tanquam locum reipſa ex uſu iſtius temporis adhuc a litibus diſceptandis prorſus alienum. Plin. Epiſt. II. 3. *Nos qui in Foro, veriſque Litibus terimur, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiſcimus. Schola & Auditorium, ut ficta cauſa, ita res inermis & innoxia eſt.* Quinctil. Inſt. Orat. X. 1. quum dixiſſet Socraticos optime præparare Oratorem futurum ſuis altercationibus & interrogationibus, *ſed his quoque*, addit, *adhibendum eſt ſimile judicium, ut etiam, quum in rebus verſamur iiſdem, non tamen eandem eſſe conditionem ſciamus Litium ac Diſputationum, Fori & Auditorii, Præceptorum & Periculorum.* Auctor de cauſis corr. eloq. cap. 10. *Sic nunc te* (alloquitur Poetam) *ab Auditoriis & Theatris, in Forum, & ad Cauſas, & ad vera prælia voco.* Quid autem ex hac oppoſitione *Auditorii* ſimplici-

pliciter poſiti adverſus *Forum*, *Veras Lites*, *Cauſas*, *Vera prœlia* colligere aliud poſſumus, quam vocem iſtam illis adhuc temporibus hæſiſſe proprie in Scholis Rhetorum, ac locis quibuscunque, ubi Poetæ aliique homines coram amicis ſua Poemata vel Declamationes recitare ſolebant: ac proinde nondum vulgo tunc uſurpatam pro certo, ac ſtato & publico loco, cauſis audiendis perpetim dicato, ita ut omni tempore, etiam quum cauſæ non cognoſcuntur, ille locus hoc vocabulo deſignari queat, dicique, ex. gr. *Hoc eſt Auditorium Principis*, *Hoc Præfecti prætorio*, &c.

XXXI. Obſtare videtur huic interpretationi alius ejuſdem Auctoris locus cap. 39. *Quantum virium detraxiſſe orationi Auditoria & Tabularia credimus, in quibus jam fere plurimæ cauſæ explicantur?* Quippe ubi manifeſte jam *Auditoria* tribuuntur *Cauſis*, ſeu veris Litibus. Verum heic obſervandum, Primo, non loqui tamen Auctorem de *Auditoriis* ſtatis ac pu-

publicis Principum, aliorumve, ſed de quibuſcunque locis, ubi ordinarii, a Prætore dati, *judices*, qui & ante hæc verba, & poſt, nominantur, privatim leviores cauſas, ſeu quæ pro levioribus haberentur, cognoſcebant, vel explicari ſibi malebant, id quod hoc tempore invaleſcere cœpit, unde inter cauſas eloquentiæ multum a Tulliano & Auguſteo tempore degenerantis ab Auctore illo heic refertur. Quin domi quoque, & alibi, jus potuiſſe dici illo tempore docet Vlpianus l. 4. D. de interrog. in Jure faciendis, dum verba Prætoris, *Qui in Jure interrogatus reſpondit*, ex more ſui maxime temporis interpretatur *ſic accipienda: apud Magiſtratus Populi Rom. vel Præſides provinciarum, vel alios Judices: Jus enim eum ſolum locum eſſe, ubi juris dicendi vel judicandi gratia conſiſtat, vel ſi domi, vel in itinere hoc agat.* Secundo, fuiſſe ergo hæc iſtius Auctoris *Auditoria* non modo nihil ad nos attinentia, ſed & fuiſſe leviorum cauſarum, & privata. Id quod

quod ex eo patet, quod tantum tribuuntur *Judici*, non Prætori, aut Magiſtratui; quodque in ſeqq. dicitur, deeſſe his Auditoriis *Campum*, *per quem liberi & ſoluti ferantur Oratores: Unum & alterum* ſolummodo, ipſos ſcil. quorum cauſa agitur, & teſtes aliquot, *dicenti adſiſtere*, & *rem veluti in ſolitudine agi*; denique ex eo, quod Capitalia judicia, ut & quæ Prætores, & alii Magiſtratus ipſi exercebant, immo & Centumviralia agebantur omnia etiam illo tempore, extraordinaria quidem in Senatu, reliqua in Foro & in Baſilica Iulia, aliiſve publicis locis, magno cum hominum concurſu. Tertio, Auctorem hunc ſæpius ante nominaſſe *Auditoria* ſemper in ſignificatu Scholæ Rhetorum, vel etiam loci cujuſcunque in recitationem Carminum adhibiti, immo oppoſuiſſe *Foro* & *Cauſis*: atque idcirco videri omnino heic illud vocabulum tribuiſſe qualicunque loco parietibus concluſo, ubi cauſæ quædam privatim explicarentur coram Iudice,

dice, ad exemplum Auditorii Scholaſtici: idque ſuo potius motu feciſſe & conſilio, quam ex uſu jam tum vulgari; licet non negaverim prorſus, poſtea, temporibus ICtorum, Vlpiani, Pauli, &c. pro hujusmodi locis uſurpatum etiam vulgo hoc vocabulum. Quarto, Non poni hic *Auditoria* pro peculiari, ſeu audiendis cauſis proprie & perpetim deſtinato loco, ſed pro quocunque, ubi aliquando cauſæ audiuntur, licet aliis ceteroqui rebus proprie deſtinato, & vulgo aliter appellato, ut fuere *Tabularia*, *Auditoriis* proinde ab illo Auctore addita, ut quæ præ aliis locis in eum uſum adhiberi ſolerent. Atque ita quum Valerii Aſiatici cauſa cognita eſt in *Cubiculo* Imp. Claudii, Meſſallina & quibuſdam aliis coram, recte illa ex uſu ſeqq. temporum poſſet dici *in Auditorio Principis* cognita, ſive locum intelligeres, ſive etiam conſilium vel cœtum illorum, qui aderant. Certe enim Plinius manifeſte pro cœtu Auditorum Ep. IV. 7. de Regulo, *Nuper adhibito*

ingen-

ingenti Auditorio librum de vita filii recitavit. Immo & de cœtu Auditorum in publico judicio, VI. 2. de eodem Regulo, *Illa perquam jucunda unà dicentibus*, ſcil. cum Regulo in publicis judiciis, *quod libera tempora petebat, quod Audituros corrogabat. Quid enim jucundius, quam ſub alterius invidia, quamdiu velis, & in alieno Auditorio, quaſi deprehenſum, commode dicere?* h. e. inter Auditores, ab alio, ſeu à Regulo, corrogatos & invitatos, ut ad hoc judicium venirent. Quin ipſe Auctor de corr. el. c. 34. de ipſius populi concione in Foro, *Auditorium*, ait, *ſemper plenum, ſemper novum, ex invidis & faventibus*, ſcil. conſtans. Immo vero etiam in ICtorum ſcriptis *Auditorium* de multitudine hominum in Iudiciis Fori & Tribunalium interpretantur aliquando Viri Eruditi. Veluti quum *l.* 1. *D. ne de ſtatu defunct. poſt quinquen. quæratur*, ait Marcianus, *Ego quoque in Auditorio publico id ſecutus ſum.* Quo proinde modo pleraque

etiam

etiam alia ICtorum loca, quæ ex Pandectis adferuntur, recte prorſus exponi queant vel de Conſilio Iudicum, ſeu Adſeſſorum Principis, Præfecti, & Magiſtratuum, vel ſaltem de qualicunque, non certo aut ſtato, loco, ubi cauſa quæpiam audiebatur & cognoſcebatur. Sic certe *l.* 41. *D. de recept. arbitr. Majori tamen viginti annis, ſi minor* XXV. *annis ſit, ex hac cauſa ſuccurrendum, ſi temere Auditorium receperit, multi dixerunt.* Agitur hic de Arbitris & Compromiſſariis Iudicibus, quorum utique nullum erat ſtatum aut publicum *Auditorium*, & quorum tamen *Auditorium recipi* dicitur; quod quid aliud, quam eorum poteſtatem audiendæ iſtius cauſæ qualicunque in locò admiſſam? Similiter itaque quum Paulus ait *l.* 54. *de re jud. Qui ad majus Auditorium vocatus eſt, ſi litem inchoatam deſerit, contumax non videtur.* Et *l.* 5. *de. offic. Adſeſs. Conſiliario, eo tempore, quo aſſidet, negotia tractare in ſuum quidem Auditorium

torium nullo modo conceſſum eſt, in alienum autem non prohibetur; h. e. in *Suum* quidem judicium, cujus ipſe eſt Aſſeſſor; ſicuti *Alienum*, cujus non eſt adſeſſor, licet eodem forſan in loco utrumque eſſet judicium, ſeu auditorium. Vlpian. *l.* 16. *de Minor. Induci eum in Auditorium ſuum; poſt ſpeciem in Auditorio eorum finitam: permiſerunt in Auditorio ſuo examinari.* In quibus omnibus potuiſſet eadem loquendi ratione adhibitum eſſe vocabulum *Conſilii*, *quod præbere*, *in quo manumittere*, &c, dicitur Magiſtratus. Sic Idem *dixiſſe ſe aliquid in Auditorio* teſtatur, *l.* 78. *de jure dotium*: D. Marcum *in Auditorio de hujusmodi ſpecie judicaſſe l.* 22. *Ad SC. Trebell.* Denique *non oportere per alium cauſas agi, ſed ipſum adeſſe Auditorio l.* 2. *An per alium cauſæ appell. reddi poſſint.* Nihil utique liquet ex omnibus his locis de publico, perpetuo ac ſtato cauſis cognoſcendis *Auditorio*, ut ſunt ex. gr. in Academiis noſtris ſua ſingulis pene diſciplinis; & qualia ſane

detur, quoniam percuſſores, illo interfecto dicuntur κατελθεῖν διὰ μέσης τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ, *deſcendiſſe per mediam viam Sacram*, in quam deſcendebatur ex Palatio. Sed longe tunc alia jam erat rerum facies, majorem in modum aucta poteſtate Præfectorum tum Prætorii, tum Vrbis, tum Vigilum, quam fuerat ſub primis Imperatoribus, certe quando adhuc imperitabant Auguſteæ familiæ Cæſares, qui imperium primi occupaverunt, in eoque adminiſtrando ſua illa σοφίσματα πολιτικὰ ſtudioſe ſervaverunt, niſi ubi adfectibus abriperentur, ut Adverſa pars ipſa ſatis prolixe alibi oſtendit. Nihil ergo Vlpiani tempus & æqualium ad præſens quæſitum facit, quod verſatur in tempore Neronis plus ſeculum antiquiore, a quo quantopere deflexerit illud in hoc quoque negotio, vel ex eo patet, quod toties in illo, & tot memorantur Auditoria, ut etiam *a minore ad majus Auditorium vocari* quis dicatur, quum in iſto neque uſquam neque ullum reperiatur apud

tot Scriptores accurate ſingula Principum facta perſequentes.

XXXIII. Et profecto magnam prodit *veri inopiam*, quod Adverſa pars fuiſſe jam tempore Neronis *Auditorium Principis, in quo provincialium cauſæ fuerint actæ*, probare nititur ex Imp. Gratiani ætate, ſiquidem Symmachus VIII. 17. teſtetur *provincialem actionem ad Sacri Auditorii Cognitorem neceſſaria provocatione pervenire. Nam*, ait Adv. pars, *gliſcente adulatione, quod olim Principis Auditorium, deinde Sacrum Auditorium fuit dictum.* Sed quid? ſi ille Symmachi locus, quem itidem, ut reliqua, ſuggeſſit Briſſonii Lexicon, non modo ab Neronis, ſed & omni Principis Auditorio longe ſit alienus, & is *Cognitor Sacri Auditorii* non ſit ipſe Princeps, ſed Præfectus Vrbi? Certe hujus quoque *Auditorium* iſtis temporibus *Sacrum*, æque ac Principis, vocabatur etiam ab ipſis Principibus, adeo ut dicere non gravarentur ad Præf. Vrb. *l.* 13. *C. Theod. de Appell. Volumus Appel-*

Appellationes minime ad noſtram referri Clementiam, ſed Gravitatis tuæ Sacrum Auditorium exſpectari. Quin immo ipſe ille Præfectus diſerte appellatur *ſacri Auditorii Cognitor, & diſerte* inſuper diſtinguitur a Principe *l.* 44. C. Theod. eod. ad hunc ipſum Symmachum Præf. Vrb. *Objecta Appellatione vel ad Nos, vel ad Cognitorem Sacri Auditorii, ſolenniter cauſa mittatur.* Sed & idem Symmachus Epiſt. II. 30. *Præfectum Vrbi*, modo ita, modo etiam ipſe, *Cognitorem S. Auditorii*, vocitat. Docuit hæc me, doceat & alios Vir longe Eruditiſſimus Jac. Gothofredus *ad l.* 11. *C. Theod de Appellat.* ut ita conſtet denique, perperam ex Briſſonio allatum contra nos Symmachum.

XXXIV. Ita vero ſatis liquide, ni fallor, jam declaravimus, Vbi, & quomodo jus dixerint Imperatores, ut & nullum fuiſſe in Palatio peculiarem locum, qui appellatus fuerit *Prætorium*, immo nullum fuiſſe ſub primis Imperatoribus publicum in Palatio & proprium juri dicundo Auditorium.

Alia omnia ſentit, & adfirmat ſua auctoritate, Adverſa pars. Nam non unum, ſed ad minimum duo diverſa Palatio primorum Imperatorum tribuit publica Anditoria. nempe Principis, & Præfecti prætorio, dum primo in definitione *Prætorii*, ait §. 3. illud *fuiſſe partem Palatii, in qua fuerit Auditorium Imperatoris, & ejus Præfecti*: at dein §. 7. *ab Auditorio Principis diſtinctum fuiſſe videri Auditorium Præfecti prætorio, ut in l. 40. de reb. Cred. Auditorium Papiniani P. P. ſatis perſpicue ſeparetur ab Auditorio Principis*. Fuerunt ergo in Palatio, ſeu parte quadam Palatii, duo diverſa Auditoria, quibus plura etiam, veluti Præfecti Vrbis, cui Appellationes ad Cæſarem delatæ mandabantur, addi poſſe eodem jure, eademque ratione, nullum eſt dubium. Sed dolendum, quærenda eſſe etiamdum iſtic omnium illorum fundamenta, quæ nulla comparent. Vt taceam, parum convenire Magnificentiæ & deliciis Aulæ, tot eam Auditoriis, & tanto

tanto judiciorum ſtrepitu circumſonare. Ceterum, quod ad Præfectum prætorii, nullus ego dubito, primitus eum jus dixiſſe in Caſtris prætoriis, quibus proprie erat præfectus, ſicuti deinceps dicemus. Certe jus dicebat ille inter milites, adeo ut etiam capite damnare eos poſſet, ſicuti Auguſto ſuaſit Mecænas, ex cujus conſilio ille Præfectos hoſce conſtituit. Vide Dionem lib. LII. Jam vero Milites judicari utique debebant iſtic loci, ubi erat integra eorum multitudo, ubi ſervabantur noxii, immo ſimpliciter, judicari debebant intra Vallum caſtrorum. Iuven. Sat. XVI. 15. *Legibus antiquis caſtrorum & more Camilli Servato, miles ne Vallum litiget extra, Et procul a ſignis.* Vbi ne putes ullo modo excipi Caſtra hæc Prætoria, cavet Scholaſtes Vetus, qui de iis ſolis videri poſſet verba illa accepiſſe, dum nihil aliud heic adfert, quam, *Caſtra intra Vrbem erant militum, quæ Tiberius fecit:* quæ ſunt Caſtra Prætoria.

XXXV. Præterea erant in hiſce

caſtris omnia eadem, quæ in aliis reperiebantur, inprimis ea, quæ ad judicia exercenda pertinerent. Erant iſtic, primum *Principia*, locus ille patulus, in quem milites convocari, judicia pro concione exerceri, & ſupplicia ſumi ſolebant. Sueton Othon. 7. *Imperator conſalutatus inter fauſtas acclamationes, ſtrictosque gladios, ad Principia devenit.* Et dein *ad conciliandos pollicitationibus militum animos pro concione teſtatus eſt, &c.* Erat porro in Caſtris *Tribunal*, judiciis & judicia exercentibus pene proprium. Sueton. Galb. 18. *Adoptionis die neque milites allocuturo caſtrenſem Sellam de more poſitam pro Tribunali, neque &c.* De qua adoptione dixerat cap. præced. *Piſonem, filium appellans, perduxit in Caſtra, ac pro concione adoptavit.* Et Caſtrenſe illud Tribunal deſignatur haud dubie etiam a Tacit. Hiſt. I. 36. illo *ſuggeſtu, in quo paulo ante aurea Galbæ ſtatua fuiſſe, & tunc medium inter ſigna Othonem vexillis circumdediſſe milites* dicun-

dicuntur. Denique fuit in illis Caſtris & Principiis etiam *Templum*, certe tempore Herodiani, qui ſæpe ejus facit mentionem. Sed non erat iſtic *Prætorium*, ait Adverſa pars. Immo addiderim Ego, neque eſſe poterat, ſiquidem non habitabat in caſtris Imperator. Prætorium autem pro loco poſitum ſignificare imprimis manſionem Prætoris ſive Caſtrenſis, ſive Provincialis, etiam diſtincte a loco juris dicundi, ſupra oſtendimus. adeo ut Adverſa pars documenta adferre debuiſſet non ſuæ, ſed vetuſtæ auctoritatis, unde pateat *Prætorium* pro loco judicii, diſcreto ab habitatione Præſidis ſeu Prætoris, poſitum uſquam fuiſſe ante hæc, vel etiam diu poſt hæc tempora. Ceterum licet in Caſtris his Prætoriis nullus eſſet locus, qui appellari poſſet *Prætorium*, videtur tamen iſtic fuiſſe, certe fuit poſtea, qui omnem alium Prætorii uſum, præter præcipuum illum habitationis, haberet. Is vero erat Templum illud, ubi proinde ſervabantur ſigna & Aquilæ, ubi

pernoctare poterant, & aliquando pernoctarunt Imperatores. Herodian. IV. 4. de Anton. Baſſiano, ſeu Caracalla, ἐπέπεσεν εἰς τὸ στρατόπεδον, ἔς τε τὸν νεὼν, ἔνθα τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα τοῦ στρατοπέδου προσκυνεῖται: *Irruit in Caſtra, & in Templum, in quo ſigna & ſtatuæ Caſtrenſes coluntur.* Et dein cap. 5. eundem illa nocte ἐπιμεῖναι ἐν τῷ νεῷ τοῦ στρατοπέδου, *pernoctaviſſe in Templo caſtrorum* addit. Pariter tempore Elagabali, quum milites metuerent Alexandro Cæſari, cui ille inſidias ſtruebat, dicuntur iſti lib. V. c. 8. denegaſſe Elagabalo ſolitam corporis cuſtodiam, occluſiſſe ſe Caſtris, & voluiſſe Alexandrum in *Templo Caſtrorum* videre: ſcil. ut eum iſtic ſervarent tutum ab inſidiis. Cenſeo itaque Templum hoc in iſtis Caſtris ſucceſſiſſe Prætorio, neque tantum propter ea, quæ de eo Templo traduntur, ſed & quia ipſum etiam Prætorium in aliis Caſtris erat aliquo modo Templum Caſtrenſe. Certe Joſeph. de B. Iud. III. 6. Prætorium dicit

eſſe

eſſe ναῷ παραπλήσιον, *Templo proximum*, Erat quippe exſtructum in rotundam Templorum formam, habebat Augurale, & alia Templis convenientia. Vide Lipſium de Mil. Rom. lib. V. Dial. 2.

XXXVI. Poſtremo in Caſtris illis Prætoriis ab ipſo etiam Imperatore in concione militum non modo ſuſcipiebatur Imperium, & peragebatur Adoptio Cæſaris, ſi quæ eſſet facienda; verum etiam *jus* revera *dicebatur*. Exemplum habemus apud Tacitum An. XI. 35. in Claudio, quem *incenſum & ad minas prorumpentem Caſtris, infert* Narciſſus, *parata concione militum*: dein *Admotus Silius Tribunali, non defenſionem, non moras tentavit, precatus, ut mors acceleraretur*. Item in Septimio Severo, qui Romam veniens, *Prætorianos juſſit ſibi cum ſubarmalibus inermes occurrere, eoſdem ſic ad Tribunal vocavit, dein ingreſſus eſt Romam*, referente Spartiano cap. 6. Cum quo conferri debet caput. 17. ubi Severus ille

ille dicitur, *victo & occiſo Juliano Prætorias cohortes exauctoraviſſe*, haud dubie, quando eos ad Tribunal vocaverat. Quum ergo ex antiquis Legibus ordinarium jus militibus dici deberet intra vallum caſtrorum ſuorum; quumque fuerint in hiſce Caſtris Prætoriis *Principia*, fuerit *Tribunal*, fuerit etiam revera ab ipſis Imperatoribus *jus* ibi *dictum*; haud dubie id quoque iſtic factum a Præfectis Prætorii, qui Militibus illis proprie præerant, & quorum curæ mandabantur noxii in hiſce caſtris cuſtodiendi, ſicuti deinceps docebimus. Non fuere diligentes adeo priſci Scriptores in annotandis judiciorum iſtic exercitorum exemplis, quia fuerunt illa militum, & proinde minoris momenti, nec ſatis digna notatu in Annalibus aut Hiſtoriis: quas ſatis ſuperque implebant res Senatoriæ iſtorum temporum. Cæterum poſtea, quum jam huic poteſtati Præfectorum acceſſiſſet præcipua Imperii Cura, adeo, ut dignitate ac poteſtate proximi eſſent

Impe-

Imperatoribus ipſis, tunc ſane facile ego largiar, eos etiam in Vrbe, & Dicaſterio Vrbano vel Palatino Ius dixiſſe. Nam certe Vitalianus Præf. præt. ſub Maximino, occiſus fuit ἐν τῷ οἰκίσκῳ τοῦ δικαστηρίου, *in conclavi Dicaſterii*, idque ante exortam lucem, quum adhuc ſolus eſſet vel cum paucis valde; ut forſan iſtic quoque habitaverit, ſicuti ſolebant in provinciis dicaſteria & habitationes Præſidum eſſe eadem ædificia.

XXXVII. Atque ita jam tandem non modo abunde probatam dedimus noſtram *Prætorii* interpretationem, ſed & ſatis prolixe declaravimus, allatis validis, ni valde fallor, rationibus, quare illud vocabulum neque pro Palatio, neque pro ejus parte, quod vult Adverſa pars, uſurpari potuerit, aut uſurpatum uſquam occurrat apud Veteres Latinos Scriptores: licet ea quidem in re, negando ſimpliciter illam expoſitionem, potuiſſemus eſſe defuncti, ſiquidem Adverſa pars nullum omnino Latini Scriptoris locum attulerit

ad

ad probandum eum iſtius vocabuli uſum aut ſignificationem, immo neque factum aut exemplum ullum ad probandam ipſam rem, quam iſto vocabulo voluit ſignificari; quum tamen ea, ſi extitiſſet, debuiſſet fuiſſe multi uſus & præcipui loci in Hiſtoriis & Vitis primorum Cæſarum. Nihilo tamen minus gloriari non veretur, *ſe probaviſſe id, quod univerſæ diſputationi conficiendæ ſufficiat*, nempe *Prætorium fuiſſe partem Palatii*. At videamus, quomodo. Scilicet non ulla Latini Scriptoris auctoritate, immo neque ullo exemplo aut Hiſtoria rei in tali parte Palatii geſtæ, ſed unico Dionis Caſſii Græci Scriptoris loco, quo in hanc rem jam ante abuſus erat P. Faber Semeſtr. I. 1. pluribus ibi agens de Præfecto prætorii, & laudatus hoc nomine a Briſſonii Lexico. Cæterum agit Dio iſtic de honoribus decretis & additis habitationi Vrbanæ Auguſti, collocatas ad eam eſſe duas laurus & appenſam ſuperne coronam querceam, ad teſtandas ſimul Auguſti victorias, & decus

cus ſervatorum ab eo Civium. Tum ſubnectit, habitationem illam appellatam eſſe *Palatium*, quia in monte Palatino Cæſar & habitabat, & habebat τὸ ϛρατήγιον, vocabulum, quod apud Græcos reſpondet Latinorum Caſtrenſi *Prætorio*. Hinc vero elicit omnia, quæ rei conficiendæ ſufficere auguratur, Adverſa pars. *Primum, quod Prætorium fuerit in Palatio: Secundum, quod domus Cæſaris etiam nomen ſuum acceperit inde, quod ibi erat Prætorium.* Voluit dicere, domum Cæſaris accepiſſe nomen *Palatii*, quod in monte Palatino eſſet non modo illa Domus, ſed etiam Prætorium. *Tertium, quod tamen nomen domus Cæſareæ, non fuerit Prætorium, ſed Palatium.* Tranſeant hæc omnia, modo recte, & ut debent, explicita. *Sed hinc præter rem tres iterum* ait *oriri collectiones.* 1. Prætorium fuiſſe domum, vel partem domus, quia Palatium Cæſaris fuit domus, non tantum ob habitationem, ſed etiam quia Prætorium illic erat. 2. Habitationem Cæſaris fuiſ-

ſe

ſe diſtinctam a Prætorio, licet utrumque fuerit in Palatio. 3. Vulgo & πανδημεὶ domum Cæſaris non fuiſſe dictam *Prætorium*, ſed *Palatium*. Poſtremæ huic collectioni nihil reponam, niſi quod Ego dixerim, Dionem tradere ſimpliciter, domum Cæſarum fuiſſe appellatam *Palatium*, nulla prorſus facta mentione appellationis *Prætorii*, licet ſecundum Adverſam partem iſtic loci agatur de illo *Prætorio*, quod Adv. pars præcipuam adeo partem Palatii conſtituit, ut inde Palatio & Aulæ præfecti dicerentur *Præfecti prætorio*. Secunda etiam collectio nihil plane adverſus me continet. Nam quomodo fuerit Prætorium in Palatio, mox dicemus. Primam vero inanem prorſus, & veri caſſam ac inopem pronunciare non vereor. Quod ut appareat, verba Dionis heic exhibebo, καλεῖται δὲ τὰ βασίλεια Παλάτιον, οὐχ ὅτι καὶ ἔδοξέ ποτε οὕτως αὐτὸ ὀνομάζεσθαι, ἀλλ' ὅτι ἔν τε τῷ Παλατίῳ ὁ Καῖσαρ ᾤκει, καὶ ἐκεῖ τὸ στρατήγιον εἶχε. Iam quæ ex his & in his conſequentia, ſi maxime συλλογιστικῶς loquamur; Aula ſeu

ſeu *Regia* Cæſarum (τὰ βασίλεια) *appellatur* etiam nunc vulgo *Palatium*, *non quod ita eam appellari unquam decretum fuerit; ſed quod Cæſar* Auguſtus *in Palatio*, h. e. in monte Palatino, *domum ſuam habebat*, (ᾤκει ab οἶκος domus) *& quod ibidem etiam habebat Prætorium*; Ergo *Prætorium* eſt *domus* vel *ejus pars*. Quæ λογικὴ, quæ *naturalis* immo *Philoſophia* in legendis & intelligendis Auctoribus priſcis hanc conſequentiam ex his verbis eliciendam docet? Quæ ratio jubet στρατήγιον, ſeu *Prætorium*, hic magis ſignificare Domum, ſeu partem domus, quam ſtationem prætorianornm militum ad Aulam; quippe quum ea ſtatio eſſet & ipſa quaſi pars Aulæ; certe ſpecies & vis principatus; ut mox oſtendemus. Sed ſi maxime Dionis hoc στρατήγιον ſignificaret Domum vel partem domus, quibus iterum fidiculis inde extorquebimus, ſignificare *judiciariam* partem domus magis, quam aliam partem, & quidem illam, in qua pernoctabat & ſe

P tue-

tuebatur contra injurias aeris cohors *prætoria*, ſeu στρατηγικὴ. Vide, mi Lector, quam futilis, & frivola ſit hæc probatio. Et tamen unicus eſt hic locus, quo nititur Adverſa pars ad probandam rem adeo liquidam ſcilicet, *ut ſi antehac probandam ſuſcepiſſet, putaſſet Lectorem illudi ſibi crediturum*. Nempe ſic ſolent magni illi Heroes auctoritate ſuæ ſententiæ, & quodam quaſi verborum faſtidio obterere, quoſquos minorum gentium aggrediantur.

XXXVIII. Tu vero, Lector, memoria velim breviter repetas, quæ ſuperius diſputata: *Prætorii* Vrbani vocem ſæpe occurrere uſurpatam de rebus ad militiam prætorianam pertinentibus, ut dicantur *Veterani milites e Prætorio, Centuriones &c. Prætorii; Milites adſciti, allecti, relati in Prætorium, exauctorati e prætorio*, ſicuti alii *ex Vrbanis cohortibus, & Vigiliis*: Nullum contra ne unicum quidem adferri locum, unde pateat de re judiciaria, vel quacunque alia

non

non militari unquam adhibitam: Porro Palatium Cæſarum in Vrbe R. nunquam fuiſſe appellatum *Prætorium*, immo etiam alibi, etiam diutiſſime poſt, *Palatia* ac *Prætoria* fuiſſe diſtincta ac diverſi generis & dignitatis ædificia; Sed & *Prætorium*, Locum denotans, tum ante, tum longe poſt Auguſtum nunquam fuiſſe diſtinctæ ſignificationis ab ipſa habitatione, & *Prætorium* Caſtrenſe, unde omnis hujus vocabuli uſus, non ſignificare partem aliquam tabernaculi, ſed integrum illud tabernaculum, in quo tendebat Imperator; æque ac *Prætoria Navis* ſignificat itidem integram Navim. Denique primos illos Imperatores neutiquam habuiſſe publicum & ordinarium in Palatio locum judiciis exercendis deſtinatum, immo nullum cauſarum genus poſſe memorari, quod iſtic fuerit diſceptatum, quin omnia alibi fuiſſe acta vel per ipſos, vel mandatu eorum, nec niſi pauciſſimas cauſas intra Aulam, non in certo & ſtato, ſed quocunque ejus in loco, extra ordinem auditas fuiſſe.

Capita harum rerum conſiſtunt pleraque in negando. Tanto facilius refutari ab Adverſa parte potuiſſent, certe debuiſſent, allatis ſaltem quibuſdam, ex tot illius ævi Auctoribus, in contrarium documentis, ſicuti Ego quidem meam interpretationem compluribus exemplis firmavi. Verum quia Adv. pars id neutiquam fecit, non modo ipſius ſententiam prorſus aſpernor, ſed & aliter interpretandum quoque cenſeo Dionem, niſi velimus, illum tribuere quid Palatio Cæſaris Auguſti, quod iſthic nunquam ſub Auguſto, neque etiam diu poſt, fuit, nempe publicum cauſarum Auditorium. Verum ſi maxime fuiſſet iſtic ejuſmodi Auditorium, non tamen inde ſequeretur, id intelligi a Dione voce στρατηγίυ, ſi quidem ea voce, ut & Latina *Prætorii*, appellatum fuiſſe unquam tale aliquod Auditorium Vrbis, ſeu Palatii Romani, a nemine probatum eſt, nec probatum iri arbitror. Quid ergo? Omnino intellexit heic Dio, ubi agit de honoribus Palatii, ſtationem prætoriarum cohor-

cohortium, quæ ſemper erat in Palatio ad Aulam, quæque erat quaſi pars Aulæ ſpecioſiſſima, eam vel maxime diſtinguens ab aliorum ædibus. Vnde Tacitus An. I. 7. Tiberio dicit adfuiſſe ſtatim a defuncto Auguſto *excubias, arma, cætera Aulæ*, ſcil. inſignia. Immo erat hæc ſtatio *vis & ſpecies dominationis*, quomodo Sueton. Tib. 24. eam appellat.

XXXIX. Sed, inquit Adverſa pars, vertunt omnes στρατήγιον Dionis per *Prætorium*. Quidni? Quin & Ego ſic verterem, ſiquidem nullum eſt aliud unum in Lingua Latina vocabulum, quo res ea, quam intelligi a Dione cenſeo, exprimatur, nihilque etiam aliud eſt, quod eo vocabulo de re Vrbana uſurpato intelligatur. Quæ etiam cauſa haud dubie, quare Dio Græcum illud vocabulum στρατήγιον iſtum in ſenſum heic adhibuerit, ut, ſicuti *Prætorium* apud Latinos non modo notat Prætoris tabernaculum in Caſtris, ſed & dein ſub Impp. in Vrbe vel corpus militum Prætorianorum

norum, vel locum ubi pariter tendebant illi milites, dictum plenius *Prætoria caſtra*, vel *Prætorium caſtrum*: ut itaque ſimiliter etiam στρατήγιον, quod primo quidem & proprie ſignificat tabernaculum illud caſtrenſe, deſignet tamen deinde etiam, certe hic apud Dionem, vel ſtationem iſtam Militum ad Aulam excubantium, vel locum ubi illi excubabant. Hæc autem interpretatio tanto majorem, & certiorem heic habet locum, quia Dio verſatur in rebus Auguſti, ſub quo Imperatore Milites Prætoriani diſperſi adhuc habitabant per Vrbem & vicina Vrbis; & proinde præter Aulam, ubi ille Imp. excubias, ſeu ſtationem integræ cohortis, & idcirco magnum illorum Militum in unum conjunctorum numerum habebat, nullus alius tunc erat locus, cui tribui poſſet vox στρατηγίου, ſeu *Prætorii*, ſive pro loco ipſo, ſive pro ipſis Militibus ſumatur. Secus ſe res habuit ſub ſeqq. Imperatoribus: ſiquidem proximus ipſi Tiberius, ut refert Sueton. c. 37. *Romæ Caſtra*

con-

conſtituit, quibus prætorianæ cohortes, vagæ ante id tempus, & per hoſpitia diſperſæ, continerentur. Atque adeo ex illo jam tempore, licet manerent excubiæ & ſtationes circa Aulam, potiſſimus tamen locus prætorianorum Militum erant & habebantur hæc Caſtra prætoria; ut in quibus conjunctim illi vivebant. Quapropter de Auguſto quidem dici non potuit, quod alibi, quam ad Aulam, habuerit τὸ ϛρατήγιον, de aliis vero potuit dici; contra de aliis vix potuit dici, quod ſuum ϛρατήγιον ad Aulam habuerint, ut potuit de Auguſto, quoniam ſub illis demum hujus vocabuli uſus, æque ac ipſum Corpus horum Militum, tranſlatus eſt in Caſtrum Prætorium. Quæ etiam ratio eſt haud dubie, quare Dio de ſolo Auguſto dicat, habuiſſe eum in Palatio τὸ ϛρατήγιον, de aliis vero nuſquam deinceps. Nolim itaque me roget Adv. pars, quo alio in loco apud Dionem iſthoc in ſenſu τὸ ϛρατήγιον occurrat, quum res meæ interpretationis aliter ſeſe habue-

rit ſub Auguſto, de quo loquitur Dio, aliter ſub aliis Imperatoribus. Præterea appellantur hi quidem milites aliquando a Græcis Scriptoribus etiam στρατηγικοὶ; ſed tamen & hoc modo rariſſime, licet illud ceteroqui vocabulum prorſus item reſpondeat Latino *Prætorianorum* militum æque, ac στράτηγιον *Prætorio*. Denique apud alios tamen Græcos Scriptores τὸ στρατήγιον ponitur quoque pro στρατοπέδῳ, *Caſtris*, ſicuti ita exponit hocce vocabulum Suidas. Immo & aliam hujus expoſitionem, vulgatæ lectionis, & ex MSto a Stephano firmatæ, quæ στρατήγιον interpretatur per τόπον τοῦ στρατοῦ, *locum exercitus*, contra Adverſarium adferre ac tueri poſſem, quum is ita rem gerere ſoleat, ac ſi id ſibi negotii præcipue crederet datum, ut Ariticorum emendationes irrideat & explodat. Sed ne quid contra animi mei ſententiam faciam, non urgebo id, ſiquidem vere, licet contra codices, Lipſium iſtic legendum cenſuiſſe στρατηγοῦ pro στρατοῦ. Ex quo tamen ipſo etiam ap-

paret, Suidam certe non agnoviſſe aliam τȣ̃ ϛρατηγίȣ ſignificationem, quam ſimpliciter τόπȣ, *habitationis*, ſeu nullam loci judiciarii ſeorſim ab habitatione conſiderati. De cetero, mihi ſufficit abunde, quod Suidas ϛρατήγιον etiam pro *caſtris* ſumi apud Veteres probat; ut adeo nulla ratio ſit, quo minus & Dio recte cenſeatur hoc vocabulum adhibuiſſe pro loco ſtationis prætorianæ, vel etam ipſa illa ſtatione, ſiquidem nihil frequentius, maxime apud Græcos, quam vocabula proprie locum denotantia transferri ad deſignandos homines iſto in loco verſari ſolitos, ſicuti paſſim etiam illud ϛρατόπεδον, *Caſtra*, pro militibus ponitur. Quod ſi tamen omni modo poſtulare Adv. pars velit alia apud Dionem exempla iſtius, quam dedi, ſignificationis, oſtendat prius ipſe alia item loca; in quibus occurrat τὸ ϛρατήγιον, ita ut partem Palatii Romani judiciis publicis deſtinatam notet. Si vero facere id nequeat, judicandum relinquo Lectori, quænam explicatio Dionis

P 5 ver-

verbis magis conveniat, utrum domus judiciariæ, quam in Palatio ſuo Auguſtus nunquam habuit; an ſtationis Prætorianæ, quam ibi habuit, & cujus corpus in Lingua Latina voce *Prætorii* denotatur, voce, cui Græcum illud στρατήγιον prorſus & omni ex parte reſpondet.

XL. Præter hunc Dionis locum, nullum alium, ut dixi, adfert Adv. pars, ad probandum; *Prætorium fuiſſe partem Palatii;* aliud tamen addit argumentum, ſed quod, ſi quam vim haberet, neutiquam probaret id, quod probaviſſe dicitur, verum aliud: nempe, *Palatium & Prætorium fuiſſe Synonyma*, idque quia *Præfectus prætorii* a Græcis dicatur ἔπαρχος αὐλῆς. Illud vero licet jam ſatis ſuperque fuerit a me in ſuperioribus refutatum, iſtius tamen argumenti rationem & nexum vel ſic diligenter heic excutiemus, ut in quo adeo graviter profecto labitur Adverſa pars, ut ſi mihi res eſſet cum alio, cujus minore ducerer reverentia, maximus mihi hic ſane aperiretur Adverſarium

ex-

exagitandi campus. Prætorium, inquit, *fuiſſe partem Imperatoriæ domus indicant Græci rerum Romanar. Scriptores, qui* Præfectum Prætorii *vocant* Præfectum Aulæ. Et dein, Præfectus *igitur* Prætorii *eſt* Præfectus Aulæ, *neque* Prætorium *ab* Aula *ſeparatum, niſi quis duo diſtincta Officia* Præfecturam Aulæ, & Præf. prætorii, *quæ in eodem Præfecto concurrerint, tempore primorum Cæſarum nobis excogitet, quanquam ne ſic quidem Græci* Præfectum prætorii *ſimpliciter* τῆς αὐλῆς *dixiſſent, ſi* Aula & Prætorium *res ſeparatæ, nec* Aulæ Præfectura *fuiſſet ipſa* Præfectura prætorii. Nemo non videt, nullam eſſe in hoc argumento vim, niſi non modo *ſimpliciter*, ſed & conſtanter, vel ſaltem potiſſimum, Græci & maxime antiquiſſimi quique *Præfectum prætorii* appellaverint in ſua lingua *Præfectum Aulæ*. Sed adeo hoc falſum eſt, ut ipſam Adv. partem id ignorare neutiquam cenſeam. Accipio tamen hunc modum interpretandi *Prætorii*, ejuſque ſignificationis eruendæ per locutiones alias, quibus

bus Præfectus prætorio deſignatur, ſed non in Græca modo Lingua, verum & in Latina, quam vel inprimis hic ſpectandam cenſeo, quippe futuram ita ſui ipſius interpretem. Ponamus ego in medio *Præfectum prætorio.* Quæritur jam, cui rei proprie ſit Præfectus, ſeu, quid iſtic *Prætorium* ſignificet. Adv. pars adfirmat ſignificare *Palatium, Aulam.* Ego, *prætorias cohortes.* Quapropter videndum nunc nobis, quomodo aliter priſci Linguæ Lat. Scriptores eum appellarint. At vero ex tot antiquiſſimis Hiſt. Auguſtæ Scriptoribus, Tacito, Suetonio & æqualibus nullum omnino adferunt locum, neque Adv. pars, neque quos ſuæ ſententiæ Auctores habet, Briſſonius & Faber, ubi Præfectus prætorii appelletur *Palatio* vel *Aulæ præfectus*; quum quam plurima Ego adferre queam, ubi *Præf. prætoriis cohortibus*, vel *prætorianis militibus* dicatur. Sic enim Tacitus, quando primam ejus muneris facit mentionem, An. I. 7. *Sejus Strabo, & C. Turanius,* ille

ille prætoriarum cohortium præfectus, hic annonæ. Hiſtor. IV. 11. *Julius Priſcus prætoriarum ſub Vitellio cohortium præfectus.* cap. 68. *Varus prætorianis præpoſitus vim atque arma retinebat. Eum Mucianus pulſum loco, annonæ præfecit, Arretinum Clementum prætorianis præpoſuit, lætum Militibus id nomen dictitans.* Sueton. Calig. 12. *Macro, qui tum prætorianis cohortibus præerat.* Et ſic alibi. Vide Claud. 21. Tit. 4. Domit. 6. Quid? quod idem homo promiſcue modo *prætorii*, modo *cohortibus prætoriis præfectus* dicitur? De Sejano Tacitus An. I. 24. *Simul prætorii præfectus Ael. Sejanus Collega Straboni patri ſuo datus.* At IV. 1. *cauſa penes Sejanum cohortibus prætoriis præfectum.* Similiter Luſius Geta ſub Claudio dicitur An. XI. 32. *prætorianis impoſitus*, mox vero cap. 33. *prætorii præfectus.*

XLI. Procedit hoc argumentum tanto magis, quoniam proprium, ſeu longe præcipuum, immo unicum fuiſſe

iſſe primis temporibus Præfecti P. munus, ut præeſſet Militibus, ſeu proprie *prætoriis cohortibus*, clariſſimis aliquot Taciti item locis facile probari poteſt. An. XI.33. *Trepidabatur nihilominus a Cæſare, quippe Getæ prætorii præfecto haud ſatis fidebat. Ergo Narciſſus non aliam ſpem incolumitatis Cæſaris adfirmat, quam ſi jus Militum uno illo die in aliquem libertorum transferret, ſeque offert ſusſcepturum.* Nullum hic eſt dubium, quin per *Milites* intelligantur Prætoriani, quibus Geta præerat, unde cap. 31. *prætorianis impoſitus* dicitur. Neque item dubitandum, quin *Jus* illud *Militum* ſit ipſa Præfectura prætorii, vel ejus potiſſima pars; ſiquidem quia non fidebatur Præfecto Prætorii, idcirco jus illud Militum, per quos omnia agere debebat Cæſar, transferendum erat in alium. Similiter An. XII. 42. *Nondum tamen ſumma moliri Agrippina audebat, ni prætoriarum cohortium Cura exſolveretur Luſius Geta, & Rufus Criſpinus. Igitur diſtrahi cohor-*

tes

tes ambitu duorum, & ſi ab uno regerentur, intentiorem fore diſciplinam, aſſeverante uxore, transfertur Regimen cohortium ad Burrhum Aſranium, egregiæ militaris famæ, gnarum tamen, cujus ſponte præficeretur. Omnes hic nominati fuere Præfecti prætorio, ſed nihil prorſus de illis in hac eorum Hiſtoria memoratur, niſi *regimen*, & *cura prætoriarum cohortium*, tanquam unica res, cui eſſent præfecti, nulla omnino mentione Palatii, vel Prætorii judicialis, a cujus tamen præfectura Adv. pars vult illos eſſe appellatos. Denique An. VI. 8. de Sejano: *Videram Collegam Patris, regendis prætoriis cohortibus; mox Urbis & Militiæ munia ſimul obeuntem.* Ergo Sejanus quum *Patri* ſuo, qui erat Præf. prætorii, *Collega* daretur, nihil aliud curandum accepit, quam *prætorias cohortes*; at vero *Mox*, poſtquam ſcilicet *vim Præfecturæ modicam antea intendit, & Tiberium variis artibus ſibi devinxit*, ut ait Tac. An IV. 1. 2. tum demum, utpote præci-

puus jam miniſter Tiberii, obiit ſimul *Militiæ*, ſicuti antea jam obierat, &, non proprie Palatii quædam *munia*, ſed totius *Urbis*. Accedit his, quod paſſim habetur illud munus pro Militari ſimpliciter munere, & ejus *Præfectus* ſæpe ſimpliciter hoc nomine, *Militum* vel *Caſtrorum* reſpectu, appellatur. Apud Tacitum An. IV. 7. queritur Druſus Tiberii F. *exſtructa jam ſponte Præfecti caſtra, datos in manum Milites. Præfectus* is Sejanus, cujus inſtinctu extructa caſtra Prætoria. At cui rei Præfectus? Nempe *Caſtris* & *Militibus* prætorianis, h. e. ut vulgo dicitur, *Prætorio*. Hiſtor. I. 82. in ſeditione Militum Prætorianorum, *Manipulatim allocuti ſunt Licinius Proculus, & Plotius Firmus Præfecti*: ſcilicet, eorum, quos allocuti ſunt. Quin eos, ut pateat, proprie & unice *Militibus* præfectos, *ipſi Milites ſibi legiſſe* dicuntur Hiſtor. I. 46. Adeo præcipue ad milites, non ad ullas alias Aulæ res pertinebat hæc *Præfectura*. Atque hinc a Pomponio Icto §. 19. *D. de Or. Juris*, tan-

quam Militare plane munus confertur cum Tribunis Celerum ſub Regibus, ut & cum Magiſtris Equitum ſub Dictatoribus, quorum utique in munere nihil ſane fuit, quod παραλληλίᾳ quadam comparari poſſit cum Palatio Cæſarum; ſed multum omnino, quod cum Prætorianis Militibus. Ergo quum modica adhuc eſſet hæc *Præfectura*, curabat *Militiam* tantum, & *Prætorias cohortes*, at poſtea majorem in modum fuit aucta, accedentibus etiam aliis curis, veluti *Aulæ*, & *Annonæ Militaris*. Sed quum jam inde ab ipſo initio *Præfectura* hæc cognominata fuerit *Prætorii*, vera hujus vocabuli ſignificatio in ipſis quoque iſtius muneris initiis quærenda eſt, quæ quum fuerint, ut dixi, tantum *militaria*, nihil aliud ſupereſt, quam ut per *Prætorium*, cui quis *Præfectus* dicebatur, intelligamus Prætoriarum cohortium Milites. Atque ita vides, Mi Lector, quam plurima ex præcipuis Linguæ Latinæ ſcriptoribus, & ex variis locutionibus, quibus illi Præfecturam Prætorii deſignant;

nant, pro mea *Prætorii* interpretatione poſſe adferri, quum nihil e contrario ab Adv. parte allatum ex iis ſit pro ſua.

XLII. Sed videamus jam etiam, quomodo Græci, ad quos unice provocat, *Præfectum prætorii* appellaverint. In quo extra omne dubium major ratio eſt habenda antiquiſſimorum quorumque, quam poſteriorum. Siquidem illi non aliter eum deſignare potuerunt, quam locutionibus convenientibus ſimplici & modicæ poteſtati, quam primis temporibus habuit, & a qua tamen denominatus eſt jam tum *Præfectus Prætorio*; quum poſteriori tempore multæ acceſſiones ſint factæ ad hoc munus, quas proinde in exprimendo eo reſpicere potuerunt, & revera etiam reſpexerunt poſteriores Scriptores. Ut adeo contra animi ſui ſententiam haud dubie agat Adv. pars, quando *Prætorii* Interpretationem petit ex eo, quod Græci quidam, veluti Plutarchus, Herodianus, & Zoſimus *Præfectum Prætorii* appellarint ali-

aliquando ἔπαρχον τῆς αὐλῆς: quum minime ignorare poſſit, etiam illos, certe Plutarchum & Herodianum, plerumque aliter, reliquos, partim antiquiores, partim æquales, ſemper aliter, illum Præfectum reddere. Videamus pleraque ſingillatim. Antiquiſſimus eſt Lucas, qui in Actis XXVIII. 17. στρατοπεδάρχην vocat, h. e. proprie *Præfectum Caſtrorum*, ſeu *Caſtri prætorii*; quomodo tamen, quod notari velim, nondum appellari potuiſſet tempore Auguſti, quoniam poſtea demum prætoriani hi milites Caſtro ſuo concludi cœperunt. At ſicuti ridiculus eſſet, qui ex eo, quod ſic a Luca, & ἔπαρχος τοῦ στρατοπέδου ab aliis, vocetur præfectus ille prætorii, conficere velit, fuiſſe jam tempore Auguſti illa prætorianorum Caſtra, quorum P. P. fuiſſet ἔπαρχος; ſic æque abs re alienum eſt, ex eo, quod poſteriores Græci hunc *Præfectum* appellant ἔπαρχον αὐλῆς, concludere, præfectum prætorii fuiſſe jam olim proprie & præcipue Præfectum Aulæ, eamque illo *prætorii* vo-

cabulo ſignificari. Porro Joſephus Antiq. XVIII. 8. paratas dicit Tiberio inſidias dolis Sejani, δύναμιν ἐν τῷ τότε μεγίστην ἔχοντος, διὰ τὸ τῶν στρατευμάτων εἶναι ἡγεμονίαν αὐτῷ, *potentiam illo tempore maximam habentis, quia ipſius erat præfectura cohortium*, ſeu exercituum, qui erant in Vrbe, & quos inter præcipui erant Prætoriani Milites, ſi modo præter hos ulli alii hic intelliguntur. Certe Gelenius *Præfecturam prætorianorum Militum* vertit. Iterum de Clemente Præf. P. ſub Gajo Caligula locutus, ait XIX. 1. Κλήμης μὲν ἐπὶ τῶν στρατοπέδων, *Clemens quidem Caſtris Præfectus*. Rurſus XIX. 3. mentionem faciens ipſius Aulæ, in quam ex Caſtris delatus fuerit Claudius initio imperii, etiam iſtic Præfectum prætorii a Claudio tunc conſtitutum, non tamen αὐλῆς, ſed τῶν σωματοφυλάκων στρατηγὸν, *Corporis Cuſtodum Ducem* appellat. Denique XX. 5. Burrhum, Clariſſimum illum P. P. extremis Claudii & primis Neronis temporibus, τὸν τῶν στρατευμάτων ἔπαρχον vocat. Plutarchus quidem in Galba re-

pe-

peritur Præfecto P. tribuiſſe titulum ἐπάρχου τῆς αὐλῆς, ſed tamen non hunc modo, verum & ἐπάρχου τῶν δορυφόρων; ἀκούσας, inquit, τῆς μὲν αὐλῆς, καὶ τῶν δορυφόρων ἔπαρχον ἀποδεδεῖχθαι Κορνήλιον Λάκωνα. *Cum audiviſſet Aulæ & Prætorianorum Militum Præfectum eſſe deſignatum Corn. Lacona.* Atque ita Idem etiam ipſos Milites vocat αὐλικοὺς καὶ στρατηγικοὺς προσαγορευομένους, h. e. *Aulicos*, quoniam ad Aulam excubabant, & *Prætorianos*, quoniam ita vulgo appellabantur. Ceteroqui P. P. plerumque ſimpliciter ἔπαρχον vocat, & quidem talibus in locis, ubi non de Aula, ſed Militibus agitur. Sic enim, iterum in Galba, Nymphidius Sabinus P. P. ſubornaſſe dicitur multos *in Caſtris* (ἐν τῷ στρατοπέδῳ) *dicentes, mittendos eſſe ad Galbam, qui peterent, ut Nymphidius in perpetuum & ſine Collega conſtitueretur* ἔπαρχος. Et in Oth. non longe ab initio, τοὺς ἐπάρχους ἀπέστειλε τοῖς στρατιώταις, *Præfectos miſit ad Milites.* In extr. *Milites, cum Pollio, alter τῶν ἐπάρχων, juberet eos*

 con-

confeſtim jurare in verba Vitellii, ægre id tulerunt. At quorum hi ἔπαρχοι? Nempe τῶν στρατιωτῶν, *Militum* Prætorianorum, qui hic memorantur. Sequitur jam Dio, qui vitas Cæſarum uſque ad Alex. Severum accurate eſt exſecutus, & proinde frequentem illorum *Præfectorum* fecit mentionem. Ille vero, ubi eos vocet ἐπάρχους τῆς αὐλῆς, velim oſtendatur. At ἐπάρχους vel ἄρχοντας τῶν δορυφόρων paſſim apud eum reperias. Vide Lib. LII. & LIII. Sic de Sejano Lib. LII. μετὰ τοῦ πατρὸς τῶν δορυφόρων ἦρξε. Et dein, patre in Ægyptum miſſo, μόνος τὴν προστασίαν αὐτῶν ἔσχε. De Macrone Sejani ſucceſſore Lib. LVIII. ἄρχειν αὐτὸν τῶν σωματοφυλάκων ait, & dein ἡγεμονίαν τῶν δορυφόρων ei tribuit. Denique ἄρχων τοῦ δορυφορικοῦ Juſtus Catonius lib. LX. ἔπαρχος τοῦ δορυφορικοῦ Burrhus lib. LXI. appellantur. Quæ omnia plane conveniunt noſtræ, adverſantur adverſæ partis interpretationi. Et tamen audet Adv. pars ex Græcorum quadam locutione argumentum pro ſua ſententia pe-

petere. Porro Herodianum *Præfectos prætorii* appellare etiam τ̃ ἀυλῆς ἐπάρχους ipſe nuper monueram, ſed neutiquam accipiendum id, quaſi ſemper aut plerumque eos ita appellaverit. Nam e contrario facit id adeo raro, & adeo frequenter eos aliter vocat, ut in accuratiſſimo ceteroquin Herodiani Indice nulla fiat mentio ἐπάρχων τ̃ ἀυλῆς, quam plurima vero memorentur loca; ubi τοῦ στρατοπέδου, vel τῶν στρατοπέδων ἔπαρχοι, ἐπάρχοντες, ἡγούμενοι, προεστῶτες dicuntur: immo ut diligentiſſimus ille Rupertus ad Pomponium tradat, Herodianum Præfectos P. *ſemper* appellare ἐπάρχους τῶν στρατοπέδων. Perperam illud quidem, ſed ex quo tamen apparet, quod illi certe altera illa & rariſſima deſignatio, quam ſolam Adv. pars memorat, nuſquam occurrerit. Reliquos inferioris ætatis, veluti Zoſimum & ſimiles, qui poſt Conſtantini tempora vixere, non perſequemur, ſiquidem in vera ſignificatione vocabulorum *Præfecti præt.* indaganda reſpiciendum maxime eſt ad ea tempora,

pora, quibus exortum eſt hoc munus & hæc ejus appellatio, & quibus ſimplicem ac modicam adhuc poteſtatem habuit & deſignavit; non item ad poſteriora, quibus, quum multa alia huic olim *modicæ* Præfecturæ jam acceſſiſſent, variis illa appellationibus exprimi a Græcis potuit.

XLIII. Nempe revera *modica* prorſus erat, ut cum Tacito dixi, hæc præfectura primis temporibus, ac mere militaris; qua propter etiam mandabatur hominibus modicis, obſcuris, ex ordine tantum Equeſtri oriundis, immo ſæpe ex municipiis, qualis erat Sejani pater, homo Vulſinienſis: quum e contrario Præfectura Vrbis daretur jam inde ab initio Viris Senatoriis præcipuæ nobilitatis & dignitatis. At vero quia plerique poſt Auguſtum Impp. in truculentiſſimos deſcivere tyrannos, & proinde ſalus eorum ac ſecuritas unice eſſet ſita in voluntate, ac fide Militum Prætorianorum; inter hos autem quam plurimum poſſent Præfecti ipſorum; idcirco non aliis hanc Præ-

fecturam committere audebant illi Imperatores, quam quibus maximam haberent fidem. Jam quibus in tanti momenti negotio præcipuam habebant fidem, iis eandem tribuebant quoque in aliis ad ſe & dominationem ſuam pertinentibus. Unde factum denique, ut Præfecti prætoriis cohortibus ſemper deinceps adfuerint Imperatori ſuo, curarint & adminiſtrarint omnia ad Aulam pertinentia, immo ad totam Vrbem: quemadmodum de Sejano ait Tacitus, primo Collegam patri datum, tantum *regendis prætoriis cohortibus*: at *Mox Vrbis & Militiæ munia ſimul obiiſſe.* Atque hinc illud Præfecti munus poſtea habitum quaſi proximum, vel *alterum ab Auguſto imperio*, ut loquitur Victor in Veſpas. immo cujus dignitati nihil deeſſet, præter honorem *purpuræ*, ſeu quæ eſſet βασιλεία ἀπὸ πορφυρ©, ut Eunapius, & a qua denique non liceret provocare, ut JCtus *Dig. de Offic. P. P.* Quapropter ſic omnino exiſtimandum eſt, huic Præfecturæ Prætorii acceſſiſſe tan-

dem etiam Præfecturam Aulæ, & proinde quando Græci poſteriores Præf. P. appellant ἔπαρχον τ̃ αὐλῆς, id eos facere, reſpicientes ad iſtam acceſſionem & incrementum huic muneri poſtea additum, non ad primam ejus originem, quando modica adhuc & ſimplex erat illius poteſtas, & quando tamen illud *Præfecti Prætorio* nomen accepit. Et quemadmodum præfecturam Aulæ acceſſiſſe dico, ſic prorſus acceſſit denique etiam Cura Annonæ, olim itidem diverſa. Unde Tacitus An. I. 7. duos nominat, alterum *Præf. prætorii*, alterum *annonæ*. Similiter Hiſt. IV. 68, *Varum Prætorianis præpoſitum*, ſed *loco pulſum*, *ne* tamen *ſine ſolatio ageret*, *annonæ præfectum*, ait. At poſtea *annonam* quoque ab ipſis Præfectis P. curatam diſerte teſtatur Victor in Veſpaſ. & notum eſt ex Hiſtoria Imp. Gordiani, ejuſque præfectorum Miſithei & Philippi. Cæterum liquet ex allatis, Antiquiſſimos quoſque Græcorum deſignaſſe Præfectum P. iis locutionibus, quæ

quæ noſtræ interpretationi *Prætorii* prorſus reſpondent, ſive pro *Caſtro Prætorio* ſumatur, ſive pro *Corpore Militum Prætorianorum*; Paucos ex his, nec eos antiquiſſimos, & non niſi valde raro cæpiſſe cum ἔπαρχον τῆς αὐλῆς vocare; Reliquos, qui ita conſtanter locuti fuerint, vixiſſe demum poſt Conſtantini tempora, quum ſublata jam eſſent Caſtra illa Prætoria, & cohortes ad Vrbem poſitæ. Eat proinde Adv. pars, & argumentum præcipuum petat ex hac Græcorum quorundam ſerioris ævi locutione, ut probet, quid olim in Lingua Latina *Prætorium* ſignificaverit.

XLIV. Miror non produci contra me ab Adv. parte locum Phlegontis, quem publice mihi opponi audivit, quique unus aliquam habet ſpeciem, certe majorem, quam omnia contra me ex Briſſonio diſputata. Reperitur enim in Græco illo Scriptore, qui Imp. Adriani tempore vixit & ſcripſit, ipſa illa vox πραιτώριον, & ita, ut primo intuitu poſſet cuiquam vi-

videri ſignificare Aulam vel ejus partem, dum in eo πραιτώριον παλλαντιανὸν h. e. *Prætorium Palatinum* nominatur. Verba ſunt cap. 4. de Longævis: Φαῦστος Καίσαρος δοῦλος ἐκ σαβίνων, ἀπὸ πραιτωρίου παλλαντιανοῦ, ἔτη ρλς. Sed neque in his ullam prorſus ineſſe difficultatem, perſpiciet facile quilibet, qui intellexerit, quo ſenſu ſumſerit Phlegon voculam ἀπὸ. Nempe adhibet eam ad denotandum locum, Vrbem, Regionem, unde quis ortus. Sic cap. 1. bis, Μακεδὼν ἀπὸ Φιλίππων, h. e. natione *Macedo, ex* Vrbe *Philippis* Similiter iterum bis ibid. Τιανὸς ἀπὸ Πόντου, *Tianeus ex regione Ponti*, atque ita ſæpius. Eodem proinde modo & hic *Fauſtus Cæſaris ſervus* primo quidem dicitur fuiſſe natione *Sabinus*, ſed dein *ex Prætorio Palatino*, ſeu Cæſareo. Non ſignificatur ergo hic quicquam, quod eſſet in Vrbe, ſed quod eſſet in Sabinis. Nempe deſignatur omnino Villa quædam in Sabinis voluptati Cæſarum deſtinata, quales illi multas habuerunt ſervis quam plurimis inſtru-

ſtructas, qui proinde naſcebantur plerumque in agris & villis. Et hunc ſane ſervum non egiſſe Romæ in Palatio, colligi poteſt vel ex eo, quod addit Phlegon, ſe quoque eum vidiſſe, (Ἀδριανῷ τῷ Καίσαρι ἀποδειχθέντα) quum adductus eſſet in conſpectum Adriani Cæſaris, ea gratia aliunde propter miraculum tantæ ætatis arceſſitus. Iſthoc autem ſenſu vocem *Prætorii* in Lingua Latina iſtius ævi paſſim occurrere extra controverſiam, immo in confeſſo eſt utrimque. Sed & a Græcis illius temporis receptam, manifeſtum ex eo, quod diminutivum Græcæ formæ ab hoc Latino vocabulo ea in ſignificatione derivatum adhibuerit Arrianus in Epictetum III. 22. οὐ γυνὴ, οὐ παιδία, οὐ πραιτωρίδιον; quæ tribuuntur iſtic Cynico, nihil horum ſibi eſſe aſſerenti.

LX. Supereſt nunc nihil, quam ut hactenus diſputata cum verbis Pauli conferamus, & ſic æſtimandum Lectori relinquamus, Cui *ingenti inopia veri opus fuerit ad ſuam ex verbis*

bis ejus interpretationem exprimendam, quod de me adfirmat pro ſua auctoritate Adverſa pars. Nempe ſicuti nihil tam recte dici poteſt, quin ſecus interpretando in deterius rapi queat, ſic illud inprimis verum eſt in explicatione facti, ſimpliciter & ſine ſuis circumſtantiis tantum uno in loco relati; quippe ad quod recte explicandum aliis ex locis circumſtantiæ quædam conquiri & connecti debent, ſæpe etiam ex probabili adſumi. Tale eſt omnino illud nobis controverſum, quod Paulus de ſe tradit, ſua ſcilicet vincula, eorumque cauſam eſſe cognitam & *declaratam in omni Prætorio, & in omnibus aliis* hominibus, non addens, quomodo, aut qua ratione. Dedi tamen nuper hujus loci & facti paraphraſin, partim indubiam & aliunde probatam, partim probabilem prorſus. Sed Adv. pars pro more illorum, qui aliorum ſententiam inverſa connexione ſtudent deridiculo exponere, ita inſtituit, tanquam ſi voluiſſem ex eo ſolo, *quod Paulus Militem ex Prætorianis unum domi in Urbe*

Cu-

Cuſtodem habuiſset, conficere, *Paulum tantum habuiſſe negotii & conſuetudinis cum Prætorianis militibus*, *ut ideo* tantum *illi verbis his*, in omni Prætorio, *nominatim deſignati fuerint*. At vero longe alia fuit in ſuperiori Diſſertatione ratio mea & argumentatio, quam idcirco heic paulo uberius nunc exponam, & ſingillatim confirmare annitar. Nempe præcipuum meæ interpretationis fundamentum eſt, quod vox *Prætorii*, qua uſus eſt Paulus, nunquam alter in lingua Latina aut Græca iſtius & multorum deinceps ſeculorum, ad res Vrbis R. memorandas adhibita occurrat, quam in ſignificatu cohortium Prætoriarum, neutiquam certe, in ſignificatu Palatii aut ejus partis. Jam vero Paulus ex Vrbe R. ſcribens, & rem iſtius Vrbis Latina ſeu Romana voce exprimens, ea utique voce uti debuit, & uſus eſt haud dubie iſthoc in ſenſu, quo unico in Libris & Lapidibus reperitur, non eo, quo apud nullos Scriptores, non Latinos, non Græcos, non Romanos, non Provinciales

occur-

occurrit. Denique convenientiſſimam etiam docui huic Pauli loco illam interpretationem, ſiquidem Paulus in provincia accuſatus a Judæis, (ἐπὶ τοῦ βήματος καίσαρος) *ad Tribunal Cæſaris ſe judicari debere* adfirmavit, Actor. XXV. 10. atque idcirco Cæſarem appellavit, & ad Cæſarem miſſus eſt Romam, (δέσμιος τοῦ καίσαρος) cum aliis itidem δεσμίοις, *vinctis*. Iſtic vero traditi ſunt hi δέσμιοι Præfecto prætorianorum militum, Actor. XXVIII. 16. ut a quibus & inter quos cuſtodiebantur οἱ δέσμιοι τοῦ καίσαρος, etiam ex provinciis, etiam Regiæ dignitatis. Paulus ipſe militi prætoriano pro more cuſtodiarum catena alligatus eſt, unde in pleriſque Epiſtolis Roma ſcriptis *catenæ* hujus, & *vinculorum* facit mentionem. Ex his itaque multum negotii & conſuetudinis fuiſſe illi, credibile, immo pene neceſſe eſt, cum prætorianis his militibus, ſui cuſtodis commilitonibus, atque adeo frequentem omnino habuiſſe occaſionem ſuorum vinculorum cauſam declarandi inter eos, & teſtifi-

candi, idque etiam εἰς προκοπὴν τοῦ εὐαγγελίου. Quæ & cauſa, quare hos a *reliquis omnibus* diſtinctos, nominatim *Prætorii totius* appellatione deſignet, idque ita inſuper, ut appareat ſatis manifeſte ex ipſa locutione, eum ſignificare non domum, ſed magnam hominum multitudinem, dum ait, ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι: *per omne prætorium, & per omnes alios.* Poſtremo hiſce militibus quoque, immo & his vel præcipue, declaratam eſſe Pauli innocentiam, ei maxime fuit decorum & glorioſum; quippe quum, ſi iſti eam agnoverint, homines ab omni virtute plerumque alieni, ſequatur pene neceſſario, multo magis eam agnitam a *reliquis omnibus.* Ut adeo ex his omnibus liqueat, nullam prorſus eſſe cauſam in interpretandis Pauli verbis recedendi ab uſitata Latini vocabuli, quo uſus eſt, ſignificatione, & deflectendi ad aliam, cujus nullum reperitur exemplum, quum multa reperiantur contrarium probantia.

XLVI. Sed hæ *Conjecturæ* ſunt;

ὡς σκιαὶ ἀΐσσουσι, ſi compararentur ſcilicet cum *Demonſtrationibus* Adverſæ partis, quæ proinde *nullum in hac* meæ interpretationis *Conjectura, etiam cum illis circumſtantiis accepta; eſſe ne quidem* τοῦ πιθανοῦ *conſequentiam, præ ſua Demonſtratione, non difficile cognitu* pronunciat. Nos ergo ſingula probemus, niſi quæ jam ſatis ſunt probata, quale eſt præcipuum caput, immo prora & puppis hujus controverſiæ, *Prætorium* in ipſa Urbe R. nihil aliud ſignificaſſe, quam Prætorias cohortes, vel earum Caſtra. Sequitur itaque Paulum eo ſenſu adhibuiſſe τὸ πραιτώριον, quo ſolo in illa Urbe, in qua ſcribebat, de re Urbana uſurpabatur. Hæc quidem ratio ex probabili eſt petita, ſed quæ in interpretandis priſcis Scriptoribus omnium conſenſu eſt ſequenda, niſi manifeſtiſſimæ ſint cauſæ, quæ illud vetent. Cæteroquin enim ſtatuendum foret, Scriptorem, qui ſine juſta ſatis cauſa vocabulis, quorum ſignificatio pendet ex communi uſu, plane aliam tribuit, ac vulgo habent, nolle intelligi,

ligi, amare obſcuritatem, & ingenio ac judicio prorſus deſtitui. Sed nihil periculi, ne eo confugiat Adv. pars, ſiquidem non tantum in hoc Pauli loco, ſed & in aliis aliorum, immo & in *Præfecti prætorio* appellatione, controverſam vocem exponi vult per Palatium, vel ejus partem. Verumtamen erunt forſan alii, qui ſic exiſtiment, Paulum provincialem ipſum, & ſcribentem ad provinciales, apud quos *Prætorium* ſignificabat Aulam Præſidum, ſummam iſtic perſonam ſuſtinentium, ad hoc exemplum Aulam quoque Imp. Romani eo vocabulo forſan deſignaſſe. Illi vero, ſi qui ſunt, velim cogitent; Provinciales ſatis ſuperque cognitam habuiſſe differentiam dignitatis ac majeſtatis, quæ erat inter Imperatorem & Præſides provinciarum; idque ipſum abunde etiam ex Pauli exemplo, ad Imperatoris tribunal ex provincia provocantis, & ex eo, quod in ipſis Actis XXV. 26. Imp. Nero ab ipſo provinciæ Præſide, *κατ' ἐξοχὴν καὶ ἐμφατικῶς μάλα* vocatur ὁ κύριος *Dominus*. Deinde in ipſis pro-

vinciis, etiam multis ſeculis poſt, diſtinctam ſemper fuiſſe *Palatii* & *Prætorii* ſignificationem ac uſum, ut ſuperius clariſſime demonſtravimus. Denique tantum abeſſe, ut Provinciales minuerint unquam Cæſarum majeſtatem ac dignationem, ut e contrario ſuis adulationibus & præcipue magnificis appellationibus ſemper eam majorem in modum auxerint: Primos fuiſſe Græcos & Græca Lingua utentes, qui Cæſares appellarint *Reges* Βασιλεῖς, eorumque Palatium neutiquam πραιτώριον, ſed vel Latino vocabulo παλάτιον, vel ſuæ linguæ τὸ βασίλειον, τὰ βασίλεια, h. e. *Regiam*, *Regias ædes*. Ita paſſim non modo Herodianus, Dio, Plutarchus, ſed & ipſe Joſephus, Paulo & gente & ætate conjunctus, ut multis exemplis doceri queat. Vide ſis lib. XIX. cap. I. quippe quo uno capite ſæpius Palatium Cæſaris vocatur τὸ βασίλειον.

XLVII. Quam conveniens vero, & appoſita ſit hæc interpretatio iſti Pauli loco, & ejus fortunæ ibi memoratæ, ex ſupra (§. 45.) dictis & connexis cla-

clariſſime patet, ſed in quibus nonnulla tamen amplius adhuc, quantum poteſt, probare conabimur. Quorum primum & præcipuum eſt, Paulum a Milite Prætoriano cuſtoditum, eoſque milites hujuſmodi cuſtodiis in Vrbe R. præfuiſſe. Nam & illud negavit mihi, ſed nimio ſane, & pene miſero adverſandi ſtudio, Adv. pars, cenſens potius, fuiſſe hunc Pauli cuſtodem unum ex Militibus, qui ex Judæa cum eo & reliquis captivis Romam fuerint miſſi, & ex quibus ille jam ante in itinere peculiariter Pauli Cuſtodiæ fuiſſet adhibitus. Quod non modo non probari, ſed & ab omni veri ſpecie, a moribus Romanorum, immo & a communi interpretatione, eſt alieniſſimum, nuſquam a Luca per omnem Itineris accurate deſcripti Hiſtoriam memorato tali milite. Nec ſolebant Romani milites ſingulares a ſignis ſuis avocatos ſine juſtis ſeu neceſſariis cauſis alibi tenere. Hinc cum Plinius conſuluiſſet Trajanum ep. 30. utrum in ſua provincia Cuſtodiæ per *publicos Civitatis ſer-*

vos, quod ſemper iſtic factum, an vero per *Milites* ſervari deberent, reſpondit Imperator, perſeverandum in ea conſuetudine, quæ in iſta ſit provincia, addens; *Illud hæreat nobis, quam pauciſſimos milites a ſignis avocandos eſſe.* Jam vero in hac Pauli Hiſtoria nulla utique erat cauſa, quare Milites illi ex Judæa miſſi, ubi multo juſtius requirebantur, hærerent Romæ procul a ſignis ſuis, tanto temporis, ſeu aliquot annorum, ſpatio, ſolummodo ad ſervandos vinctos, quum in ea Vrbe eſſent magno numero Milites Prætoriani, qui Cuſtodiis Reorum ad Cæſarem pertinentium proprie præerant. Unde ſicuti ad hunc Actorum locum ex Notis Interpretum plerorumque patet, eos per *Militem*, cui alligatus fuit Paulus, intellexiſſe Prætorianum, Paulo a Præfecto P. additum, ſic & in Tacito, ubicunque *Cuſtodiæ Militaris* fit mentio, ſicuti ſæpe fit, (vide An III. 22. XIV. 60. XVI. 10. &c.) non alia item ab Eruditis intelligitur, nec intelligi poteſt, quam Prætoria-

no-

norum Militum. Sed & ipſi horum militum Præfecto mandatum legimus An. VI. 23. *extractum Cuſtodia Druſum populo Ducem imponeret, ſi arma a Sejano tentarentur.* Trajanus quoque apud Plinium Epiſt. X. 65. jubet ex provincia Plinii itidem *ad Præfectos prætorii ſui mitti vinctum* hominem. Quorſum quæſo, niſi ut illorum cura a militibus prætorianis ſervaretur? Sed notabile prorſus in hanc rem eſt exemplum Regis Agrippæ apud Joſephum lib. XVIII. c. 8. Ubi Præf. præt. Macro ex Cuſtodia ad Imperatorem adducit quendam δέσμιον. Dein vero ipſe Rex Agrippa ab eodem Præfecto vincitur, ab Eodem iterum præficiuntur cuſtodiæ illius Centurio & Milites; ſed rogatu Antoniæ faciles ac humani. Porro ſervabatur Agrippa vinctus in Vrbe in ipſis Caſtris Prætoriis; nam mortuo Tiberio literæ a Gajo Romam miſſæ dicuntur ad Piſonem Præf. Vrbis, ut ipſe, abſente quippe adhuc Macrone Prætorii Præfecto, Agrippam transferret ἐκ τοῦ στρατοπέδου h. e. *ex Caſtris*

(Prætoriis, ſcil. ſiquidem nulla alia erant Romæ) in domum, in qua habitaverat, antequam in vincula daretur. Sicuti ergo hi Milites, quibus cuſtodia Agrippæ in ipſis Caſtris a Præfecto prætorii erat mandata, fuere ſine omni dubio Milites Prætoriani, id quod non negabit, opinor, Adv. pars, licet neque a Joſepho, rem ſatis per ſe intelligi exiſtimante, id diſerte dicatur; ſic ejuſdem haud dubie generis fuit ille Pauli miles, ei itidem a Præfecto prætorii additus, poſtquam Julius Centurio, qui cum ſuis Militibus præfuerat Cuſtodiæ Pauli, & reliquorum, in itinere, eos (παρέδωκεν) *tradiderat Præfecto*, & ſic ex ſua cura & cuſtodia in illius tranſtulerat.

XLVIII. Quia ergo Paulus fuit Præfecto Prætorii traditus, fuit in militari cuſtodia, atque ideo cuſtoditus etiam haud dubie a Prætorianis militibus, & quidem per longum ſane tempus, hinc jam ex probabili iterum aſſumo, habuiſſe eum abunde negotii & conſuetudinis cum illo hominum

ge-

genere, ad ſuorum vinculorum rationem iis *declarandam*, quod unicum in Pauli loco dicitur. Nam ſi maxime uni eidemque militi ſemper fuiſſet alligatus; quod tamen neutiquam reor, vel ſic tamen per unum militem crebram habuiſſet occaſionem cum aliis agendi. Quippe niſi velimus cuſtodem illum redigere in ſtatum æqualem, immo deteriorem reo, concedere ipſi debemus liberum commilitonum & ſodalium ex prætoriis cohortibus ad eum aditum, ſicuti & ad Paulum libere acceſſere omnes alii Actor. XXVIII. 30. immo & ut, quemadmodum ipſe cum Paulo aliquando itabat, quo is deſideraret, ſic Paulus viciſſim ſæpe ab eo trahi potuerit in Caſtra Prætoria ad ſuos commilitones. Verum tamen quum Paulus per aliquot annos in Vrbe R. hæſerit in cuſtodia, neutiquam veriſimile, Militem, qui ei alligatus, fuiſſe omni illo tempore unum eundemque, ſed per vices ſæpius mutatum; ſi modo ejuſdem generis, ſeu adeo laxa ſemper & benigna fuit ha-

moriæ nihil ab antiquis eſt proditum. Nullus tamen dubitem, Paulum, quoniam Præfecto Prætorii traditus fuit, ab eo quoque auditum fuiſſe in Prætoriis Caſtris, ut in quibus ille certe, & primis quidem temporibus, cauſas cognoſcere debuit, ſiquidem iſtic a quoquam & unquam fuerunt cognitæ; id quod factum eſſe ex *Tribunalis*, & *Principiorum* uſu, tum diſciplinæ militaris conſuetudine, immo & exemplis ipſis, abunde ſupra oſtendimus. Deinceps vero etiam a Cæſare auditum reor, ſed & ab eo, Vel privatim in Aula, in quacunque ejus parte Cæſari luberet, ſicuti Valerius Aſiaticus in cubiculo potiſſimum Claudii ſolenniter accuſatus & auditus fuit: Vel publice in in Prætoriis Caſtris. Nam & illic Provinciales quoque, ſi publice audire vellet Cæſar, auditos, colligimus ex eo, quod illi iſtic præcipue cuſtoditi fuerunt, ut patet ex Hiſtoria Regis Agrippæ. Immo & Caractacum Britannorum Regulum Claudius apud Tacitum An. XII. 36. audivit, & *veniam ei tribuit*

in

in Campo, qui Caſtra præjacet, cum *ſtarent in armis Prætoriæ cohortes*. Quorſum quæſo iſtic? Niſi quia Caſtra, ſeu Principia Caſtrorum proprius quidem huic rei erat locus, ſed non ſatis laxus & amplus ad recipiendam, etiam populi multitudinem, cui oſtentari volebat Imperator hanc actionem adeo ſibi glorioſam. Hæc cauſa haud dubie, cur delectus ſit ille Campus ad Caſtra Prætoria ſitus. Ceteroquin enim, ſi nullam Imperator heic habuiſſet rationem Caſtrorum, exhibuiſſet ſine dubio id ſpectaculum veniæ Caractaco publice tribuendæ, in Foro, ubi item maxima conſiſtere poterat hominum multitudo, & jus publice etiam ab Imperatore dici ſolebat. Probabile itaque ex his, etiam Paulum in Prætoriis caſtris æque, ac uſquam alibi, ſaltem a Præfectis auditum, & ſic per ſuam quoque Apologiam habuiſſe occaſionem declarandi ſuam innocentiam præcipue Prætorianis militibus, ſeu omni Prætorio. Nihil tamen ego affirmo, Ubi vere Paulus, & quomodo,

&

& quoties cauſam dixerit, ſiquidem nullam ille hujus rei circumſtantiam memoriæ prodidit. Nec facit quicquam ad meam controverſi loci interpretationem evertendam, ubicunque tandem Paulus fuerit auditus: quandoquidem ille non ſane unico *Apologiæ apud Cæſarem habitæ* actu, immo nec pluribus forſan apud Præfectum Prætorii, ſed maxime quotidianis ſermonibus, & omni genere vitæ, ſuam innocentiam & cauſam vinculorum probavit per omne Prætorium, & per omnes alios homines.

L. Sed quid diutius morer in demonſtranda meæ interpretationis cum hoc Pauli loco convenientia? quum utique neceſſario in eam ſententiam exponi debeat, quam ſolam in Vrbe R. recipiebat controverſum vocabulum; inprimis quando nullæ adferuntur, nec adferri poſſunt facti circumſtantiæ, quæ illam interpretationem prorſus excludant. Sufficit enim mihi, & haud dubie etiam æquo hujus controverſiæ judici, quod *Prætorium* in Vrbe R. ni-

nihil aliud ſignificaverit, quam Corpus prætorianorum militum, qui cuſtodiæ reorum ad Cæſaris cognitionem pertinentium, qualis erat Paulus, præerant: quod Adverſa pars fateri ipſa cogitur, controverſi iſtius vocabuli uſum in iſto ſenſu, quo hunc Pauli locum exponi jubet, *vix unquam apud Latinos Scriptores inveniri*: quodque omnia conquirens adverſus meam interpretationem, nihil tamen invenire potuit ex Pauli Hiſtoria, & illa ad Philippi Epiſtola, quod meam illam Latini vocabuli interpretationem, uſu Linguæ Latinæ ſubnixam, ſubvertat. Ne tamen nihil prorſus iſtius generis adferat, opponit mihi quaſi ex abſurdo, Prætoria *illa Caſtra, quæ ſemper vacua non modo pietatis, ſed & Civilis modeſtiæ fuerint, atque idcirco cum τοῖς ἐν καίσαρος οἰκίᾳ fidelibus non comparanda.* At Comparatio hæc *Caſtrorum* cum ipſis *Fidelibus* ex Aula Cæſaris, parum recte inſtituitur. Opponenda enim fuerant *Caſtra*, & *Aula*, quæ tamen & ipſa, qualis fuerit, etiam

in

in ipſis Neronis initiis, quam itemomnis pietatis & modeſtiæ vacua, docet abunde XIII. Annalis Taciti. Sed habuit *Fideles*; habuerunt haud dubie illos etiam Caſtra inter tot millia hominum. Nec enim Milites prorſus excluſi ſunt regno Cœlorum, quin immo primitiæ fuerunt converſionis Gentilium, ut conſtat ex Hiſtoria Cornelii Centurionis Actor. X. Sed & Miles fuit, de quo jam Chriſtus affirmavit, Matth. VIII. *parem illi fidem ſe in Iſraele non inveniſſe*, addens ea occaſione, *venturos multos ex Oriente & Occidente, atque accubituros cum Abrahamo, Iſaco, & Jacobo, in regno Cœlorum.* Denique ipſe Paulus annon ſatis benigne habitus fuit in itinere a Centurione Julio, & in Urbe a ſuis cuſtodibus, ſiquidem ἀκωλύτως omnia egit, ut dicit Lucas? Quin, ut & aliquid ex profanis heic adferam, an minorem Paulo divinæ virtutis efficaciam ad milites ſuæ innocentiæ convincendos tribui par eſt, quam eloquentia M. Antonii in ejuſdem generis ho-

homines habuit? Ad hunc enim occidendum temporibus Marianis miſſi Milites, *ſermone ejus obſtupefacti, diſtrictos jam & vibrantes gladios cruore vacuos vaginis reddidiſſe* dicuntur a Valer. Max. VIII. 9. immo *fleviſſe omnes*, quum eum audirent, a Plutacho in Mar. Quidni ergo & Prætoriani milites vinci potuerint Sanctimonia & pietate Pauli, quem quotidie videbant & audiebant, eamque in illius vinculis agnoverint, quod unum traditur in loco controverſo de omni illa multitudine tum Militum, tum reliquorum omnium, quodque ipſum neceſſario cedere debuit εἰς προκοπὴν τοῦ εὐαγγελίου, in progreſſum & utilitatem Evangelii, ut dicitur § præced. ſiquidem illi ea Paulinæ ſanctimoniæ agnitione quaſi præparabantur ad facilius recipiendum Euangelium, & alii fratres excitati hoc ſucceſſu vinculorum Pauli, exinde magis ἀφόβως illud prædicare cœperunt. Sed fuerint ſane ceteroqui Caſtra hæc vacua pietatis & modeſtiæ; tanto juſtior erat & probabilior Pauli

glo-

glorιatio in ſuorum vinculorum cauſa, ſua innocentia, & ſanctimonia etiam ipſis Militibus probata, ita ut eam, licet ipſi quidem minime in ſe exhiberent, aut præ ſe ferrent, in Paulo tamen agnoſcere, & haud dubie venerari coacti fuerint; qua re quî dignius, aut luculentius Paulinæ ſanctimoniæ a mortalibus teſtimonium perhiberi, aut illuſtrior ejus vis demonſtrari poſſit, nihil equidem comminiſci queo.

LI. Ita vero ſatis ſuperque probatam jam arbitror æquis Lectoribus meam Paulini loci interpretationem, quæque in ea ſit τοῦ πιθανοῦ *conſequentia*, quam nullam in mea, ut ait, *Conjectura, præ ſua Demonſtratione*, ineſſe Adverſa pars cenſet. At nos, quæ tandem illa ſit *Demonſtratio*, breviter ergo etiam heic inveſtigemus, & bona fide publicæ exiſtimationi exponamus. Primum omnium *Prætorium* in iſto Pauli loco accipi vult de Palatio vel ejus Parte, licet nullum omnino ejus ſignificationis exemplum ex omni Latinitate attulerit, vel ipſe,

vel alius quiſquam, immo licet ipſe fateatur, *fortean vix unquam* occurrere eo ſenſu apud Latinos Scriptores: Et tamen pro auctoritate ſua & imperio, contra uſum Linguæ Latinæ a me probatum, omni modo Paulum de Aula Cæſaris, vel ejus Auditorio interpretandum dictat, quæ Dictatoria profecto eſt *Demonſtratio*. Secundum, quod nobis obtrudit, eſt, Paulum *in ipſo Prætorio*, ſeu *in Auditorio Principis, apud Cæſarem, ejuſque Præfectum, Adſeſſores Judicii, Comiteſque, & reliquos e domo Cæſaris, tum apud omnes alios, qui adfluxerant, Auditores*, ergo prorſus *publice*, cauſam ſuam egiſſe. Si quæras iterum, quo documento? Nullo prorſus, niſi ſuæ voluntatis ac ſententiæ, quæ heic pro omni ratione nobis eſſe debet. Nam non modo, talem Aulæ partem, ſeu Auditorium aliquod Principis appellatum fuiſſe *Prætorium*, ſed neque, tempore primorum Cæſarum, quando adhuc *publica negotia & privatorum maxima apud Patres tractabantur, ſua*

Con-

Conſulibus & Prætoribus erat ſpecies, ut ait Tacit. An. IV. 6. fuiſſe talè publicum & proprium cauſis apud Cæſarem cognoſcendis Auditorium, ex ulla antiqui Scriptoris auctoritate probat, immo neque ullum exemplum cauſæ in Aula publice coram Auditorum concurſu actæ oſtendit. Et tamen hac ſcilicet *Demonſtratione* nititur omnis ejus interpretatio. Tertium eſt, Paulum in controverſo ad Philippenſes loco agere de *fructu glorioſo Apologiæ apud Cæſarem in ejus Prætorio habitæ*, ut *per quam* unice *factum fuerit*, *ut res ejus in melius cederent*. Et proinde jubet *comparare*, *ſi cui vacet*, *meæ interpretationis occaſionem cum ſua illa* ὁρμῇ, *quæ fuit ab Apologia Pauli publice in Prætorio Palatino habita*. Atqui nulla in hoc loco mentio fit Apologiæ iſtius, immo neque in tota Epiſtola, niſi cap. I. v. 7. ubi ſimpliciter dicit Paulus, *ſe meminiſſe Philippenſium tum in ſuis vinculis*, *tum in Apologia*; *tum in confirmatione Euangelii*. Sed & indignum ſane

Paulo, omnem illius, ſuæ innocentiæ ſeu ſuorum vinculorum declarationem, in profectum Euangelii tendentem, arceſſere ab unico Apologiæ actu, quaſi reliquo omni tempore nihil egiſſet, cauſam ſuam & Chriſti neglexiſſet, nec ſtuduiſſet, id, quod monet ſuum Timotheum, εὐκαίρως, ἀκαίρως, *tempeſtive, intempeſtive prædicare verbum Dei*, & ita *confirmare Euangelium*. Immo ille, ut decuit tantæ gratiæ & gloriæ Apoſtolum, quotidie ſuorum vinculorum rationem colloquiis cum omni hominum genere inſtitutis expoſuit, *excepit omnes ad eum venientes, prædicans regnum Dei, & docens cum omni confidentia, quæ de Domino noſtro JeſuChriſto docenda erant*, ut de eo teſtatur Lucas Act. XXVIII. 30, 31. Sed ohe! jam ſatis eſt. Tu, Mi Lector, judica ex his, quibus *Demonſtrationibus*, & qua interpretationis ὁρμῇ nitatur Adv. pars, & in utramque partem re perpenſa decerne tandem, cui potiſſimum *ingenti inopia veri opus fuerit, ad ſuam e verbis Pauli interpretationem exprimendam.*

FINIS.

VLRICI HVBERI,

Viri Ampliſſimi,

DE

PRAETORIO,

Veroque ſenſu Pauli ad Phil. 1. 13. Commentarius.

Cap. I.

Quo de Occaſione & inſtituto hujus commentarii agitur.

INcidimus in aliam diſputationem Juridico-Theologicam, de Prætorio, quod Paulus commemorat in epiſtola ad Philippenſes cap. 1. verſu 13. *Cujus explicatio nova petitur ex hoc principio; quod nullum Romæ Prætorium præter cohortes Prætorias, nec eo tempore, quo Paulus Romæ captivus agebat, nec alias unuam fuerit, ac ideo quod de adſerta Romæ innocentia ſua narrat Apoſtos, id non apud Cæſaris Palatium, d inter cohortes Prætorianas actum*

ſuiſſe. Paulo poſt, quam hæc enarratio loci Paulini publicata fuerat, in Auditorio meo domeſtico agendum mihi fuit de officio Præfecti Prætorio, *cujuſmodi Titulus extat in Pandectis Juſtiniani. Non poterat ibi nova de Prætorio ſententia, toti Auditorio notiſſima, ſine adfectato ſilentio præteriri; maxime, quia poſitiones meæ, ſecundum quas ordinem explicandi Pandectas præire ſoleo, communem veteremque ſententiam diſerte adfirmabant. Factum id eſt igitur ſine ulla perſonali nota vel acrimonia, cujus cauſas procul habeo. Vir Cl. Auctor novæ expoſitionis mecum omnibus amicitiæ officiis fuerat conjunctus; cujus proſpera famæ, quicquid meas adſeverationes, Proceribus, cum e Delfenſi Athenæo in hanc Academiam, me adhuc apud Curiam agente, vocaretur, factas exſuperabat, id omne inde a primis initiis etiam meo quaſi lucro deputabam. Diſſenſiones a meis ſententiis ſiquidem communes eſſent, ita ſemper accepi, ut nullo dicto vel*

facto

facto id animadverſum a me ſignificarem: ita etiam cum ejuſdem profeſſionis conſortibus ſæpe libereque conſtitui, talia neutri parti mutuæve amicitiæ unquam fraudi fore. Si quid novi aut proprii adverſus alterum moveretur, id quominus refellere ſuamque opinionem defendere liceret, arbitratus ſum, incivile fore, ſi amicitiâ ſalva, fas eſſe negaretur. Duntaxat ita ſemper arbitratus ſum, nec adhuc aliter in animum inducere poſſum, quam hoc modo; nullam amicitiam tanti eſſe, quam quis cum detrimento veritatis colendam eſſe putaret. Cujus gratia δεῖν καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, *ſuas quoque* proprias inventiones eſſe abolendas, *maximi philoſophi dictum celebratur. Amicitia res equidem merito præſtantiſſima habetur: ſed eam ſi quis veram putet amicitiam eſſe, cujus fiducia amico veritatem ſuo more adſerenti ſilentium imperare vel indigne iraſci pulchrum ſit, eum ne a facie quidem noſſe amicitiam manifeſtum eſt. Viſus ego ſum heic loci habere ſenten-*

tiam peculiarem, Reges, qui quidem vere tales eſſent, non eſſe Magiſtratus, *nec ita latine vel juridice poſſe appellari, nee ſemel ea de re libere ut inter amicos, diſceptatum fuit. Ea res in eandem* de Prætorio *diſputationem collata fuerat, adſertumque* Reges Romanos tam fuiſſe Magiſtratus, quam Conſules, *idemque nunc etiam recoquitur. Ineptum me futurum fuiſſe, id ægre ſi tuliſſem, fateor; Qui vero ſibi putat, iraſcendum eſſe alii, quod ad auctoritates illius poſitionis deinde, ubi locus, quo præcipue illa nitebatur, ſe juxta filum mearum Exercitationum ad Pandectas offerebat, replicare inſtituerit, ac ita concluſerit; poſſe aliquem Veros* Reges appellare Magiſtratus ſuo arbitratu, non more Latino neque juridico, *viderit, qua ratione quod incepit, continuatum minus belle ferat. Poſtea perventum eſt etiam in meis Exercitationibus ſcripto publicatis ad caput de* officio Præfecti Prætorio. *Collocavi prius ea quæ ante viginti fere annos hac de re*

publice

publici juris feceram. Addidi, illa nuper in dubium eſſe vocata, quod ut nemini ignotum, ita nulli, offenſæ dictum eſſe poterat. Laudavi Auctorem diverſæ opinionis abſque nomine ſatis cognitum. Dixi, me cauſam habere gratulandi Academiæ, quod juventus ita imbueretur antiquioribus literis, ut etiam in juris vetuſtates, antequam Juris Studioſi fierent, inquirendum putarent. Idem eſſe meum inſtitutum, ut non modo Juris Romani uſum quem habet hoc ſeculo; ſed & notitiæ illius origines ex Antiquitatibus Romanis demonſtrarem. Ideo non poſſe me committere, quin ſententiam novam de argumento hujus tituli, in quo verſaremur, examinarem, meamque veterem opinionem, cujus mutandæ nullas haberem rationes, tuerer, atque Prætorium ſuper ſuum Præfectum ruens, ſi pote, fulcirem. Id deinde quomodo ſit actum, inferius demonſtrabitur. Affectum a me abfuiſſe, nolo aliunde, quam ex verbis tum prolatis intelligi, nec in nave,

quod indigniſſime objectum miror, aliter quam inter eruditos erudito ſermone, de Prætorio non de Pauli dictis ſermo commutatus eſt. Id etiam velim, ne quis præſumat, ſtudium adverſandi novitatibus, quod hoc ſeculo non leve crimen eſt, concurriſſe, quo facilius præſenti interpretationi contradicerem. Scio quam neceſſarius ad iter gloriæ compendio perficiendum hic commeatus, Literatis hominibus eſſe credatur, & quam moleſta ſit expectatio laudis, more majorum acquirendæ: ut profecto minime juſta hujus ſtudii affectati reprehenſio eſſe videri potuiſſet. Mihi ſufficit Artis explicandæ veteriſque ſententiæ tuendæ neceſſitas. Clariſſimus Juvenis Auctor novus Prætorii, in quo Paulus innocentiam ſuam demonſtravit, mea dicta fere tot paginis, quot erant meæ lineæ, proſecutus eſt; ingenti ſuperfluitate rerum alienigenarum, quam non video cur imitari me deceat: utique ſi judicii Lectoribus clari & defæcati copiam facere cupiamus.

Ete-

tenim ſi quicquid e veteribus aliqua ſimilitudine blandiens inveniri poteſt, d undique converrere & accumulare velim, fæces liquorem ſubducerent, nec aliud agere velle viderer, quam ut oſtenderem, Philologiæ nihil eſſe commune cum Dialectica & Hiſtoricas diſceptationes a Ratiocinandi arte nimis eſſe remotas: quod valde vereor, ne ſi ex hoc edito ſpecimine de Prætorio Cæſarum ejuſque Præfecto, *conjectura capienda ſit, Lector ad exiſtimandum adducatur. Quæ porro, odioſa de meis ſtudiis, ne quid pejus dicam, paſſim recta oblique ſparguntur, ea, ne faſtum juvenilem iraſcendo intendiſſe videamur, nec commemorare nec retorquere viſum eſt.*

IACOBI PERIZONII Reſponſio.

EX quo in publicum editis libellis prodii, quod contigit annis abhinc ferme novem, eo ſemper fui animo,

mo, ut ſiquidem contentiones & lites literarias, ut eſt ſeculum, evitare prorſus neque Ego poſſem, tamen re ipſa declararem, me in eas invitum rapi ac trahi potius, quam volentem & lubentem irruere. Neque non ex animi ſententia adhuc accidit. Nam ſi quiſquam illud unquam de ſe probare potuit, ego ſane id liquido poſſum, ſiquidem prima hæc eſt controverſia, quæ mihi publice cum quoquam eſt nata, atque hanc necopinanti mihi movit animo ſic ſatis iracundo, licet non laceſſitus, nec ullas, ut ipſe ait, *perſonalis notæ vel acrimoniæ cauſas habens* Vir Ampliſſimus Vlr. Huberus, quam plurimis magno animo ſumtis & depugnatis certaminibus nobilis. Ceterum ut hoc ipſum Lectoribus quoque conſtaret, iiſque liquidi plane & certi judicii copiam facerem de omni hac controverſia, quæ ejus initia, qui progreſſus fuerint, quæ denique ſcribendi & diſputandi ratio a nobis utrimque inita, volui omnia hujus argumenti, tum a me, tum a Viro Ampliſſ. edita in unum volumen con-

jun-

ungere, partim ut ita rationes utrimque allatas conferre, & ex oppoſito, quid præteritum, quid inverſum, quid ſingulis reſcriptum, clarius percipere & dijudicare quilibet valeat, partim ne, quod ad originem controverſiæ & modum agendi, verbis noſtrarum præfationum, quibus ſæpe res in longe aliam, & a vera alienam faciem mutantur, credere neceſſum habeat. Nimirum edideram priorem Diſſertationem *de Prætore & Prætorio*, in eaque expoſueram locum Pauli, ubi *Prætorii* vox occurrebat, ſine ulla Viri Ampliſſimi injuria aut contumelia; immo ita, ut ſancte teſtari poſſim, nulla me cogitatione reſpexiſſe Virum Ampliſſ. quum de *Prætorio* & Pauli loco agerem. Et quid eum reſpicerem? quum utique hoc de negotio nihil proprii unquam tradiderit, nec ex profeſſo egerit; immo nunquam illum quidem Pauli locum allegaverit, de Prætorio vero nihil niſi in Syſtematico & brevi Pandectarum Commentario ſcripſerit; *Prætorium* *dixe-*

dixerunt veteres Tabernaculum ejus (Magiſtratus, cui pareret exercitus.) *Deinde in Aula Principis Prætorium fuit, & Præfecti Prætorio, qui Aulæ præerant.* Quæ nunquam a me fuerant viſa aut lecta. Quid vero Vir Ampliſſ? Scilicet tanquam ſi ſua proprie res a me fuiſſet male habita, aut grande nefas eſſet, ſi quis etiam ignarus & imprudens ab eo, vulgarem alicubi ſententiam breviter profeſſo, diverſum quid ſentiret, ſtatim in ipſo diſputandi actu, cui præſens aderat, rogavit e Cl. Collegis illum, qui proximus ei adſidebat, legiſſetne meam diſſertationem? eoque negante, *non legiſti*, inquit, *quod ille commentatur de Prætorio & loco Paulino? Abſurdum, abſurdum eſt.* Nec ſatis. Paucis diebus poſt ab ipſis ejus diſcipulis narratur mihi, & apertius aliis Collegis, acriter eum in meam illam diſſertationem coram Auditoribus ſuis in domeſtica Pandectarum interpretatione fuiſſe invectum, quum de Præfecto *Prætorii* ageret, idque ita, ut diceret, meam *Prætorii*
ex-

expoſitionem eſſe adeo ineptam, ut mirandum ſit, quî ea in mentem potuerit venire homini, cui ſanum ſit ſinciput. Dolebam ſane illam animi impotentiam, quæ Virum Ampliſſ. ita agitaret, ut ob innocuum & imprudentem ab ſua, immo communi ſententia in re Philologica diſſenſum, omni occaſione etiam coram juventute Academica, Academiæ hujus Profeſſorem iſtiuſmodi invectivis inceſſeret ſtatim & laceraret. Malevolente Genio natus eſt, qui ea eſt indole. Neque tamen vel ſic ſuæ auctoritatis pondere obtritam ſatis autumabat meam ſententiam & exiſtimationem, niſi etiam publice in arenam contra me deſcenderet, meamque *Prætorii* interpretationem ex profeſſo & pro viribus refutare tentaret, & tanquam *inexſpectatiſſimam*, *ad quam e Pauli verbis exprimendam multa inopia veri opus ſit*, abjiceret, non tantum in Academici Exercitii diſſertatione, ſed & in Syſtematico illo Pandectarum Commentario, qui officinam denuo exercet, hujuſmodi Digreſſione au-

auctus, ita tamen, ut quicquid heic ſe *gratulatum Academiæ* oſtentet Vir Ampl. iſtic omiſerit. Scilicet vixdum exſtinctæ erant lites Philoſophicæ ſeu Theologicæ, & ſtatim vices earum excipere ac ſubire debebat noſtra quoque Philologia, ut ſic per omnes artes & diſciplinas graſſaretur vaſtum illud Viri Ampliſſ. ingenium, unius Profeſſionis finibus contineri neſcium. Sed quid facerem Ego; ita privatim & publice, in & coram omni Academia, immo omni orbe erudito laceſſitus, & deridiculo ſeu contemptui expoſitus, quin & deinceps in publico navigio, mentione hujus controverſiæ, ut fit, a Studioſis quibuſdam iterum injecta, indignis modis a Viro Ampliſſ. habitus, id quod ex certis Auctoribus comperi, quid facerem? inquam, niſi ut meam ſententiam nullis omnino documentis, ſed tantum pro auctoritate Dictatoria, & cum contemptu abjectam erigerem, firmarem, & paulo uberius exponerem modeſta & decora Viris Ingenuis reſponſione. Quæ

iſtic

iſtic *odioſa paſſim recta oblique de Viri Ampl. ſtudiis ſpargantur*, ego ſane ignoro. Conqueſtus ſum, quod Vir Ampl. tanta cum iracundia, quam neque in Collegiis ſuis, neque in navigiis, cohibere potuerit, publice me in arte mea, &, quam profiteor, diſciplina aggreſſus eſſet, & quidem ita, ut Dictatorio plane ſtylo omnia peregerit, ſuamque *Prætorii* interpretationem nullis plane exemplis aut Veterum Auctorum locis probarit, licet una hac ratione noſtra controverſia diſceptari debeat, quippe quæ unice conſiſtit in re facti & uſus antiqui, h. e. in quem ſenſum Veteres vocem *Prætorii* de re Vrbana adhibuerint, & adhibuiſſe proinde etiam Paulum credibile ſit. Addito, quod quæcunque tamen Vir Ampliſſ. adverſus me ex Veteribus adtulerit, licet caput rei neutiquam probantia, ea omnia ex Briſſonii Lexico petita eſſe deprehenderim, id quod neque in hoc Singulari Libro negat V. A. niſi ſi negaſſe aut refutaſſe

 cenſeri

cenſeri debeat unica exclamatione, quam mihi reponit cap. 14. *Anguſtus & invidiæ miſer animus!* Ceteroqui vero, quam honeſte ſemper ſenſerim & opinatus fuerim etiam apud familiariſſimos mihi homines de Viri Amp. ſtudiis, & quam vere omnis *perſonalis notæ vel acrimoniæ cauſas procul habeat*, teſtari poteſt Vir Clariſſ. Camp. Vitringa. Sed & id neſcio, quo ſpectet, aut unde oriatur, quod V. A. mihi quoque *imperioſam & indignam iracundiam* objicit, non ferentem, *Amicum ſuo more veritatem aſſerere*, niſi ſi conſulto quæſivit undecunque aliquam querentis ſpeciem, quam & ipſe adverſus me in hoc negotio præberet. Nam ubi ullum vel minimum meæ iræ veſtigium? Contra quum aliquando ſermone inter complures Eruditos orto de Gallicana, quæ tum fervere cœperat, perſecutione perque eam occaſionem de jure Regio, ejuſque prima origine, Ego ſimpliciter dicerem, *pleroſque primos Reges fuiſſe re ipſa Magiſtratus po-*

pu-

puli, exceptus ſum a Viro A. ſubito & præciſo plane reſponſo, *Non fuiſſe, neque unquam ita appellatos, neque Latine, neque Juridice*, idque pronunciatione, ore, vultu in omnem acerbitatem ita conſpicue formato, ut tres ex illis, qui adfuerant, ſinguli ſeparatim ultro mihi mox declaraverint, ægrius ſe tuliſſe illam Viri A. impotentiam. Ego tamen Tulliano illud ſtomacho prætermittens, longo demum tempore poſt, ſeu præterito demum anno, in priori mea diſſertatione §. II. per occaſionem iſtic natam; publice oſtendi, revera primos ultimæ antiquitatis Reges non modo pleroſque fuiſſe omni populo minores ſeu populi *Magiſtratus*, verum etiam hoc vocabulo a Latinis Scriptoribus aliquando inſignitos, quod negatum fuerat; immo etiam Reges Romanos in Pandectis in Magiſtratuum appellationem & ordinem relatos. Nulla iſtic controverſiæ alicujus mentio, nulla prorſus alium refutandi, nedum lædendi imago, nullum vel minimum iracundiæ ſpe-

cimen. At V. A. ut eſt contendendi avi-
dus & promptus, confeſtim ea repoſuit,
quæ a me exhibita ſunt Diſſert. II. §. 2.
In quibus ſuum illud, *neque Latine, ne-
que Iuridice*, repetere non neglexit, ce-
dere neſcius, quamvis clariſſime cetero-
qui videret, perperam id a ſe fuiſſe aſſe-
veratum. Vidiſſe enim illud liquet ex
eo manifeſtum plane in modum, quod
quæſtionis noſtræ ſtatum prorſus inver-
terit, atque ineptiſſime formaverit eum,
qui nunquam cuiquam controverſus
ſuit, aut eſſe potuit, id quod certiſſi-
mum eſt deſperatæ cauſæ indicium.
Nam quis, ſenſu communi non omni
ex parte deſtitutus, negare poſſet the-
ſin, quam V. A. heic & iſtic conce-
pit, *Reges vere tales* (h. e. ut iſtic ſe
explicat, *qui τὸ κύριον in civitate obti-
nent, qui ſunt ἀνυπεύθυνοι, non ſub-
jecti populo*) *non eſſe Magiſtratus po-
puli.* Illud enim qui negaret, idem ſa-
ne faceret neganti id, quod eodem mo-
mento affirmaverat, ſeu dicenti, *Re-
ges illos, qui non ſunt ſubjecti populo,
aut Magiſtratus populi, eſſe ſubjectos*

popu-

populo, eſſe Magiſtratus populi. Cujuſmodi contraria uno ſpiritu affirmare quum non cadat in hominem mentis ſuæ compotem, liquet clariſſime, non poſſe eum inter nos fuiſſe controverſiæ ſtatum, nec illam modo memoratam theſim Viro A. *heic loci peculiarem*, ut tradit. Scilicet bardi ſumus heic omnes, & ſtulti, ac non tantum Dialecticæ, ſed & rationis expertes. Sed bona verba! Controverſum inter nos fuit, quod eſſe poteſt, & ſolet. Utrum Reges a prima rerum origine eo jure fuerint, quod nunc ſibi vindicant, an vero plerique primis temporibus fuerint populo inferiores, ſeu populi ſui *Magiſtratus*; Et, an unquam hoc quoque vocabulum iis fuerit tributum *Latine vel juridice*, quod V. A. tanto cum impetu & vehementia negarat. Quamvis autem hæc controverſia publice ita a Viro A. pertractaretur, ut facile perſpicerent omnes adverſus me eam agitari, & præterea tam nullo negotio demonſtrari a me poſſet, in aliam plane faciem Quæſtionis ſtatum ab ipſo eſſe

converſum, quæ indubia eſt laborantis cauſæ nota, nihil tamen Ego reſpondiſſem, niſi V. A. deinceps me ex profeſſo de mea quoque *Prætorii* interpretatione, nihil prorſus ad ipſum attinente, aggreſſus, ad reſpondendum etiam Cauſæ Regiæ adegiſſet. Et reſpondi quidem Diſſ. II. §. 2. ſed ita, ut tantummodo declararem longe aliam a V. A. dari controverſiæ noſtræ formam, quam fuerat, aut eſſe poterat; Certe nihil extra cauſam adferrem, nec uſquam *indignam* illam *iracundiam* a *veritatis* rationibus & *amicitiæ* officiis adeo alienam proderem. Vellem eodem modo ſibi temperaſſet adverſus me V. A. in hoc Singulari Libro, immo in hoc ipſe Capite, ubi mihi videtur imperioſum & iracundum exprobrare animum. Nam quid ſibi vult, quod cum hic tum alibi paſſim *Iuvenem* me vocitat? Non equidem ignarus ſum, a Romanis Scriptoribus *Iuvenes* appellari etiam meæ ætatis homines, immo etiam, qui Vxorem, & liberos complures jam haberent. Sed neque igno-

ignoro, alio ſenſu vocabulum id & nunc vulgo, & heic a Viro A. adhiberi, dum modo *juvenilem faſtum*, modo *inflatiſſimam juvenis inſolentiam* mihi adſcribit, rogatque Lectorem, *credatne hunc juvenem unquam fuiſſe Hagæ in Batavis*. Scilicet idonea eſt hæc appellatio ad contemptum Adverſarii Lectoribus inculcandum, & verbis ejus, ſi non omnem fidem, certe auctoritatem, derogandam. Atque ideo utendum ea fuit Viro Ampl. adverſus hominem, quem ipſe ceteroqui ſatis ſuperque exploratum habet eſſe natu aliquanto majorem aliquot Collegis, qui & ante eum, & poſt, in hanc Academiam ſunt adſciti; immo adverſus eum, quem ab Eccleſia hujus oppidi in *Seniorum* Collegium noverat cooptatum. Sed bene etiam mecum agitur, qui *Senior* licet, *Juvenis* tamen vocor, quum Clariſſ. in eadem hac Academia Profeſſor & Anteceſſor, iiſdem cum Viro Ampliſſimo ſacris magna cum laude heic operatus, ætatem ingenii & doctrinæ amplitudine longe prætergreſſus, *Impuri*

puri pueri & *Brutinæ ac Puerilis inſolentiæ* encomiis publice ab eo ornetur, quo neſcio an unquam quicquam gravius aut durius in Profeſſorem ſcriptum vel dictum fuerit. Sed quid quæſo mea aut aliorum ætas ad Prætorianam Cauſam & controverſias literarias momenti adfert? Sim juvenis, etiam primæ lanuginis. Nihil inde eliciet vel exprimet V. A. ad probandum, quod probare debebat, *Prætorium in Urbe Roma fuiſſe Palatium Cæſarum, aut ejus partem.* Sed alio etiam utitur telo Viri Ampliſſ. modeſtiâ ad jugulandam plane meam ſententiam. Scilicet omnem a me *Dialecticam & ratiocinandi artem* abjudicat, tum paſſim, tum inprimis hoc capite, & iterum cap. 26. Neque vero a me tantum. ſed & ab omnibus *Philologis*, ut quibus pariter *nihil commune ſit cum Dialectica.* Hoc ſane horrendum & ingens poſtulatum. Nimirum integra Philologorum natio per meum latus, & per cauſam, quod Ego hiſcere fui auſus adverſus eum, qui me nullo modo laceſſitus, palam oppugna-

gnabat, infeſto animo peti debuit, & e Rep. Rationali proſcribi, a Viro Syſtematico, omnem ratiocinandi artem ſibi quaſi propriam vindicante. Ego vero ſecurus ſum iſtius exprobrationis, quam lubens judicio Lectorum ſubmitto. Viro Ampliſmo novam illam & confragoſam Dialecticam, quæ controverſiæ ſtatum, vel etiam caput præcipuum, invertere & immutare identidem docet, & in qua ὕστερον πρότερον primum obtinet locum, ut ſeq. cap. videbimus, non equidem invideo. Miror magis, ratiocinatione eum velle defungi, ubi loca Auctorum, & exempla rerum in medium ſunt adferenda, ſeu ubi auctoritate Veterum, & Uſu Linguæ demonſtrando diſceptandum eſt: contra Auctoritate antiquiorum Interpretum ſeſe efferre & jactare, ubi ratiocinatione erat pugnandum. *Ingentem* illam *rerum alienigenarum ſuperfluitatem*, unde oriri maxime cenſet meam a Dialectica remotam ſcribendi rationem, nullo exemplo in hoc *Singulari libro* declaratam reperiri, niſi quod cap. 21. omnia illa, quæ

de *Auditoriis* diſputaveram, rejecta vidi, tanquam *Indigna relatu, Dicta multa, rationis nihil ad hanc Diſputationem, cujuſmodi affectationes Variæ Lectionis, ubi argumento non ſerviant, pertineant ad genus non admodum ſpecioſæ appellationis*, h. e. ad Pædantiſmum. Hoc enim elogium V. A. pro ſua comitate mihi quoque impertitur, quia cum adverſus me afferrentur loca ex Pandectis, *Auditorium Cæſaris*, & *Præfecti prætorio* memorantia, oſtenderam, quid *Auditorii* vocabulum ſignificaret: pro locò poſitum, fuiſſe, etiam poſt tempora Neronis, diverſæ prorſus & alienæ ſignificationis a Loco litibus deſtinato: deſignaſſe etiam tunc locum recitationibus Rhetorum & Poetarum dedicatum, & ita quidem, ut opponeretur locis, ubi *Veræ Lites* diſceptarentur: atque idcirco illis, ſeu Neronis certe temporibus Romæ nondum exſtitiſſe videri ejuſmodi loca, quæ poſtea iſthoc vocabulo notata creduntur, ubi Veræ Lites, ſive coram Cæſare, ſive aliis, diſputatæ fuerint. Hæccine *ar-*

gu-

gumento non ſerviebant? hæccine *nihil rationis ad hanc diſputationem* continebant? Sed breviſſima eſt, ſcilicet, & facillima Adverſarium refutandi ratio, ſi dicas, ea, quæ refellere nequeas, eſſe *ſuperflua*, *eſse aliena*, ipſum *eſſe Juvenem*, vel *Puerum*, immo *Pædantem*, *a Dialectica & ratiocinandi arte longiſſime remotum*, & tamen *Auctorem Novum*. Nam neque hanc *Novitatis* culpam prætermiſit V. A. Videlicet ut *Juveni*, qui tamen *Novus Auctor* haberi velit, invidiam concitet, qua nulla jam dudum gravior etiam apud Noſtræ Religionis homines eſſe coepit. Damnati olim in Concilio Nicæno II. Venerationem Imaginum ſanciente, qui Traditionem rejicerent, profiterenturque, ſe non recipere niſi ſolam S. Scripturam. In me quoque cudenda erit damnationis faba, ex ſententia Viri Ampliſſimi, quod auſus fui a vulgatæ Interpretationis traditione, licet in re prorſus Philologica, deflectere, & *Novi* quid de Latini vocabuli ſignificatione in medium adferre

ferre. Hem quo diſcordia Doctos Perduxit? Ego vero ſic exiſtimo; non conquiſiturum talia fuiſſe V. Ampliſſ. nihil pertinentia ad cauſam, ſed ſolummodo ad contemtum, contumeliam, invidiam conflandam tendentia, ſi ſe documentis & rationibus veris ſic ſatis inſtructum agnoviſſet.

CAP. II.

1. Locus Pauli ad Philipp. cum alio ad Timoth. collatus 2. Et ad rem præſentem illuſtratus 3. Auctoritas Chryſoſtomi, Interpretum Belgicorum, Italorum, Gallorum &c.

I. *PRæſens Quæſtio duobus lateribus adſpiciendam ſe præbet. Aut enim de Prætorio conſtitui poteſt, ut exinde locum Pauli interpretemur; vel Paulus omnium primo poteſt audiri, ut deinceps, quod ille dixit, cum aliis de Prætorio, locis veterum comparetur. Priorem rationem Vir Cl. ſibi, poſteriorem ego mihi ſequendam exiſtimo: Nec ſine ratione uterque noſtrum. Nam explicatio Paulini Prætorii de Caſtris prætorianis tam quæ-*

ſita

ſita & aliena eſt, ut *ipſum Auctorem ejus tædere videatur, adeo ut inſcriptionem quoque ſuæ diſputationis mutandam putaverit, quæ antea non tantum de Prætorio, ſed etiam de vero ſenſu verborum Divi Pauli in* Epiſt. ad Philip. 1. 13. *concepta fuit; modo aliud nihil, quam de Prætorio Cæſarum ejusque Præfecto, exhibet*, Nos *libenter è loci Paulini clariſſima Luce, de omni diſputatione Lectorem præſumere patiemur; Prætorio deinceps, etiam ſine Divi Pauli Teſtinio, ſatis ſibi conſtituro. Locum Pauli compendioſâ ſimplicique oratione hoc modo induximus. Provocaverat è Provincia ad Cæſarem Paulus, ut ex* Actis *notum eſt, ideoque judicandus erat in ejus auditorio. Auditus eſt* καὶ παρέστη τῷ Καίσαρι Νέρωνι & ſtetit in jure coram Cæſare Nerone, *ut habet ſubſcriptio ſecundæ ad Timotheum, habuitque orationem Paulus apologeticam ſine ullis advocatis, hoc eſt, amicis conſiliariis, quales erant antiquitus* advocati, *ut ipſe narrat.*

Tim-

Timotheo in eâdem epiſtolâ cap. ult. v. 16. *ubi* οὐδεὶς μοὶ συμπαρεγένετο; nemo mihi adſiſtebat, *adeoque etiam ſine Patrono, cujus ab advocati officio diſtinctum munus erat. Ipſe cauſam egit ſuam. Erant tunc initia Neronis, Burrho & Senecâ (quos adfuiſſe huic audientiæ pro certo habemus, cum officii ratione abeſſe non potuerint) juventam ejus in publico ſapientiſſime moderantibus, neque adhuc Chriſtiana profeſſio in odium generis humani penetraverat. Ideoque auditus eſt ſine præjudicio, cum attentione, ac ut videtur, cum admiratione fructuoſa totius auditorii, quemadmodum ipſe de hac ſuâ* πρώτῃ, *ſine dubio,* ἀπολογίᾳ *loquitur ad Philippenſes,* de primâ defenſione ſuâ, *inquam per eam factum eſſe, ut res ejus in melius & in gloriam Chriſti domini cederent.* Τὰ κατ' ἐμὲ, *inquit,* μᾶλλον εἰς προκοπὴν τοῦ εὐαγγελίου ἐλήλυθεν, Res meæ ceſſerunt in melius, ad profectum Euangelii, ὥστε τοὺς δεσμούς μου φανεροὺς γενέσθαι ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι. Ut cauſa vinculorum meo-

meorum manifeſta facta fuerit in toto Prætorio, & apud reliquos omnes.

2. *Hic fuit Apologiæ apud Cæſarem in ejus Prætorio habitæ fructus glorioſus, ut cauſa Dei in meliorem partem innoteſceret, cum in ipſo Prætorio apud Cæſarem, ejus Præfectum, Adſeſſores Judicii, Comiteſque & reliquos* ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας, è domo Cæſaris, *quos laudat ad eoſdem Philippenſes & quos ei maxime ab iſtâ actione conciliatos fuiſſe, non poteſt dubitari, ut ipſum inter eos Senecam fuiſſe, veteres libenter crediderint; tum apud* omnes alios, *qui adfluxerant, auditores, vel qui ex illis acceperant, quando non minus divinâ Pauli facundiâ perculſi fuerint, quam alias* οἱ περὶ *Agrippam & Berenicen, ut multi non pene, ſed bene Chriſtiani fierent. Hinc etiam accidit, ut cum ſiſtentem ſe judicio Paulum nemo comitari auſus eſſet, territi Majeſtate Cæſaris, & eventu dubio ſuſpenſi; poſtquam viderunt, Dominum fuiſſe Paulo* παράκλητον, Advocatum, ὅς αὐτῷ πα-

παρέςη; *qui* adſtiterat *ipſi*, καὶ ἐνεδυνάμωσεν ἀυτον, & vires ipſi addiderat, *ut ipſe Timotheo ſcribit*; *adeo ut cum reputatione publica honoris & gloriæ, cum divinæ tum ſuæ, exiiſſet; factum eſt, inquam, ut* πλέιονες τ̃ ἀδελφῶν ἐν κυρίῳ πεποιθότες τοῖς δεσμοῖς ἀυτȣ̃ τοῖς ἐν πραιτωρίῳ φανεροῖς γενομένοις, περισσοτέρως τετολμήκασιν ἀφόβως τ̀ λόγον λαλεῖν; ut plures è fratribus in Domino, confiſi exitu vinculorum ejus, quorum cauſa in Prætorio illuſtris erat facta, multo majori libertate verbum Dei jam ſine timore prædicarent, *ut Philippenſibus ſibi cauſæque Dei gratulatus ſignificat; etſi nec diſſimulat, fuiſſe tunc homines Chriſtum quoque profeſſos non valde diſſimiles iis, quos modo fert ſeculum, ut nequidem invidia tam glorioſæ actionis, quemadmodum ipſe Paulus indicat, abfuerit, cum incredibili quodam, ut videtur, genere inſidiarum, ſuperante vel ipſam hujus extremi temporis malitiam: quâ dederint operam aliqui Chriſtum prædicantes, ut frequenti publicèque effuſa*

effuſa Evangelii reſonantia, moverent atque exacerbarent ἀναθεώρησιν *Aulæ: vel Paulo quædam vitio verterent, ejusque* τῆς ἄγαν προθυμίας *exagitarent, quo arctius haberetur aut e militari cuſtodia in carcerem conſtrictus, nec rediret ad ipſorum gloriam minuendam; Eccleſiæque diſciplinam inſtaurandam. Quid enim aliud eſt hoc, quod ait, verſu* 16. οἰόμενοι θλίψιν ἐπιφέρειν τοῖς δεσμοῖς μου; Exiſtimantes ſe adflictionem vinculis meis collaturos; καταγγέλλοντες τὸν Χριστὸν ἐξ ἐριθείας: Chri-tum contentionis cauſa prædicantes; διὰ φθόνον ex invidia; κενοδοξίαν, inanem gloriam.

3. *Ex his facile apparet, nihil eſſe cauſæ reprehendendi Belgas interpretes, quod* πραιτώριον *Pauli, verterunt,* **het rechthuys**/ *vel in notis,* **het palais**/ *quod, vel cujus pars erat Prætorium. Sic etiam Chryſoſtomus, in* argum: epiſt. ad Coloſſ. *quæ Paulus ad Timotheum de apologia ſua ſcripſit, eodem modo cum his, quæ Philippenſibus de Prætorio narrat, con-*

 jun-

jungit ; ita ſicut a nobis ſuperius factum eſt, arguitque apologiam in Prætorio fuiſſe habitam, cum Neroni appareret apud domum ejus ; Quid porro Chryſoſtomus? ὅτι δὲ ἔγραφε πρὸς αὐτοὺς, cum ſcriberet PAULUS ad Philippenſes, *ait*, συνέβη αὐτὸν δεδέσθαι, *accidit ut vinctus eſſet.* Διὰ τοῦτο φησὶν, ὥστε τοὺς δεσμούς μου φανεροὺς ἐν Χριστῷ γενέσθαι ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, Propterea dicit, *ait*, Paulus ; Ut vincula mea in Chriſto manifeſta fierent in toto Prætorio. *Pergit Chryſoſtomus* ; Πραιτώριον τὰ βασίλεια τοῦ Νέρωνος καλῶν, *id eſt*, Prætorium appellans Regiam *ſive* Palatium Neronis. *Deinde in commentario ad* verſic. 13. cap. 1. *ad verba Pauli*, ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ in toto Prætorio ; addit Chryſoſtomus. Τέως γὰρ οὕτως ἐκάλουν τὰ βασίλεια. Tunc enim ita nominabant Regiam, ſive palatium. *Quid amplius huc veteres recentioreſque adducere opus eſt auctoritates, quando nullum aut Interpretem aut commentatorem aliter Paulum intellexiſſe conſtat omnibus, nec ab Auctore novo quiſquam*

ex omni numero in contrarium profertur. Interpretes Latini alia voce quam Prætorii *non potuerunt uti, ſecus ac Germani & Belgæ. Italis etiam & Gallis retinere* le Pretoire, *genius linguæ permittit. Sed explicant*, Palaccio del L' Imperadore, palatium Imperatoris, *Diodatus. Angli ipſo textu*, in all the palace, *in omni* palatio. *Nemini unquam veniſſe in mentem, Prætorium quod Paulus deſignat, alibi fuiſſe quam in Palatio, tam eſt indubitatum, ut potius Auctori novo viſum ſit, omnes cum Chryſoſtomo, ut antiqui moris ignaros explodere, quam de auctoritate diverſæ interpretationis præferre ſolicitudinem in irritum ceſſuram.*

RESPONSIO ad Cap. II.

SI unquam, B. L. aliquem incuſari vidiſti ejus culpæ, cujus ipſe Accuſator eſt manifeſtiſſimus, liquidiſſi-

mum me ejus ſpecimen tibi heic demonſtraturum recipio. Tu conſidera ſis rem omnem, & judica. Inſimulat me Vir Ampliſſ. quod poſterioris Diſſertationis Inſcriptionem paulo aliter conceperim, quam prioris, ſeu quod in illa omiſerim mentionem loci Paulini, quam in prioris Inſcript. expreſſeram: atque inde concludit, *meam iſtius loci explicationem tam quæſitam eſſe & alienam, ut ipſum me ejus tædere videatur.* Ego vero priorem Diſſertationem ſimpliciter ſcripſi *de Origine, Significatione & Uſu Vocum Prætoris & Prætorii*, de quibus, perque eorum occaſionem de Variis rebus & locis Veterum, poſtquam egiſſem paginis 66. hujus editionis, progreſſus ſum, poſt conſtitutam jam *Prætorii* ſignificationem, ad Pauli locum, ubi ea vox quoque occurrebat, eumque paucis reſiduis paginis abſolvi. Quia vero tum temporis credebam, plane Novam eſſe meam iſtius loci explicationem, & præterea declarare volebam, noſtra Humanitatis ſtudia etiamdum interpretandis rectius atque illuſtran-

ſtrandis Sacris quoque Scriptoribus inſervire poſſe, ſicuti eo quoque tendere debent, idcirco iſtius etiam loci *Verum ſenſum* in Inſcriptione pollicitus ſum. Vir Ampliſſ. adverſus me in arenam deſcendens, in Commentario ad π. *de Officio Præfecti Prætorio* eundem, quem Ego, ordinem & diſputandi rationem tum quidem ſecutus eſt, profeſſus, ſe id acturum (Vide ſupra p. 79. &c.) ut *expenderet vim ſententiæ, quæ Præfecto quidem prætorii res ſatis ſalvas, ſed Prætorium ei nullum relinquat, præter cohortes prætorias*; atque ideo, *quando ita πραγματικῶς diſputetur, ut credendum ſit, Prætorium non fuiſſe rem diſtinctam Romæ a Prætorianis cohortibus, daturum operam, ut Auditorium Præfecti ſuper ipſum ruens fulciret.* Vides hic, mi Lector, qualem noſtræ controverſiæ Vir A. ipſe, qui ejus Auctor, propoſitionem conceperit. Vides ab illo quæſtionis Caput & ſtatum in ipſo illo *Prætorio*, a quo Præfectus iſte denominabatur,
 poni.

poni. Vides denique in conſtituendo hocce Controverſiæ ſtatu nullam omnino fieri ab eo mentionem loci Paulini. Sed pergit, ipſam jam controverſiam aggreſſurus, *Noſtra, id eſt, communis ſententia, quam ſi antehac probandam ſuſcepiſſem, Lectorem illudi ſibi crediturum putaſſem, conſtat duabus poſitionibus*. Quarum unam a me in dubium non vocari ait, alteram vocari, eamque hanc eſſe: *Tempore Cæſarum* Prætorium *fuit pars Palatii, in qua fuit Auditorium Imperatoris & ejus Præfecti cum ſtatione militum Prætorianorum*. Habes hic iterum ipſius V. A. verbis *poſitionem*, quam unice, inter nos controverſam eſſe ſcribit, & quam proinde probare annititur primum ex loco quodam Dionis; Dein ex eo; quod *Præfectus prætorii* a poſterioribus Græcis dicatur ἔπαρχος αὐλῆς; Tum porro ex loco Pandectarum, memorante *Præfecti Prætorio Auditorium*; Denique etiam ex verbis D. Pauli, ad quæ hoc ordine tandem venit, ſeu proceſſit, ut eorum quoque Interpretatio-

tionem, ſed per firmatam prius *Prætorii* ſignificationem, mihi eriperet. Jam vero quum hæc ſcripta eſſent a V. A. ad π. *de officio Præfecti prætorio*, & ille ſe imprimis ſollicitum declaraſſet de *fulciendo Prætorio* iſtius *Præfecti*, quin & memoratam modo *poſitionem*, ut unicum ſeu longe potiſſimum controverſiæ Caput, inter nos diſquiri, ipſe palam tradidiſſet, rogo Te, mi Lector, qui potui aptiorem noſtræ Controverſiæ, & meæ Diſſertationi II. Inſcriptionem dare, quam *de Prætorio Cæſarum ejuſque Præfecto*, ſiquidem iſtic *Prætorium* utique illius *Præfecti* inprimis, & uberius paulo contra Adverſarium explicare debebam. Ut denuo in brevi diſſertationis Titulo promitterem loci Paulini expoſitionem, nulla mihi poterat eſſe cauſa, quum ea in priori Diſſertatione, meo & vero ſenſu, promiſſa jam eſſet, & exhibita, ac porro ex *Prætorii* conſtituta & demonſtrata ſignificatione unice penderet. Ceteroqui vero quam nullum me cepiſſet *tædium* expliciti ita a me iſtius

loci, manifeſtum ſatis ex eo, quod omnia de *Prætorio* diſputata in eadem illa Diſſert. (§. 46.... 51. Vide ſup. p. 251. &c.) denuo contulerim cum loco & Hiſtoria Pauli, ejusque explicationem ex illis ſtudioſe iterum & ex profeſſo firmaverim. Quæ quum ita ſe habeant, quam inanis ergo & ridicula eſt Viri A. cavillatio, quando mihi hoc nomine *mutationem inſcriptionis* & inde *tædium meæ explicationis* objicere non veretur? At vero, qua ipſe in hac controverſia, ejus ſtatu collocando, & ordine inſtituendo, uſus fuerit conſtantia & dialectica, nos jam viciſſim videamus. Expoſuimus modo, quid in priore Commentario ſibi propoſuerit adverſus me faciendum, ut ſcilicet *expenderet meam ſententiam, quæ Præfecto prætorii nullum relinqueret Prætorium, præter cohortes Prætorias*, & ita ſuum illud *Prætorium*, per me ſuper ipſum Præfectum quaſi *ruens fulciret*. Porro quomodo deinde definierit Urbis Romæ *Prætorium* in eum ſenſum,

qui a me palam negatus fuerat, illamque definitionem deinceps per ſuas partes, genus & ſpeciem, probare ſtuduerit, & ſic demum etiam ad Pauli locum pervenerit, quoniam & is inter nos controverſus eſſe debebat, ſed non aliter, quam per modum acceſſionis, nec alia de cauſa, quam quia illa præcipue controverſa *Prætorii* vox illic quoque occurrit. Sic ergo primum, & hoc ordine, controverſiam noſtram inſtituit ipſe, & executus eſt. Verum vidit deinceps ſe in poſter. mea Diſſ. velut obrui multitudine locorum ex optimis Scriptoribus Latinis & inſcriptionibus antiquis petitorum, in quibus illa *Prætorii* vox reperitur, & eo quidem ſenſu, ut ipſe fateri cogatur, (vide infra cap. 9.) perinde eſſe, quod ad rem ſignificatam, ſive iſtic *Prætorium*, ſive *Prætoriæ cohortes* memorentur, *rem eſſe eandem*, *Exauctorari e Prætorio*, ut loquitur Tacitus, *& e prætoriis cohortibus*. Vidit porro, ſe contra ea provocari, ut vel unicum ex tot anti-

quis ſcriptoribus locum adferret, in quo *Prætorium* memoretur, non dicam eo ſenſu, quo ipſe poſtulat, ſed alio ſaltem ſenſu, quam quo Ego id vocabulum explicueram, h. e. uſurpatum de re non militari, de re, quæ non conveniat in Prætorias cohortes. Atque idcirco, & quia ſciebat, nullum ſe talem ex tot Latinæ Linguæ Scriptoribus locum habere, vellet tamen, quod coeperat, quoquo modo pertendere, cenſuit tunc ſubito ſane, aliter ſibi inſtituendam eſſe hanc Diſputationem, non amplius præcipue & primo loco agendum de *Prætorio* iſtius Præfecti, neque de *Prætorii* ſignificatione generatim ex variis & indubiis locis indaganda: ſed proram & puppim, ſeu mavis, Caput litis *Prætorianæ* nunc ſtatuendum in illo D. Pauli, Græci Scriptoris, loco, qui noſtræ controverſiæ erat antea tantum quædam quaſi acceſſio, & ubi *Prætorium* ſolummodo nominatur, nec quicquam in antecedentibus aut conſequentibus traditur, quo iſtius vocabuli ſignificatio determinetur, ſcilicet

licet quia in tali loco latiſſimus aperitur campus jactatæ ſuperius *Ratiocinandi Arti*, multis & verboſis, ſed inanibus rerum ad cauſam pertinentium enarrationibus ac ratiocinationibus tenebras Lectorum judicio offundendi. Ergo hoc eſt, quod nunc *de omni* Prætoriana *diſputatione Lectorem præſumere ex loci Paulini clariſſima luce* lubens patitur, quodque omnibus paginis ſingularis hujus libri Titulum *de Prætorio Pauli* præſcripſit, neglectim jam habito *Prætorio* ſui Præfecti, quod antea potiſſimum ac primum *fulcire* deſtinaverat. Quis vero jam dubitet, quin ergo mihi ſane, multo potiori jure hanc tantam Viri A. inconſtantiam in ſtatu hujus controverſiæ formando liceat oſtentare omnibus, & illam *Prætorii in Urbe Roma explicationem de Palatio vel ejus judiciali parte*, affirmare, *adeo alienam* & falſam, *ut ipſum* Virum A. *ejus tædere videatur*, adeo ut non *Inſcriptionem* modo *ſuæ Diſputationis*, ſed & ſtatum ac præci-

cipuum Quæſtionis caput *mutandum putauerit.* Nova etiam Viri A. *Dialectica*, atque ejus interpretandi ratio, ſeu *Ars Ratiocionandi* in re Philologica, ejuſmodi hîc eſt, ut nunquam quicquam viderim magis ὕστερον πρότερον, & vere ab ea omnes *Philologi*, & *Hiſtoricarum diſceptationum ſcriptores ſint remotiſſimi.* Solent enim hi, ſi quando incidit quæſtio de ignoti aut dubii vocabuli ſignificatione, eam diligenter ante omnia inveſtigare apud omnis generis antiquos Scriptores, & ſic tandem conſtituere ex uſu Veterum, variis, & quantum pote, clariſſimis exemplis demonſtrato, ut ita denique etiam obſcurioribus locis lux quædam adferatur. At Vir. A. locum unicum pro lubitu arripit, & talem, qui hac parte omnibus aliis eſt obſcurior, quippe in quo nihil plane reperitur, quod controverſi vocabuli ſignificationem definiat, aut declaret. Tum poſtquam ex tali loco ſuam vocabuli ſignificationem pro arbitrio conſtituit, ingerit eam & obtrudit omnibus aliis multo ceteroqui cla-

clarioribus Veterum locis, quæ verum vocabuli ſenſum ultro & liquido nobis ſuggerunt. Memorat quidem V. A. *Paulini loci* hac parte *clariſſimam lucem*, ſed quam Ego, quod ad *Prætorii* ſignificationem, nullam plane eſſe, immo ſpiſſas eſſe tenebras, affirmare nullus vereor. Quid enim, quando Paulus ſimpliciter ait, *rationem vinculorum ſuorum in Chriſto, declaratam eſſe per omne Prætorium, & per omnes alios*; ne quidem addens, quo illud modo ſit factum; quid inquam iſtic habes, mi Lector, unde tibi innoteſcere queat propria & vera *Prætorii* ſignificatio, ſi aliunde ſit ignota: immo quid habes, quamobrem *Prætorium* in ſolo iſthoc loco, non æque, ac Aulam vel ejus partem, interpretari queas Curiam, Forum, Comitium, Baſilicam, vel etiam hominum ſocietatem, cœtum, aut Collegium qualecunque. Quæ ergo eſt illa hujus loci *clariſſima lux, ex qua Lectorem de omni hac diſputatione prætoriana præſumere*, & quam *deinceps cum aliis de Prætorio* lo-

locis veterum comparari, libenter patitur? Addit quidem, *Prætorium deinceps etiam ſine D. Pauli teſtimonio ſatis ſibi conſtiturum.* Sed ſi ita vere exiſtimavit, cur igitur ſtatum & Inſcriptionem hujus controverſiæ ex *Prætorio* iſtius Præfecti, vel generatim omnium Auctorum, mutavit in *Prætorium* proprie *Pauli*? Cur adeo invertit naturalem & communem interpretandi ordinem? Cur illud ὕϛερον πρότερον nunc ſubito in hanc diſputationem induxit, ſecus quam inſtituerat ipſe in priori Commentario? Laborat omni ex parte Viri διαλεκτικωτάτου cauſa, qui ita magnifice ſe paſſim effert.

Sed & eadem felicitate exhibet, vel potius repetit paraphraſin Hiſtoriæ Paulinæ: nam iiſdem jam verbis eam dederat in Comm. I. §. 4. (Vide ſup. pag. 84.) Repetit autem nullis argumentis probatam, aut firmatam, niſi ſuis aſſeverationibus, quamvis jam Diſſ. II. §. ult. (Vide ſupra p. 274. 275.) inter Dictatorias ipſius *demonſtrationes*, ut vocat, retulerim, quod tradit ſeu

fin-

fingit, *Paulum in ipſo Prætorio apud Cæſarem, ejus Præfectum, Adſeſſores judicii, Comiteſque & reliquos è Cæſaris domo, tum apud omnes alios, qui adfluxerant, Auditores, atque adeo prorſus publice*, cauſam dixiſſe; ſignificarimque deſiderare me, vel probationem talis publici Auditorii, quod tempore primorum Cæſarum cauſis cognoſcendis fuerit deſtinatum, & inſuper appellatum fuerit *Prætorium*, el ſaltem exemplum aliquod ullius rei n tali Auditorio tunc geſtæ aut judica e; Cujuſmodi exempla ipſi in promp n eſſe deberent, ſi fuiſſet tale publicum uditorium, tot judiciis frequentatum, que ac mihi ſunt alia judiciorum ali exercitorum. Pluribus inſuper com entum hoc confutavi etiam Diſſ. II. 29. 30. (Vide pag. 200. 201.) Ea nen omnia ſuſque deque habuit A. nec veritus eſt idem illud nmentum heic quoque ſimplici reponere, ſufficere ratus, quod ὸς ἔφα. Eadem confidentiâ, quâ *rrhum & Senecam adfuiſſe huic*

 pub-

publicæ *audientiæ pro certo habet*; quaſi non plures abſentiæ illorum potuerint fuiſſe cauſæ; ſi maxime gratia adhuc floruiſſent, aut quaſi certum plane eſſet tempus Paulini in Vrbem Romam adventus, quem alii in ſecundum, alii in alios, plerique, & probabilius, in ſeptimum Neronis annum rejiciunt. Audi Celeberr. Spanhemium Diſſ. Hiſt. pag. 221. *Quo fiet, ut Paulus Neronis anno demum ſeptimo currente Romam deductus ſit.* Atqui hic erat annus, quo Tigellinus & peſſimi quique omnia jam apud Neronem poterant, ſicuti ſequenti ſtatim Burrhus eſt veneno necatus, & Seneca commeatum petere coactus. Nihilominus V. A. pro more ſuo *certum habet fuiſſe tunc initia Neronis*, *Burrhum & Senecam juventam ejus in publico adhuc moderatos, adfuiſſe Pauli Apologiæ in Prætorio habitæ.* Sed majus eſt, quod hanc veluti unius temporis & Hiſtoriæ enarrationem conflavit ex duabus diverſiſſimi temporis Hiſtoriis & Epiſtolis, ad Philipp., & ad

Timoth. atque ita res tempore diverſiſſimas perperam pro una eâdemque habuit. Etenim conſtat jam inter Eruditos, & traditum a Ceteribus, Paulum bis veniſſe Romam, bis iſtic fuiſſe reum, primum, quum a Feſto miſſus eſſet ex Judæa, dein quando, poſtquam dimiſſus fuit ex prioribus vinculis, vel ipſe rediit Romam, vel a Nerone retractus eſt. Hinc Lud. Capellus in Append. Hiſtoriæ Apoſtolicæ, *Vulgata eſt*, inquit, *& receptiſſima Patrum omnium, vixque ab ullo, quod ſciam, hodie improbata ſententia, Paulum Apoſtolum poſt biennium illud Romæ actum, (cujus meminit Lucas Act. XXVIII) vinculis ſolutum, per aliquot annos Occidentem prædicando Evangelium peragraſſe, poſtremo ſub finem imperii Neronis, quum Romam rediiſſet, a Nerone capite truncatum fuiſſe.* Neque vero minus inter Eruditos conſtat, priori tempore ſeu reatu ſcripſiſſe Paulum Epiſtolam ad Philipp. paulo ante dimiſſionem ſuam, quam & prædicit Cap. I. v. 25. 26. &

II. v. 24. poſteriori vero alteram ad Timotheum paulo ante necem ſuam, quam ſibi inſtare vaticinatur Cap. IV. v. 6. Quo etiam reſpicit ſubſcriptio poſterioris ad Timotheum, Ὅτε ἐκ δευτέρου παρέστη Παῦλος τῷ καίσαρι Νέρωνι, h. e. *quando altera jam vice Paulus coram Cæſare Nerone ſtetit* reus. παρέστη in præterito, quoniam ſecundi hujus reatus prima Apologia jam facta erat. Vide Lud. Capellum de Ordine Epp. Pauli, & Sueurium ad An. Chr. LIX. Ad quem annum etiam Ottius de hac Epiſtola, *Plerique contra Baronium ex altera capitivitate morti ſcripſiſſe vicinum cenſent.* Similiter pene Cl. Spanhemius Sec. 1. Capellum laudans, & ejus *Epiſtolarum Chronicum ordinem*, de hac & ipſe ait: *Poſtrema omnium eſt poſterior ad Timotheum, paulo ante Martyrium ſuum, Neronis ultimo.* Sequitur jam ex his, perperam in unam unius temporis Hiſtoriam conjungi res, quæ in illis diverſiſſimi temporis & fortunæ Paulinæ Epiſtolis, tanquam diverſis illis tempori-

poribus novæ & recens geſtæ, aliis a Paulo nunciantur. Perperam *Primam Pauli Apologiam*, cujus ille fortunam nunciat Timotheo IV. 16. referri ad priorem Pauli reatum, & controverſa inter nos verba, quod facit V. A. Alii quomodo hæc diſtinxerint, ut oſtendam; (nam adverſus Virum A. agendum eſt mihi æque auctoritatibus hodiernorum Interpretum, ac juſtis rationibus) adferam verba Doctiſſimi Viri, Ioan. Pearſonii, Epiſcopi nuper Ceſtrienſis, ex poſtumo ejus libro de ſerie & ſucceſſione primorum Romæ Epiſcoporum; *De Prioribus* (ait Cap. IX. §. 8.) *vinculis ad Philippenſes ſcribit, ea manifeſta fuiſſe in Prætorio & ceteris omnibus. In POSTE rioribus autem omnes eum comites & συνεργοὶ præter unum* (ſcil. Lucam) *dereliquerunt, & in alias regiones tranſierunt. IV. 10. immo, inquit Paulus, in PRIMA mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed OMNES me dereliquerunt. IV. 16. Magnum certe diſcrimen inter biennalem Pauli cuſtodiam Lucæ*

memoratam, *& hanc, quam Apoſtolus in hac Epiſtola deſcribit.* Magnum etiam diſcrimen inter Viri A. Paulinam Hiſtoriam, & hujus Epiſcopi, qui *primam* illam *Apologiam* ſeu *defenſionem* manifeſte refert ad *poſteriora vincula*, &diſertiſſime diſtinguit ac removet ab illa innocentiæ *declaratione in Prætorio*, ſeu a verbis inter nos controverſis. In eadem ſententia Belgas quoque interpretes fuiſſe, non obſcurum eſt, dum ad hæc Pauli verba, de quibus nunc agimus, *In prima mei defenſione nemo mihi adfuit, omnes me dereliquerunt*, annotant, *Videtur tamen ex his excipere Lucam*, v. 11. Eo etenim verſu nihil dudum præteriti de Luca, ſed in præſenti tempore ſcribit Paulus, *Lucas ſolus eſt mecum*, rogitans idcirco Timotheum, ut non modo ipſe veniret *quantocyus ad ſe*, ſed & *Marcum ſecum ſumeret*. Quod ſi ergo hæc de illo ipſo tempore, quo Apoſtolus hanc ad Timotheum Epiſtolam ſcripſit, ſunt, ut ſunt neceſſario, intelligenda, certum eſt, Belgas *primam illam de-*

ſionem , in qua ab omnibus ſuis de-
ctus fuerit , præter Lucam , reli-
s in varias tunc oras profectis , ad
d quoque tempus ſcriptæ iſtius Epi-
æ retuliſſe. Porro ſi etiam recipimus
inctionem illam temporis & reatus ,
o utraque Epiſtola fuerit ſcripta,
ſi admittimus , poſteriorem illam ad
motheum ſcriptam dudum poſt il-
ad Philippenſes , ut faciendum om-
o , paulo ante oſtendimus , liquet
m illud , ſecundum Belgas & alios
peram profecto & imperite affirmari
. A. Paulum *de hac prima defenſione*
, quam memorat ad Timotheum, *lo-*
, & quidem *ſine dubio, ad Philippen-*
. Sed quid auctoritate aliorum me
or , quum ejus affirmationis falſitas
abſurditas etiam ex ipſis illis Epi-
lis clariſſime demonſtrari a me poſſit.
m ut taceam , Paulum in Ep. ad
ilippenſes gloriari de *ſucceſſu rerum*
rum , quas *magis ac magis ceſſiſſe*
in incrementum Euangelii , adeo
vinculorum ſuorum ratio manifeſta-
fuerit per omne Prætorium , &
X 3 *per*

per omnes alios homines; Et, ut complures Fratrum, confiſi hoc ſtatu rerum & vinculorum Pauli, auſi fuerint copioſius & intrepide etiam ipſi verbum Dei prædicare, at in Ep. ad Timotheum queri prorſus, quod ab omnibus ſuis in prima illa iſtius poſterioris reatus Apologia derelictus fuerit, necem ſibi inſtare, & alia, quæ neutiquam conveniunt cum iis, quæ ad Philippenſes de ſuorum tunc vinculorum ratione memorat. Ut hæc, inquam, taceam, quid ex eo colligendum, quod Epiſtolam ad Philippenſes non tantum *Pauli*, ſed & *Timothei* nomine ſcriptam eſſe ex ejus præſcriptione liquet? Nempe illud, quod, ſiquidem in ea *Philippenſibus ſignificatur, ut res nova, ſucceſſus manifeſtatæ innocentiæ Paulinæ*, ſicuti ait ipſe V. A. infra cap. 4. & porro, ſi eâ ſignificatione deſignatur *prima* illa *Pauli Apologia* ad Timotheum memorata, ut & hoc, & illo IV. cap affirmat, quod ergo Timotheo itidem tanquam *res nova* nuncietur a Paulo illud ipſum, quod

uod Timotheus una cum Paulo du-
m ante Philippenſibus jam nuncia-
t. Quo neſcio an quicquam abſur-
us fingi queat. Sed hoc eſt Dialecti-
m Viri A. acumen, qui tamen ita
Dialecticam & *Ratiocinandi Artem*
aſſim oſtentat, ut ſi eam omnem ſo-
s poſſideret: Certe *Philologis*, quan-
m eſt, & *Hiſtoricarum Diſcepta-
onum Scriptoribus* nihil ejus relin-
uit. Neque tamen miror, Virum δια-
εκτικὸν ad hæc abſurda prolapſum,
quidem id agere debuit, ut undecun-
ue haberet ac erueret ex epiſtolis Pauli
liquam ejus *Apologiam*, quam re-
erret ad *judiciale* illud *Pauli Præ-
orium*, quippe quo fundamento om-
is ejus interpretatio nititur. Sed & Au-
torem habet Johan. Chryſoſtomum,
qui *in arg. Ep. ad Coloſſ.* (voluit, vel
debuit ſcribere *ad Philipp.* nam in il-
ius epiſtolæ argumento vel initio tale
nihil traditur) *quæ Paulus ad Timo-
theum de Apologia ſua ſcripſit, Eo-
dem modo cum his, quæ Philippenſi-
bus de Prætorio narrat, conjungit*

ita ſicut a V. A. ſuperius factum eſt, *ARGUITQUE, APOLOGIAM IN PRÆTORIO FUISSE HABITAM.* At ſi ita, indicio id ſit, non ita temere fidem Chryſoſtomi interpretationibus habendam, neque ejus auctoritatem pro argumento juſtæ probationis recipiendam. Sed prudentior fuit, & magis Dialecticus, quam ut tam abſurdam rerum diverſarum connexionem fingeret; immo diſerte contrarium dicit, ut mirari oporteat ſummam Viri A. vel ſecuritatem & negligentiam in citandis Auctoribus, vel malam fidem. Nam Græca eum Chryſoſtomi verba percepiſſe non dubito, ſiquidem jam ſæpius aliis in ICtis, quibuſcum illi res eſt, & fuit, ejus linguæ peritiam deſideravit. Verum quidem eſt, Chryſoſtomum *Prætorium* explicare per *Palatium*, ſecus quam ceteroqui ſuo tempore *Prætorium* accipiatur; id quod facile condonari poteſt homini Græco, qui tot ſeculis poſt vixit, Sed neutiquam ille *partem Palatii judicialem* in Pauli ver-

verbis voluit intelligi, immo diſertiſſime diſtinguit *declarationem innocentiæ Paulinæ in Prætorio*, *a prima ejus Apologia* Timotheo nunciata, tanquam rem prorſus diverſam. Verba ejus adſcribam integra, ut quilibet Linguæ Græcæ gnarus rem ipſam cognoſcat; Ὅτι δὲ ἔγραφε πρὸς αὐτοὺς, συνέβη αὐτὸν δεδέσθαι. διὰ τοῦτό φησιν, Ὥστε τοὺς δεσμούς μου φανεροὺς ἐν Χριστῷ γενέσθαι ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ: Πραιτώριον τὰ βασίλεια τοῦ Νέρωνος καλῶν. Ἀλλ' ἐδέθη, καὶ ἀφείθη, καὶ τοῦτο πρὸς Τιμόθεον ἐδήλωσε, λέγων, Ἐν τῇ πρώτῃ μου ἀπολογίᾳ οὐδείς μοι συμπαρεγένετο &c. Τὰ οὖν Δεσμὰ, ἐν οἷς ἦν, πρὸ τῆς Ἀπολογίας Ἐκείνης δείκνυσιν ὄντα. ὅτι γὰρ οὐ παρῆν Τιμόθεος τότε, δῆλον, Ἐν γὰρ τῇ πρώτῃ μου, φησιν, ἀπολογίᾳ οὐδείς μοι συμπαρεγένετο, καὶ τοῦτο, οὕτω γράφων, ἐδήλου. οὐκ ἂν οὖν, εἰ ᾔδει τοῦτο, ἔγραψεν αὐτῷ. Ὅτι δὲ τὴν ἐπιστολὴν ἔγραφε ταύτην, μετ' αὐτοῦ Τιμόθεος ἦν. καὶ δηλοῖ, ἐξ ὧν φησιν, Ἐλπίζω δὲ Τιμόθεον ταχέως πέμψαι πρὸς ὑμᾶς &c. Ἀφείθη γὰρ ἀπὸ τῶν δεσμῶν, καὶ πάλιν ἐδέθη μετὰ τὸ πρὸς αὐτοὺς ἐλθεῖν. Quæ optima fide verſa, ſic ſe Latine habent.

Quando autem ſcribebat ad eos (Philippenſes), *contigit eum eſſe Vinctum; idcirco ait : Ut vincula mea manifeſta in Chriſto facta fuerint in omni Prætorio ; Prætorium appellans regiam Neronis. Sed vinctus fuit, verum & dimiſſus eſt. Et hoc ſignificavit Timotheo, dicens, In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, omnes me deſeruerunt, ſed Dominus mihi adfuit, & confirmavit me. Vincula igitur, in quibus erat* (ſcribens laudata modo verba ad Philipp.) *ante ILLAM APOLOGIAM* (Timotheo nunciatam) *oſtendit fuiſse. Quod enim Timotheus tunc* (tempore Apologiæ iſtius) *non adfuerit, manifeſtum. Nam ait, in prima mea defenſione nemo mihi adfuit. Et hoc,* (quod proinde neque Timotheus tunc adfuerit) *ita ſcribens, declarat. Neque enim, ſi illud* (de prima ſcil. Apologia) *SCIVISSET* (Timotheus), *id ei ſcripſiſset* (Paulus). *Quando vero* (nota oppoſitionem) *hanc Epiſtolam* (ad Philippenſes) *ſcribebat, erat Timotheus cum eo ; Et declarat illud*

iis;

iis, quæ dicit II. 19. Spero autem brevi vobis mittere Timotheum &c. Liberatus enim eſt ex his vinculis, & iterum vinctus, poſtquam ad eos (Philippenſes) *veniſſet.* Vides heic, Lector, *conjungi quidem, quæ Paulus de Apologia ſua Timotheo ſcripſit, cum his, quæ Philippenſibus de Prætorio narrat*, ſed neutiquam *Eodem modo, ut factum a Viro A.* h. e. ut Paulus illis, quæ Philippenſibus de vinculis ſuis & Prætorio narrat, *Loqui ſine dubio* affirmetur *de prima illa Apologia* ſeu *ad eam reſpicere;* Verum ita, ut diſerte *Vincula in omni Prætorio declarata* & *Prima illa Apologia* diſtinguantur, tanquam diverſa, tempore primum, dein etiam præſentia atque abſentia Timothei. Vides clariſſime, Chryſoſtomum *vincula in omni Prætorio declarata*, & *ſcriptionem Epiſtolæ ad Philipp.* tribuere tempori, quo adfuit Paulo Timotheus, *Apologiam* vero tempori, quo abſens fuit, & ejus Apologiæ ignarus; Tantum abeſt, ut ille arguat *Apologiam in Prætorio ha-*

bi-

bitam, ſeu illam *vinculorum* φανέρωσιν factam judiciali Apologia in publico Palatii Auditorio, quod unice illo ad Philipp. loco deſignari vult V. A. & unicum ſuæ interpretationis habet fundamentum. Vides denique a Viro A. Chryſoſtomi conſenſum cum ſua interpretatione, non tantum in Ep. ad Timoth. ſed & ad Philipp. fruſtra & falſo jactari. Nam dum ille iſtam vinculorum φανέρωσιν *in omni Prætorio* ita prorſus removet a judiciali *apologia*, manifeſtus eſt, per *Prætorium*, licet id explicet βασίλεια, neutiquam tamen intelligere partem Aulæ judiciis deſtinatam, locum judicialem, **een Richthuys** / quin immo, quod ad ipſam φανέρωσιν, ſentire omnino mecum, factam eam, non unico judicialis Apologiæ actu, ſed potius, quotidiana Euangelii prædicatione, & vitæ ſanctimonia. Non poſſum, quin hiſce ſubjungam Doctiſſimi Pearſonii verba, meam & Chryſoſtomi in modo memoratis ſententiam plane firmantia, ex Annal. Paulinis ad Ann. LXVII.

Et

Et quoniam Priora ejus vincula in Prætorio celebria erant ante primam perſecutionem, ideo, cum reliquis Chriſtianis notior eſſet, in carcerem conjicitur, & arcta cuſtodia tenetur, non ut antea in domo conducta, omnibus nota. Dein, Paulus Romæ e carcere in diſcrimen vitæ vocatur ab altero Nerone, & Apologiam habet, ſive defenſionem ſui, quod in Prioribus Vinculis (in quibus ſecundum Pearſonium & alios ſcripſit ad Philipp.) *factum non eſt, ubi habuit tantum defenſionem & confirmationem Evangelii, adverſus Judæos ſcilicet.* Sic ille, cum Chryſoſtomo longe alienus a ſententia Viri Ampliſſ. Sed ſi maxime tum alii, tum Chryſoſtomus, quod ad ſignificationem *Prætorii*, immo quod ad totius loci ſenſum, Viro A. ſuffragerentur, adverſarentur mihi, illudne vim aut vicem argumenti in Philologica controverſia ſuſtinebit? Credamus ergo etiam, *Abrahamum de Regibus Perſarum triumphaſſe, ex Perſis ortum*, & ſimilia errorum ſpecimina,

quæ

quæ ex Chryſoſtomo jam dudum protulerunt Viri Eruditi. Quin ſi hujusmodi principiis jam uti volumus, quid cauſæ, aut quæ ſpecies, quo minus bona fide, licet contra noſtræ Religionis fidem, recipiamus in Hiſtoricis, Petrum non modo Romæ fuiſſe, ſed & Epiſcopatum iſtic inſtituiſſe, atque egiſſe, ſiquidem illud antiquiſſimi quique, h. e. ſecundi & tertii ſeculi Scriptores Chriſtiani, hoc tertii & ſeqq. memorant, inque iis etiam Chryſoſtomus. Immo in Dogmaticis, quæ ratio, quare non omnes nunc Chiliaſticum regnum adoptemus, quum illud utique tradiderint Papias, Iuſtinus, Iræneus, Tertullianus & ceteri plerique magno conſenſu, inque eam ſententiam Varia Scripturæ loca explicuerint. Denique in ipſa Scripturæ S. interpretatione, quare non etiam cum Beverlando docemus *Filios Dei*, qui in Geneſi dicuntur concubuiſſe cum Filiabus hominum, fuiſſe Angelos, qui ea gratia ex cœlo deſcenderint, & illo concubitu Gigantes procreaverint, ſiqui-

ſiquidem & hoc ex Patribus ſeu antiquiſſimis ſcripturæ interpretibus hauſtum eſt. Non ita ſolebant, qui *Proteſtantes* appellantur, olim ſentire, neque ex ejusmodi principiis Majores noſtri Veritatem aut Orthodoxiam conſtituere. *Traditionem* illi interpretationum receptarum rejiciebant, niſi ſi convenire cnm Scriptura S. aut recta ratione deprehenderetur. Patres legebant, & multum illis deferebant, ſed ita ut nulla ipſis verecundia eſſet recedendi ab eorum interpretatione, ſi ſecus ſibi ex animi ſententia videretur. Ipſi *Traditioni* per ſe nullam probandi vim tribuebant. Atque hinc etiam illi, ut *Novatores & Novarum Interpretationum Studioſi*, ab aliis olim inſimulabantur. Exemplo ſit, quod Steph. Vin. Pighius Cliviæ Principem, cujus ſtudiis, moribus & peregrinationi erat præfectus, moniturus, ut ſibi caveret ab exortis illo tempore Hæreticis, qui erant Majores noſtri, hac nota *Hæreticum à vere Catholico diſcernere* jubet in Hercule Prodicio pag. 103,

quod

quod illius animus ſcabioſa NOVITATUM profanarum prurigine ſemper irritetur, atque ideo ANTIQUITATIS ſcita faſtidiat, Eccleſiæ ſupremam auctoritatem convellat, & nihil aliud, quam Reformationes Novas, Novum Lumen crepet, cum vere Catholicus depoſita Sanctorum Patrum & antiquitus Eccleſiæ commiſſa reverenter ſervet, nec a PATRIBUS poſitos terminos transferre tentet. Quis dubitet, quin ſi eo tempore vixiſſet V. A. omnibus viribus, omnique opum vi Papiſmum propugnaturus fuiſſet adverſus illos Novatores, qui antiquiorum interpretum ſcita faſtidirent, & *Novi* quid proferrent, cum neque inter hoſce *Reformatos* agens ferat in re Philologica & Latini vocabuli ſignificatione innocuum ab interpretatione vulgari diſſenſum, Eumque tanquam *exemplum* quoddam *temeritatis à* S. *oraculis amoliendum* cap. 4. ſibi proponat? Quod quid eſt aliud, quam *Verſionibus* & *Traditionibus* Divinitatem quandam, quam vocant *Infal-*

fallibilitatem, tribuere, ſeu eas, ut loquuntur, *Canonizare*, quæ maxima, ut opinor, apud nos eſt *Novitas*, ipſa Religionis noſtræ principia vel ſubvertens, vel adulterans? Ego certe ſic ſemper exiſtimavi, ſingulas Chriſtianæ Religionis ſectas ſeu partes, in Controverſiis accipiendas eſſe, veluti tot diverſas in negotio Religionis Societates, quæ ſingulæ ex rebus Dogmaticis, ſeu *Fidei*, ut ajunt, Syſtema aliquod ſuæ ſeparatim doctrinæ compoſitum habeant, cui quicquid convenit *Orthodoxum*, quicquid vero adverſatur, *Heterodoxum* in unaquaque Societate appelletur. Quando itaque aliquis in Dogmaticis *novaſſe* quid accuſatur, operam illi dandam, ſi etiam deinceps iſtius Societatis, in qua adhuc cenſetur, velit eſſe particeps, ut oſtendat non tam, *Verum* eſſe, quod tradidit, quam, eſſe *Orthodoxum*, ſeu potius, *non Heterodoxum*, aut *Syſtemati illi vere adverſum*; eaque in cauſâ ipſi æque ſuperiorum ſuæ Societatis Doctorum auctoritate, ac ratione & Scriptura utendum. At in rebus prorſus

Philologicis, & Philologicis ſingularium locorum interpretationibus nullam plane dari, aut conſtitutam eſſe *Orthodoxiam* vel *Heterodoxiam*, quin immo ſummum fore inter nos Novatorem, qui illud vere *Heterodoxum* aſſerere auſit, Verſiones ab Eccleſia receptas, tanquam & ipſas a Spiritu Sancto proxime profectas, atque ideo nihil uſquam paſſas humani, non eſſe in diſquiſitionem ulla parte vocandas. Quapropter de me ſciat, licet, Vir A. adeo non averſari me, aut defugere *Novitatis* in hoc genere exprobrationem, ut ultro fateri non erubeſcam, non promiſſurum me fuiſſe in ipſa prioris Diſſertationis inſcriptione *Verum Paulini loci ſenſum*, niſi meam ejus interpretationem vere Novam exiſtimaviſſem: aut ſi ſciviſſem, quod revera neſcivi, eam ab aliis quibuſdam jam occupatam, licet non ita liquide & copioſe aſſertam. Nam quod affirmat V. A. tanta aſſeveratione, *Nullum aut Interpretem aut Commentatorem aliter*, quam vulgo fit, *intellexiſſe Paulum*, idque

con-

conſtare omnibus; immo *Nemini unquam in mentem veniſſe, Prætorium, quod Paulus deſignat, alibi fuiſſe, quam in Palatio*, idque *eſſe indubitatum*, id vero ego jam falſiſſimum eſſe ajo. Nam, ut fit, poſtquam mihi controverſia hæc de re a Viro A. mota eſt, & in ea inprimis Conſenſus Interpretum adverſus me urgebatur, Ego in eorum ſententiam diligentius inquirens, reperi tres minimum, omnes Eruditiſſimos Viros, qui eodem modo, quo Ego, de Prætorio caſtro, vel Prætorianorum Militum corpore locum hunc jam expoſuere, reperturus forſan plures, ſi majorem operam huic inveſtigationi impendere voluiſſem: id quod feciſſem, ſi eo genere probandi in Controverſiis, ubi non agitur de Orthodoxia, utendum eſſe arbitrarer. Viro Ampl. qui ad interpretum auctoritatem omnia refert, & cujus argumentatio in ea maxime conſiſtit, turpe eſt, non diligentius eos perluſtraviſſe, antequam tam temere & falſo pronunciaret, *Nemini unquam*, quantum eſt Eruditorum,

in mentem veniſſe, Prætorium Pauli extra Palatium conſtituendi, aut aliter intelligendi. Et miror ſane, ita eum loqui non veritum, quum jam in Diſſert. II. §. 17. laudaverim *Ioachimum Oudanum* ad Tab. XCIII. pag. 368. *Romanæ Potentiæ*, hunc Pauli locum de *Prætorio Caſtro* diſertiſſime interpretantem. Sed hujus forſan ſuffragatoris nullam habet rationem, quoniam in negotio Religionis diverſa a nobis ſentire traditur. Eſt tamen ille Vir vere Eruditus, qui in re Philologica, & Latini vocabuli ſignificatione auctoritatem meretur tantam, quantam quiſquam alius, quos citat Vir A. interpretum. Ego vero addam illi veluti ſuccenturiatum, Virum item Doctiſſimum, & Philologum inſignem, noſtrorumque Sacrorum non modo participem, ſed & Antiſtitem, *Ludov. Capellum*, qui in *Hiſtoria Apoſtolica* ad Ann. Chr. LVII. hoc modo ſcribit: *Romæ autem Paulus multos ad Chriſtum convertit, adeoque ex ipſa Cæſaris familia nonnullos, quorum nomi-*

mine Philippenſes ſalutat. Philip. IV. 22. Non paucos etiam ex militibus Prætorianis. Nam ejuſdem ad Philipp. Epiſtolæ I. 13. ſcribit, Vincula ſua ceſſiſſe εἰς προκοπὴν τοῦ Ευαγγελίου; *ita ut celebria ea fuerint* ἐν ὅλῳ τῷ Πραιτωρίῳ. An etiamnum dubitabit V. A. *cuiquam in mentem veniſſe Prætorium Pauli* de *militibus Prætorianis* interpretandi? Sed & contra Hunc forſan excipiet, fuiſſe Criticum, odioſæ appellationis apud ſe nomen. Subjungam ergo his tertium, contra quem ne hiſcere quidem poterit, ut quem ipſe adverſus me hoc ipſo capite allegavit, ſed qua fide, aut diligentia tu judicabis, mi Lector. Eſt is *Ioh. Diodatus*, in cujus Verſionem quum incidiſſem forte fortuna, quando nuper in Batavis eram, inſpexi per illud otium Notas ejus ad hunc Pauli locum, & pene attonitus ſteti, quando deprehendi illum, primo quidem Vulgatam interpretationem verbo referre; ſed dein ſtatim ſtudioſius & uberius paulo, & quaſi per correctionem Vulgatæ, illam quo-
 que

que exhibere, quam *nemini in mentem veniſſe* ait V. A. Verba ejus deſcripta tibi dabo, ſed lingua Gallica, qua eum jam poſſideo. *Pretoire c'eſt la Cour, ou le Palais de l'Empereur Romain. Voi Philip. IV. 22. SINON, qu'on entende la Forteresſe Pretorienne, ou eſtoyent logees les Compagnies de la garde ordinaire de l'Empereur: Selon qu'il eſt vrayſemblable, que les ſoldats, qui gardoyent S. Paul, Act. XXVIII. 16. publioyent de grandes choſes de luy, de ſa doctrine, & de ſes faits, & miracles.* Jam vero, mi Lector, credisne, Virum A. quum Notas Diodati per cauſam noſtræ controverſiæ conſuleret, non legiſſe illud *Sinon*, & quæ ſequuntur? Si id credere nequis, ut incredibile eſt; judicas, qua fide & gravitate agat adverſus me, *Juvenem* quem vocat, dum ut me auctoritate interpretum opprimat, etiam ipſum *Diodatum* nominatim, ejuſque Notas contra me allegare non veretur, eumque in Verſione quidem retinuiſſe *le Pretoire* ait, ſed explicare, *Pala-*

tium Imperatoris, reticens interim, quæ ille de *Caſtro Prætorio* in meam interpretationem convenientia Lectori ſuo copioſius priori illa *explicatione* proponit. Nimirum hæc eſt fides! Immo vero prodit hoc & declarat immenſum Adverſarios quoquo modo vincendi ſtudium, quo nihil habetur penſi, nulla Veritatis ratio, dummodo Lectores ſuæ cauſæ faveant, ſeu vero, ſeu falſo capti. Quod decere Virum Gravem, & ceteroqui Veritatis ac Pietatis ſtudium præferentem, Ego ſane neutiquam cenſeam. Ita vero plus ſatis jam oſtendiſſe me arbitror, non *in irritum ceſſiſſe ſolicitudinem de Auctoritate meæ interpretationi* quærenda, ut auguratur Vir A.

CAP. III.

Expoſitio loci Paulini novæ auctoritatis, primo per compendium, mox ὀικείοις verbis.

Quod Ulpianus in libro XI. *ad Edictum de Reſtitutione in integrum ſcribit, id nobis de loci Pau-*

lini ſuperioris evidentia meliori jure, licet adfirmare, Eam non egere commendatione; Ipſa enim ſe oſtendit. *Nova Soiertia majorem demonſtrationem jure ſuo poſtulat; Nam ſi nude ſimpliciterque proponatur, quo more Veritas maxime delectatur, nimis elumbis, ac ut ipſemet Auctor ejus colligit, ridicula videatur. A me ſic erat relata per Compendium. Paulum, ajunt, cum eſſet Romæ captivus, quod militem ex Prætorianis unum domi cuſtodem haberet, tantum habuiſſe negotii & conſuetudinis cum* Prætorio, *id eſt*, Prætorianis militibus, *ut ejus innocentia maxime ab illis cognita fuerit; ideoque Prætoriani milites his verbis*, ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, *nominatim a Paulo deſignati fuerint: eoque pertinere verba ſingularis* ἐμφάσεως, ἘΝ ὍΛΩι, in omni illa multitudine militum Prætorianorum. *Quæ ſit* τοῦ πιθανοῦ *conſequentia in hac conjectura, etiam cum illis circumſtantiis accepta, præ demonſtratione præcedenti, non eſt difficile cognitu. Queritur Vir Clariſſi-*

riſſimus (hujuſmodi amica appellatio mihi in toto ejus libro, quod ſciam, nulla contigit) me ſtuduiſſe inversa connexione ſententiam ejus deridiculo exponere, tanquam ſi voluiſſet ex eo ſolo, quod Paulus militem ex Prætorianis unum domi in Urbe cuſtodem habuiſset, conficere, Paulum habuiſſe tantum negotii & conſuetudinis cum Prætorianis militibus, ut ideo tantum illi verbis his, in omni Prætorio, *deſignati fuerint* pag. 254, 255. *Atqui reliqua Viri Cl. argumenta prius & poſtea relata & redarguta fuerant: Sed hoc loco nihil quam comparatio rei geſtæ erat a me inſtituta, utrum probabilius eſſet e circumſtantiis hiſtoriæ, Paulum in palatio, an in medio cohortium innocentiam ſuam feciſſe manifeſtam; quæ nullæ ſunt aliæ, quam a me in utraque relatione commemoratæ ſunt. De reliquis rationibus aliunde petitis ſeorſim actum & agendum eſt in hoc commentario. Sed ne Vir Cl. ſiniſtre ſecum actum, & tergiverſatum me queri pergat, ip-*

ſa ejus integra dicta priora collocabo.

Sequebantur heic, quæ in priori Diſſertatione de Pauli loco ſcripſeram. Ea quia in hoc volumine, ſuo loco comparent, heic repetere non fuit viſum.

RESPONSIO
ad Cap. III.

Hoc capite voluit V. A. meam loci Paulini interpretationem referre, in quo ut nullam mihi querendi cauſam relinqueret, exſcripſit omnia, & meis jam verbis explicuit, quæ de eo loco diſputaveram Diſſert. 1. a §. 33. ad finem uſque; ſed quæ, quia ſuo loco in hoc volumine jam comparebant, heic non cenſui repetenda. Præmittit autem præfationem more ſuo, quæ conſiſtit in oſtentando diſcrimine *Evidentiæ* inter ſuperiorem ſuam, & meam iſtius loci expoſitionem. *Suam non egere commendatione; quoniam*

niam ipſa ſe oſtendat. Ea vero ita ſe oſtendit, ut tamen ad eam *commendandam* falſi teſtes, ſicuti demonſtravimus ſup. cap. allegentur a V. A. Chryſoſtomus, & Diodatus; ut falſiſſima affirmatione de conſenſu omnium interpretum, & commentatorum ornetur; ut aliena prorſus *Apologia*, nihil pertinens ad omnia ea, quæ in Ep. ad Philipp. ſcribuntur, in memoratum iſtic *Prætorium* intrudatur, contra omnem rationem, & ipſam veterum ac recentionum interpretum auctoritatem; ut denique tota hujus Prætorianæ litis pertractandæ ratio, atque ordo, etiam ab ipſo in priore ejus Commentario ſervatus, palam nunc imminutetur. Meam porro *Navam Solertiam* ait eſſe ejus generis, *ut majorem demonſtrationem poſtulet, ſimplicem ac nudam propoſitionem, qua Veritas maxime delectetur,* non ferat: ita enim *elumbem*, & mea ipſius ſententia *ridiculam videri.* At vero V. A. non eam ſimpliciter & ſimul integre, ſed ita mutilatam propoſuerat,

rat,

rat, ut, ſiquidem pedes, certe non appareret meæ interpretationis caput, ſeu præcipuum fundamentum. Ita enim exhibuerat, tanquam ſi meâ quoque ſententiâ *Prætorii* vox utramque expoſitionem, & Vulgatam, & *Novam*, quam vocat, ferret; atque hæc Nova unica hac niteretur ratione, quod Paulus Militem ex Prætorianis Unum domi cuſtodem habuerit, perque eam occaſionem iis maxime ſuam innocentiam declaraverit; atque IDEO hi Milites vocabulo *Prætorii* a Paulo deſignati fuerint. Longe aliam fuiſſe meæ interpretationis rationem oſtendi in Diſſert. II. §. 45. Quod ſi voluiſſet & ipſe breviter eam ac ſimpliciter, ſed integre ac bona fide exhibere, dixiſſe debuiſſet, *Prætorium de re Vrbana uſurpatum nihil ſignificare aliud, quam Prætoriarum cohortium corpus, vel etiam locum, ubi pariter tendebant illæ cohortes: neutiquam vero Palatium, aut aliquam ejus partem judiciis deſtinatam. Atque IDEO neque Paulum, qui adhibuit eam vocem ad deno-*

tan-

tandam rem Urbanam, explicandum de Palatio, aut Loco judiciali, non magis, quam de Capitolio, aut Curia, aut Foro: ſed interpretandum omnino de Prætoriis cohortibus, niſi liquido demonſtrari poſſit ex Hiſtoria ejus & ipſo contextu, non admitti iſtic poſſe hanc ceteroquin unicam & veram iſtius vocis ſignificationem. Nihil autem eſſe neque in Contextu, neque in Hiſtoria Paulina, quod eam excludat; eſſe e contrario, quæ ei faveant; Veluti, quod Paulus Præfecto prætorii in Cuſtodiam datus fuerit, & ab ejus Præfecti militibus Prætorianis cuſtoditus, militi quippe Prætoriano per integrum biennium catena alligatus: unde neceſſario orta quædam conſuetudo cum iſtis Militibus, & occaſio declarandæ illis potiſſimum ſuæ innocentiæ per quotidianam Evangelii expoſitionem, & approbatam omnibus vitæ ſuæ integritatem ac ſanctimoniam: Tum & ipſam Locutionem, quæ manifeſte ſeu directe homines, non locum, ut ex proxime conjunctis pateat,

teat, *deſignet*, *& quidem* ἐμφατικῶς *magnam hominum multitudinem*, *qualis fuit horum militum*, *dum dicantur* declarata Pauli vincula per OMNE Prætorium, & per omnes alios *homines*. Hæc eſt ſimpliciter & nude expoſita mea interpretatio, & τοῦ πιθανοῦ in ea connexio, quam ita exhibitam non putem cuiquam elumbem aut ridiculam viſum iri. Poſſem heic deſinere, niſi unum etiamdum eſſet in hoc capite, cui quid reponere debeam. Scilicet appellat me heic Vir A. non jam *Iuvenem*, ſed *Virum Clariſſimum*, idque commendat confeſtim, ſed cum querela adverſus me, dicens, *hujusmodi Amicam appellationem ſibi in toto meo libro*, ſeu Diſſert. II. qua ejus Commentario reſpondi, *nullam contigiſſe*. Ego vero miror, Virum A. vertere mihi vitio ſuum ipſius exemplum. Nam an usquam mihi in priore ejus Commentario, quo me aggreſſus eſt, contigit tam *Amica appellatio*? Nusquam ſane. Quin ille ſine ulla ejusmodi deſignatione, ſimpliciter,

citer; licet ſatis odioſe, ſententiam meam publice expoſitam, paulo poſt publice item confutandam ſuſcepit. Quapropter credebam equidem in reſpondendo, illud reprehenſioni obnoxium fore, ſi Ego prior Virum A. vel nominaſſem, vel iſtiusmodi ſeu Amica, ſeu Manifeſta deſignatione, quaſi digito omnibus demonſtraſſem, tanquam ſi vel Laureolam ex tam Celebri Adverſario ita palam ſignificando captarem, vel publice ejus Nomini atque exiſtimationi inſultare vellem. Hæc vera cauſa, quare maluerim proinde & Ego ad exemplum Viri A. ſimpliciter ipſum ejus Commentarium adverſus me ſcriptum refellere ſub Titulo *Adverſæ Partis*, in quo nihil injuriæ, aut contumeliæ, nihil, quod ullam vanitatem, aut contemptum Viri præſe ferret, ineſſe arbitrabar. Verum longe aliter tamen a Viro A. rem acceptam eſſe intelligo. Nam non ſolum heic, ſed & alibi infra de eo queritur, quod nunquam aliter eum deſignaverim, quam *Adverſæ partis*, ap-

appellatione. Sed quid facias, aut quomodo eſſugias reprehenſiones eorum Hominum, qui, non dicam, ut ille apud Comicum, *niſi quod ipſi faciunt, nihil rectum putant*, ſed qui etiam, quod ipſi faciunt, ſeu ſua ipſorum exempla, in aliis accuſant?

CAP. IV.

1. *Probatur, Locum Pauli ad Philippenſes agere de Apologia ipſius, eamque habitam eſſe in Palatio.*

1. EX *his, quæ ſint rationes, ut Paulus de Caſtris Prætoriis, non de Palatio vel ejus aliqua parte ſit accipiendus, intelligi poteſt: Si quid deinceps acceſſerit, id in progreſſu videbimus; ubi primo de ſenſu Apoſtoli, quantum res feret, abſolverimus. Non poſſum autem, quin apud auimum meum ægre habeam, quod rebus liquidiſſimis obſcurandis tantum operæ impendi videmus. Sed quia ſic uſus tulit, & quia ſerpunt exempla eorum, qui non credunt ſe Locum tueri, famamque adipiſci poſſe, niſi*

niſi id agant, ut novi Auctores habeantur, faciamus pro ſynceritate divinæ hiſtoriæ, ut exemplum temeritatis a ſacris oraculis, quod ſerio, non recipi indignatur, amoliamur. Integer locus Pauli ſic ſe habet, ad Phil. 1. 13. Γινώσκειν δὲ ὑμᾶς βούλομαι, ἀδελφοὶ, ὅτι τὰ κατ᾽ ἐμὲ μᾶλλον εἰς προκοπὴν τοῦ Εὐαγγελίου ἐλήλυθεν. Ὥστε μὲν δεσμούς μου φανεροὺς ἐν Χριστῷ γενέσθαι ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι. Καὶ τοὺς πλείονας τῶν ἀδελφῶν ἐν κυρίῳ πεποιθότας τοῖς δεσμοῖς μου, περισσοτέρως τολμᾶν ἀφόβως τὸν λόγον λαλεῖν. τινὲς μὲν καὶ διὰ φθόνον καὶ ἔριν, τινὲς δὲ καὶ δι᾽ εὐδοκίαν τὸν χριστὸν κηρύσσουσιν. Οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας τὸν χριστὸν καταγγέλλουσιν οὐχ ἁγνῶς, οἰόμενοι θλίψιν ἐπιφέρειν τοῖς δεσμοῖς μου. Οἱ δὲ ἐξ ἀγάπης *&c.* Scire vos, Fratres, volo, res meas amplius ad profectum Euangelii eſſe provectas. Adeo ut vincula mea, quæ ſunt in Chriſto, manifeſta facta ſint *IN TOTO PRÆTORIO* & reliquis omnibus: ut quoque plures fratrum vinculis meis confiſi abundantius verbum ſine timore loquantur. Nonnulli quidem per invi-

diam quoque & litis cauſa, nonnulli ex bona voluntate Chriſtum prædicant. Illi quidem ex contentione Chriſtum annuntiant, non pure, credentes, ſe adflictionem vinculis meis allaturos; hi vero ex charitate &c. *Hæc verba dico*, non dicto, *ut ille, cum Chryſoſtomo, & omnibus, (ipſo, quod audivimus, fatente viro Cl.) Interpretibus antiquis & novis reſpicere ad primam Pauli APOLOGIAM coram Cæſare Nerone habitam. Præter auctoritatem illam & ipſorum verborum evidentiam probatur hoc inde Primo, quod paulo ante* verſu 7. *APOLOGIÆ ſuæ meminerit, etiam paulo poſt APOLOGIÆ Evangelii* v. 17. *Fuerunt autem omnino duæ Apoſtoli Apologiæ apud Cæſarem habitæ. Prima, quam ſecuta eſt abſolutio; ſecunda, quam condemnatio. Docet ipſe Paulus* altera ad Timoth. ult. cap. Ἐν τῇ πρώτῃ μου ἀπολογίᾳ; in prima apologia mea. v. 16. *Secundam fuiſſe ultimam ejuſdem epiſtolæ ſubſcriptio teſtatur*; Πρὸς Τιμόθεον

δευ-

δευτέρα ἐγράφη ἀπὸ ῥώμης, ὅτε ἐκ δευτέρου παρέστη Παῦλος τῷ Καίσαρι Νέρωνι. Secunda ad Timotheum ſcripta Roma, cum Paulus ſecundum coram Nerone Cæſare ſtetit in judicio. *Atqui illa fuit ultima, quippe cujus eventum in eadem epiſtola prædixit his verbis;* Ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε. Ego jam immolor & tempus exſolutionis meæ propinquum eſt. cap. 4. verſ. 6. *Ut jam mittere poſſit Vir Cl. dubitationem ſuam*, ubi Paulus, & quomodo, & *QUOTIES* cauſam dixerit, pag. 86. *Fuit igitur illa Philippenſibus denuntiata, prima Apologia felix & glorioſa Chriſto Domino. Idem Secundo probatur inde, quod manifeſtatio innocentiæ in Prætorio facta, Paulo feliciter ceſſerit, ut ejus verba præ ſe ferunt ad* Phil. 1. verſ. 12. 13. 14. *Idem de Apologia ſua prima ſcribit ad Timotheum,* Ὁ κύριός μοι παρέστηκε καὶ ἐνεδυνάμωσέ με. Dominus mihi adſtitit & corroboravit me c. ult. v. 17. *Tertium argumentum: Ex manifeſtatione innocentiæ*

quam prædicat Philippenſibus & proſpero ſucceſſu ejus, vaticinatur Paulus, ſe abſolutum iri; Καὶ τοῦτο πεποιθὼς, *inquit,* οἶδα, ὅτι μενῶ καὶ συμπαραμενῶ πᾶσιν ὑμῖν, εἰς τὴν ὑμῶν προκοπὴν καὶ χαρὰν τῆς πίστεως: Hac re confiſus, novi, me eſſe manſurum, & una cum vobis omnibus eſſe remanſurum, ad veſtrum profectum & lætitiam fidei v. 25. d. cap. 1. *Talis collectio abſolutionis futuræ nonniſi ex Apologiæ ſucceſſu judicialis & a perſuaſione Judicibus totique Auditorio facta proficiſci poterat; Reliquum prædicandi Evangelii ſtudium* εὐκαίρως, ἀκαίρως, *in cujus fructu Vir Cl.* τὴν προκοπὴν *Pauli conſiſtere narrat pag. 276. nihilo magis ad ſpem abſolutionis, quam accidit in apologia poſteriore, conferre potuiſſet, nec quidem favor militum ad eam rem utilis eſſe poterat: Quin magis in contrarium ille vertiſſet. Nam ſi in militum quoque vulgus novæ doctrinæ guſtus & approbatio penetraßet, multo major invidia &* ἀναθεώρησις *Aulæ in Apoſtolum excitata fuiſſet, quam ejus æmuli*

li deinde ipſi, concionando in vulgus, conciliare conati ſunt. His accedit IV. loco; quod Paulus certum tempus deſignat, quo res ejus ſe melius habere cœperint. Significat enim Philippenſibus, ut rem novam, ſucceſſum manifeſtatæ innocentiæ ſuæ; quo illi, antea vinculis ejus contriſtati lætarentur. Prædicatio autem ſtudiumque ejus convertendi adeuntes ipſum, inde a principio illi perpetuum fuit, Act. d. cap. v. ult. *cujus reſpectu nulla ſingularis occaſio nuntiandi rem læti exitus, data fuiſſe intelligi poteſt. Sed verborum ſatis in re manifeſta.*

Jam ſi conſtat, ut demonſtratum eſt, verba Pauli, de quibus agitur, ad Apologiam ejus ſpectare, videndum erit, in Caſtris extra urbem, an in palatio habita ſit Apologia. Provocationes ad Principem factas non tantum fuiſſe militares, ſed etiam de civilibus cauſis, nullo opus eſt alio, quam præſenti exemplo; cæteroqui paſſim receptæ fuerunt a quocunque judice ad Principem recta factæ appellationes,

verba ſunt Cujacii de temporibus Neronianis lib. 21. obſerv. c. 33. *Si militares cauſæ in caſtris diſceptatæ ſint, quod tamen nec liquet neque certum eſt; ut deinde videbimus, civiles certe nihil commune cum caſtris habuerunt, minimeque omnium Pauli de religione Quæſtio. Quid hoc monſtri fuiſſet, in mediis caſtris agere de exteris Religionibus; militumque aures innumeris occupare civilium appellationum litigiis? Rationem aliam ſuppeditat ipſe Vir Cl. in his verbis;* Nam in Prætoriis Caſtris, Provinciales quoque, ſi publice audire vellet Cæſar, auditos, colligimus ex eo, quod illi iſtic præcipue cuſtoditi fuerunt, ut patet ex hiſtoria Regis Agrippæ pag. 85. *Si locus cuſtodiæ facit ad arguendum Judicii locum, Paulum in urbe ſine dubio fuiſſe oportet auditum & judicatum; quia in urbe cuſtoditum fuiſſe indubitatum eſt,* ἐν ἰδίῳ μισθώματι, in propria habitatione conducta Act. ult. v. 5. *niſi & hanc & congreſſus Iudæorum aliorumque toto biennio in caſtris*

agi-

agitata fuiſſe placeat. Quod ſi verum non eſt, ut ineptiſſimum foret, ſequitur, Paulum nihil commune cum Caſtris & judicio Caſtrenſi habuiſſe. Sed αὐτοκατακρίτῳ *argumento in urbe fuiſſe auditum, in Prætorio, ut ſcribit; ac ita in urbe fuiſſe Prætorium.*

RESPONSIO
ad Cap. IV.

Veterem jam, heic denuo orditur Vir Ampl. invidiæ cantilenam, *Novum Auctorem haberi* me velle, quia ſcilicet Latinum *Prætorii* vocabulum aliter in Paulo interpretandum cenſui, quam vulgo fiebat. Immo indignatur ſerio, quod *rebus liquidiſſimis obſcurandis tantum operæ impendi videat*. At quî rebus liquidiſſimis? Nimirum, quia *videtur* ita Viro A. & quia ſic fert *Vulgata Traditio*, licet nulla Latini Scriptoris, aut ullius exempli auctoritate ſubnixa. Certe enim Vulgata & Viri A. interpretatio *Prætorii* de Pa-

 latio

latio vel loco judiciali, ejus eſt generis, ut ipſe fateri cogatur, *Prætorii vocabulum illo ſenſu fortean vix unquam apud Latinos Scriptores inveniri:* Mea autem de Prætoriis cohortibus, talis eſt, ut concedere vel invitus debeat, *Rem eſſe eandem* in Vetuſtis Scriptoribus, *Exauctorari e Prætorio & e Prætoriis cohortibus.* Et tamen quum non deſinat contrà niti, non quidem ullis Veterum documentis, quibus oportebat, ſed ineptiſſimis ratiunculis, & nihilo tamen minus confidentiſſimis aſſeverationibus, id vero an non vere eſt rebus liquidiſſimis obſcurandis nimium olei & operæ impendere, ac perdere? Quin immo, quando falſi Teſtes allegantur, veluti Chryſoſtomus & Diodatus, quando alieniſſima conflatur Hiſtoria ex diverſi plane temporis Epiſtolis, quando in omnes ſe partes vertit, quaſi alterum Vertumnum, & modo hoc ordine, modo illo, eandem hanc Diſputationem inſtituit: modo hoc, modo illud Controverſiæ Caput ponit, annon hæc cla-

clariſſime produnt immane quoquo modo vincendi ſtudium, & res nimis quam liquidas obſcurandi? Sed omnia iſta uno *Traditionis* clypeo facile depellit Vir A. ipſe e contrario operam daturus, *ut meum Temeritatis exemplum a S. oraculis amoliatur.* Quodnam vero illud, ſi quæras? Nullum aliud, quam quod in re prorſus Philologica auſus ſum a Vulgatæ interpretationis *Traditione* diſſentire, licet nullam plane Theologiæ partem, nullum dogma ulla ratione adulteraverim, aut labefactaverim, imo licet mea interpretatio multo magis, quam Viri Ampliſſimi, decora ſit Paulo, & Paulinæ gloriationis de ſucceſſu ſuorum vinculorum rationem multo ἐμφατικωτέρως firmet atque illuſtret, ac denique longe manifeſtius εἰς προκοπὴν τοῦ εὐαγγελίου tendat. Nam quid, quæſo, Paulo glorioſius, & Euangelio? utrum, quod ſentit Vir A. unico Apologiæ judicialis actu in Auditorio judiciali Judicibus atque Auditoribus ſuis declaraviſſe ſuorum vinculorum cauſam: An vero, idem illud feciſſe potius quotidia-

na Evangelii prædicatione, ſanctimoniæ ſuæ atque innocentiæ declaratione, & expoſitione cauſarum, quare hæc vincula etiam lubens pateretur; atque ita non tantum *omnes alios*, ſed & ipſos Milites, qui ceteroquin a vera in Deum pietate & ſanctimonia longe aliquando abſunt, ad agnoſcendam ſuam & Euangelii innocentiam adegiſſe? Hæc enim mea eſt interpretatio, quam ſi maxime alteri non præferas, ac Paulo convenientiorem non judices, quid vel ſic in ea ineſt, obſecro, a Pauli perſona, aut ab Euangelii, immo omnis Theologiæ rationibus alienum? Si nihil, ergo omnis mea *temeritas* unice in eo conſiſtit, quod Latinum *Prætorii* vocabulum in controverſo loco aliter expoſui, quam *Traditio* jubebat. Sed ſi ea eſt *temeritas*, & quidem *a S. oraculis ſerio amolienda*, quid cauſæ, quo minus deinceps omnes *Obſervationum* libri in varia S. oraculorum loca a Doctiſſimis plerumque Viris conſcripti, ex manibus hominum excutiantur? immo quid cau-

cauſæ, ut duos extra partes & patriam noſtram poſitos tantum nominem, quo minus Eruditiſſimæ Samuelis Bocharti, & Joh. Lichtfooti curæ, tanto cum applauſu ab omnibus exceptæ, jam prorſus proſcribantur, ſiquidem innumera pene, hic Novæ, ille Veteris Scripturæ loca, ex Antiquaria & Philologica penu ſecus, ac in receptis fiebat Verſionibus explicuerunt, atque illuſtrarunt. Quin, ut & ex ipſo Viri A. latere quem citem, quid eſt, quod non eandem indignationem pro ſynceritate Verſionum ad amolienda ab iis meæ Temeritatis exempla obnunciat Viro Clariſſ. & ſibi jam Conjunctiſſimo, Camp. Vitringæ, qui utique *Obſervationum* ſuarum partem Novis interpretationibus & a Recepta diſcrepantibus ex profeſſo impendit? Verum, ut apparet, apud Virum A. Duo quum idem faciunt, neutiquam eſt idem. Sed quid? ſi neque ipſum hujus meæ Temeritatis expertem omnino eſſe, oſtendere poſſim? Non dicam, quod in hocce Pauli loco, τὸ

κατ' ἐμὲ, vertat *res meas*, h. e. fortunas meas, earumque rationem, ſecus quam Belgæ, qui, **het gene aen my geſchiet is.** Leve enim hoc eſt, nec magni, quod ad ſenſum, diſcriminis, immo rectius forſan, & commodius. Illud vero gravius & perverſius, quod conſulto verba Pauli in hoc eod. capite §. 25. καὶ τοῦτο πεποιθὼς οἶδα, ὅτι μενῶ, &c. vertit, *HAC RE Confiſus, novi, me eſſe manſurum*, non modo contra omnem linguæ rationem, ſed & aliorum interpretum auctoritatem. Nam certe Belgæ, **ende dit vertrouwe / ende weet ik / dat ik ſal blyven.** Tremellius, *Et hoc indubitato novi.* Beza, *Et hoc* (quarto caſu) *confiſus novi.* Vulgata *Et hoc confidens ſcio.* Diodatus, *Et je ſay aſſeurement, que je demeurerai.* Unde autem Virum A. ad hanc, quam vocat, *Temeritatem* a Verſionibus diſſentiendi, ac tam alienam a Græco ſermone interpretationem, prolapſum credimus? Nempe ſerviebat cauſæ, ſiquidem novum ex tali interpretatione argumentum

tum formare eſt conatus, ut mox videbimus. Nam ut cauſæ ſerviat, nihil intentatum relinquit, nec veretur incredibilem rerum abſurdarum, immo & falſarum congeriem hoc capite accumulare, id quod rebus ipſis jam declaratum dabo. Etenim exhibito Pauli ad Philippenſes loco ſubjicit confeſtim, *eum reſpicere ad Primam ejus Apologiam*, Timotheo nunciatam, ut tradidit jam Cap. 2. & hôcce repetit. *Id autem ſe dicere*, primum *cum Chryſoſtomo*, dein *cum* aliis etiam *Omnibus interpretibus Antiquis & Novis*, denique *Me ipſo id fatente*, Quæ ejusmodi ſunt, ut pene quot commata, ſeu ſectiones, tot manifeſto falſas affirmationes contineant, adeo ut ægre profecto feram, ea me ſecuritate a Viro A. oppugnari, tanquam ſi res ipſi eſſet cum fungo, aut ſtipite. Niſi ſi forte hac in ſcribendo negligentia ac temeritate firmare voluit ſuam gloriationem, Viro Gravi ceteroquin indecoram, quod vix tot dies huic ſingulari Libro impenderit, quot

quot Ego menſes meæ Diſſertationi II. Certe utcunque de eo ſit, liquida ſatis reperimus hic ſpecimina inconſultæ prorſus ſcriptionis. Nam, ut de Me incipiam, habes in hoc volumine, Lector, quicquid de controverſo hoc argumento ſcripſi. Perluſtra, ſi videtur, id omne. Certus ſum, nusquam Te deprehenſurum, me fateri, *hunc Pauli locum ab interpretibus referri ad illam primam ejus Apologiam.* Reſpexit haud dubie Vir A. hæc mea verba ex initio theſeos 34. Diſſ. I. *Atque ita ſentiunt OMNES, quos vidi de hoc loco agentes*, ſiquidem ea in ſup. Capite, in Excerptis ex mea Diſſert. majuſculis literis edi curavit. Verum illis verbis tantum abeſt, ut id, quod Vir A. affirmat, confeſſus fuerim, ut pene prorſus contrarium dixerim. Nempe poſtquam theſi 33. retuleram & refutaveram interpretationem *Prætorii* per *Locum judicialem*, ſubjunxi, rectius paulo explicari ab iisdem per *Palatium Cæſaris, atque ita ſentire Omnes quos viderim*

derim &c. ſine ulla Apologiæ qualiſcunque deſignatione. Ex quo facile intelligis, Lector, quam temere ergo & ſecure egerit Vir. A. quum iſtam mihi Confeſſionem tribueret. Sed & Secundo, quod de *Omnibus Interpretibus Antiquis & Novis* affirmat, æque falſum eſt. NULLUM enim omnino vidi, (vidi autem complures) qui Paulum ad Philipp. explicuerint ex Epiſt. ad Timotheum, ſeu ex *Prima* illa *Apologia* iſtic memorata: immo Nullum vidi, præter Belgas, qui *Prætorium* pro judiciali Auditorio, aut quod Pauli *vincula* dicuntur *manifeſta evaſiſſe in omni Prætorio*, id de re aut loco judiciali acceperint. Omnes alii, quos Vidi, præter mecum ſentientes, ſimpliciter de Palatio Cæſaris interpretantur, ſine ulla mentione judicii aut Apologiæ judicialis: nec definientes, quo modo Paulus, quum variis potuerit, ſuorum vinculorum rationem & cauſam iis, qui in Palatio verſabantur, declaraverit. Immo vero *Chryſoſtomus*; quem unum V. A. nominatim allegat; quodque Tertium eſt, & manifeſtum

item

item falſæ affirmationis ſpecimen, diſerte, ut oſtendimus ad Cap. II. ipſius Chryſoſtomi verbis; *declarationem* illam *Pauli vinculorum* a *Prima* iſta *Apologia*, ac Epiſtolam ad Philipp. ab ea ad Timotheum diſtinguit, primum Tempore, tum præſentia & abſentia Timothei, denique ejusdem ſcientia & ignorantia rei geſtæ. Ex qua inſuper diſtinctione, ut & ex iis, quæ diſputavimus ad illud Cap. 11. liquet clariſſime, falſo, ſeu perperam affirmari Quartum, *Verba Pauli ad Philippenſes reſpicere ad Primam ejus Apologiam* Timotheo ſignificatam, ſiquidem ita Timotheo, tanquam ignoranti, & ut Novum quid, nunciatum eſſet, quod ipſe una cum Paulo dudum ante jam nunciaverat Philippenſibus. Illud vero quum ſit præcipuum, immo unicum fundamentum ejus Poſitionis, quam ſe hoc Capite probaturum promiſit, *Locum Pauli ad Philippenſes agere de Apologia ipſius*; & porro hac poſitione quum unice item nitatur omnis illa loci Paulini, &

Præ-

Prætorii interpretatio, quam tuetur Vir A. tui jam nunc eſto arbitrii, Lector, quam ex eo de noſtra hac controverſia ſententiam ferre velis. Sed addit tamen Vir A. quatuor argumenta, ut probet, verba Pauli ad Philippenſes intelligenda eſſe de Apologia, & ſpeciatim de *prima* ejus *Apologia*, ac proinde porro *Prætorium* de Loco judiciali; ſed quæ argumenta ejus ſunt generis, ut pene dixerim indigna eſſe relatu, nedum refutatu. Primum eſt, quod Paulus in Cap. 1. ad Philipp. memoret *Apologiam & Confirmationem* (βεβαίωσιν) *Euangelii*, licet in remotioribus verbis, & nihil ad illam φανέρωσιν ἐν τῷ πραιτωρίῳ pertinentibus. Ergo controverſus inter nos locus, ſeu illa φανέρωσις nonniſi de Apologia judiciali explicanda eſt, atque Prætorium nonniſi de loco judiciali. Egregia vero, & plane Dialectica vis conſequentiæ! Sed quid? ſi mihi nunc lubeat affirmare, *Prætorium* iſtic ſignificare Carcerem, atque adeo hominibus, qui in Carcere fuerint una

A a cum

cum Paulo, eveniſſe hanc φανέρωσιν, ſicuti certe ii, qui cum eo erant in carcere Philippenſi, dicuntur Actor. XVI. 25. ejus preces ad Deum, & hymnos exaudiviſſe, vel iis auſcultaviſſe, ut Belgæ, **daar nae hooren.** Idque ſi tuear hoc argumento, quoniam in eodem commate memorentur *vincula*, (δεσμὰ, quæ ſane propria ſunt Carceri, qui inde Græcis δεσμωτήριον) *in Prætorio declarata*, quid eſt, quo minus hanc interpretationem atque argumentationem, quanto propiora ſibi invicem ſunt hæc vocabula, alteri præferamus? Sed ais, *Prætorium* non ſignificat Carcerem: Immo neque Palatium, aut ejus partem judicialem. Ipſam hic ſpectamus argumenti vim, quæ utique eadem eſt in utroque, & idcirco ſi illud non probatur ex meo, certe neque hoc ex Viri A. argumento. Dein ſi maxime illa *Euangelii Apologia* apud Paulum conjuncta eſſet in unam orationem cum τῇ φανερώσει *vinculorum ejus in Prætorio*, aut ſi hæc illam certo re-

ſpi-

ſpiceret, quæ ratio vel ſic aſſeverandi, iſtam φανέρωσιν eveniſſe, non niſi Apologiæ judicialis unico actu, & quidem omnino in Auditorio judiciali? An non ubique & quotidie Paulus ἐυκαίρως, ἀκαίρως, Euangelium prædicabat, & ejus Apologiam omnibus illis, qui eum audire vellent? Tum annon etiam ita, ſeu per talem Euangelii Apologiam, ejus *Vincula fiebant manifeſta* iſtis ejus Auditoribus? An vero omnis omnino *Apologia*, & maxime an *Apologia Euangelii* neceſſario eſt judicialis, adeo ut, quæ *Apologiæ* vocabulo jungantur, de judicio & re judiciali, etiam contra ipſum Linguæ uſum, ſint accipienda? Ergo de judicio quoque & ejus generis Apologia eſt intelligendum, quod Petrus ait I. 3. 15. *Parati eſtote ſemper ad Apologiam dicendam omni exigenti a Vobis rationem ſpei, quæ eſt in Vobis.* Id vero quum ſit abſurdum, non opus eſt dictu, quam abſurda etiam ſit ratio Viri A. ex illa *Apologia Euangelii* ſimpliciter memorata, & quidem in

oratione non connexa cum *Prætorio*, aut *Prætorium* reſpiciente, conficientis, *Prætorium*, in quo evenerit illa φανέρωσις Vinculorum Pauli, fuiſſe Auditorium judiciale, idque contra Uſum Linguæ, ſeu uſitatam aliis ſcriptoribus iſtius vocabuli ſignificationem. Quid? quod in ipſo hoc loco iſta φανέρωσις ſecundum ipſius quoque Viri A. ſententiam debeat neceſſario etiam aliter facta eſſe intelligi, quam Apologia judiciali, ſiquidem hac fieri tantum potuiſſet *in omni Prætorio*, h. e. omnibus illis, qui talem Pauli Apologiam in tali Prætorio audiverint. At vero, quando præter & extra *omne Prætorium* etiam in *RELIQVIS omnibus* hominibus illa *vinculorum Pauli ratio* dicitur *evaſiſſe manifeſta*, id jam alio utique, quocunque tandem, modo factum ſit neceſſe eſt. Quod ſi ergo iſta φανέρωσις in *omnibus aliis* alia ratione evenit, quid cauſæ, quare eam, quæ in *Prætorio* evenit, contra Uſum Linguæ, tanquam in Loco judiciali, & judiciali

tan-

tantum Apologia neceſſario factam, aſſeveremus. Certe ipſa locutio, qua vincula dicuntur *evaſiſſe manifeſta*, φανερὰ γενέσθαι, neque illa tale quid jubet aut poſtulat; Non magis ſane heic, quam quum Paulus commendat ſe precibus Coloſſenſium IV. 24. *ut Deus ſibi aperiret feneſtram prædicandi myſterium Chriſti*, ἵνα, inquit, φανερώσω αὐτὸ (τὸ μυστήριον τοῦ Χριστοῦ) ὡς δεῖ με λαλῆσαι, h. e. *ut illud DECLAREM atque exponam ita, quemadmodum oportet me illud prædicare.* Quo ergo ſenſu heic φανερωθῆναι dicitur *Myſterium Chriſti*, quo Timotheum jubet curare Paulus I. 4. 15. ut ipſius προκοπὴ φανερὰ ᾖ ἐν πᾶσιν: eodem plane ſenſu iſtic ſua vincula dicit φανερὰ γενέσθαι ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς πᾶσι. Ita nihil undecunque extricari poteſt ad φανέρωσιν illam coercendam in Apologiam judicialem, & *Prætorium* de Loco judiciali conta Uſum Linguæ interpretandum.

Pergit tamen Vir A. eadem confidentia, etiam ipſam judicialium Pauli

Apologiarum ſeriem & numerum nobis referre, ac me dimittere jubet dubitationem, *ubi Paulus*, *& quomodo*, *& QUOTIES cauſam dixerit*. Ego vero, Vir Ampliſſime, non ea ſum indole, ut tam temere, factum quid uno ſeu certo modo, affirmem aut credam, quod variis fieri potuit, & quomodo factum ſit, non eſt memoriæ proditum. Remitto hanc definiendi ſine ullo documento libidinem iis, qui Dictatoriam ſibi auctoritatem in re literaria arrogant. Certe quas hic memoras Apologias Pauli ex Epiſt. ad Timoth. alieniſſimas eſſe a noſtra controverſia & priore Pauli reatu, probavimus clariſſime ad Cap. II. In poſteriore reatu, ὅτε ἐκ δευτέρου παρέστη τῷ Καίσαρι, pluſquam ſemel auditum eſſe ex illa Epiſtola probabile eſt prorſus, ſed *QUOTIES* tamen, incertum manet. In priore reatu, in quo ſcripſit ad Philippenſes, *Quoties*, aut *UBI*, in Caſtris, an extra, tum *Quomodo*, privatim an publice, cauſam dixerit, nuſquam traditur. Crediderim tamen, ſæpius

pius per integrum illius reatus biennium Romæ auditum, æque ac antea a Felice in Judæa *ſæpius* (πυκνότερον) fuerat, Actor. XXV. 16. Neque illud a Romanis moribus erat alienum, etiam in ſolennibus ac publicis judiciis, in quibus frequentes olim *Comperendinationes* & *Ampliationes* fiebant. Vnde *leges* memorat Plinius Epiſt. VI. 2. *quæ Tot Comperendinationes largiantur* judiciis. Immo apud Valer. Max. VIII. 1. L. Cottæ a Scipione accuſati *cauſa ſepties Ampliata, & ad ultimum octavo judicio abſoluta* traditur. Quin & poſtea Sulpic. Severus lib. II. extr. de Priſcilliano, qui *gemino jam judicio Auditus fuerat*, refert *etiam tum judicium iterari, neceſſe fuiſſe.*

Sed & privatim potius, quam publice auditum, nullus dubito. Nam quis credere queat, publice μετὰ τοιαύτης φαντασίας in tam frequenti & ſolenni Auditorio cauſam dicere coactum, qui nullos iſtic habebat Accuſatores, & cujus crimen illis adhuc temporibus erat res

nihili, nedum publicum apud Romanos. Quod nullos habuerit Romæ accuſatores, ex omni ejus Hiſtoria abunde liquet. Certe Judæi, qui erant Romæ, de Paulo neque literas ex Judæa habuerant, neque quenquam inde advenientem, qui quid mali illis de eo nunciaret. Actor. XXVIII. 21. At Judæi eſſe debebant, qui eum accuſarent, ſicut accuſarant apud Felicem & Feſtum. Sed longe clariſſima res eſt ex ſollicitudine Feſti, teſtantis apud Agrippam & Comites ejus, *IDEO ſe ad illos producere Paulum, ut haberet certi quid de eo, quod ſcriberet Cæſari; Exiſtimare enim ſe, abſurdum fore, ſi mitteret Vinctum, & non ſimul ſignificaret, quibus ille criminibus accuſaretur.* Actor. XXV. 26. 27. Nemo non videt, incaſſum hoc nomine ita ſollicitum fuiſſe Feſtum, ſi Accuſatores Pauli vel ultro Romam una cum eo proficiſci voluiſſent, vel ab ipſo miſſi eſſent. Quod nihili res illa fuerit Romanis, patet primum ex eo, quod Paulus benigne acceptus Romæ, & habitus in la-

xio.

xiore & liberiore cuſtodia, immo quod abſolutus eſt, & dimiſſus. Tum maxime, quod Feſtus ipſe non modo teſtatur, ſe *nihil morte dignum in eo reperiſſe*, Actor. XXV. 25. & XXVIII. 18. Sed &, quod Act. XXV. 18. 19. ait, Paulo intentatum *nullum crimen eorum, quæ ipſe ſuſpicabatur, ſed* (cum contemptu) *controverſias quaſdam de Iudæorum ſuperſtitione ipſi motas, & de quodam Ieſu mortuo, quem Paulus diceret vivere.* Eodem pene modo, quemadmodum & Gallio Judæos Paulum accuſantes a ſuo Tribunali repulit, Actor. XVIII. 14. dicendo; ſe quidem jus illis redditurum, ſi haberent aliquod ἀδίκημα, ἢ ῥαδιούργημα πονηρὸν adverſus Paulum, non autem, ſi lis eſſet de ipſorum Lege aut Religione. Quæ proinde, ut apparet, necdum eo apud Romanos loco erat, ut animadverteretur: Quapropter probabile omnino eſt, Paulum Romam propter iſtiuſmodi Quæſtiones miſſum ſine Accuſatoribus, ſimpliciter & privatim a Præfecto prætorii, ſecundum perſcriptam a

Feſto cauſam, examinatum auditumque & hauddubie ſæpius per integrum illud biennium; atque ita tandem, re omni ad Cæſarem per Præfectum identidem relata, abſolutum. Exemplum dabo etiam ex poſteriori tempore huic prorſus ſimile, niſi quod gravior fuit cauſa, ut quam ſecuta eſt damnatio, & quod inſuper aderant iſtic Accuſatores. Habes id apud Sulpicium Sev. lib. II. extr. ubi Priſcillianus, a quo Priſcillianiſtæ, ex provincia Hiſpania, *ne ab Epiſcopis audiretur, ad Principem provocavit. Secuti eum Accuſatores Idacius & Ithacius. Imperator Præfecto Euodio cauſam permiſit. Qui Priſcillianum gemino judicio auditum convictumque maleficii, nocentem pronunciavit, redegitque in cuſtodiam, donec ad Principem referret. Geſtis ad Palatium delatis, cenſuit Imperator, Priſcillianum ſocioſque ejus capitis damnari oportere.* Compone ſis, Lector, hanc cauſam tam gravem, in qua vides, quid egerit, & non egerit Imperator, cum illa Pauli tam levi, & nul-

nullius tunc momenti apud Romanos, ſuiſque Accuſatoribus deſtituta. Et judica, quam Dictatoria igitur auctoritate & confidentia ſine ullo documento, aut ullo talis judicii exemplo, pronunciet tamen V. A. & aſſeveret, Paulum publice ab ipſo Imperatore, ejus Præfecto, Aſſeſſoribus, Comitibus, & magno Auditorum concurſu auditum, & quidem in Auditorio Aulico, quod appellaretur *Prætorium*. Quamvis neque *Prætorii* vox uſquam in ea Auditorii Aulici ſignificatione occurrat, neque tale Auditorium judiciis perpetim & proprie deſtinatum in Aula Neronis & proximorum Cæſarum fuiſſe liqueat. Sed quid? ſi inſuper oſtendam, at Neronem ſpeciatim abhorruiſſe ab Apologiis continuæ orationis, quibus quis innocentiam ſuam declarare conatur, quid fiet hac interpretatione Viri Ampliſſimi, & inprimis hac judiciali ac publica Pauli Apologia, quâ illa nititur? Certe Suetonius de Nerone cap. 15. notat, quod *in cognoſcendo eum morem tenuerit, ut continuis actio-*

actionibus omiſſis ſingulatim quæque per vices ageret. Qui quidem locus non adfertur contra omnem omnino Pauli judicialem Apologiam. Nam ipſe ad Timotheum ſcribens, memorat ſane *primam* poſterioris reatus; incertum, tamen, an publicam, & continuæ orationis, ac non potius ex libidine Neronis reſpondendo ad ſingula quæſtionum capita factam. Sed adfertur ideo, ut oſtendam, quot argumentorum telis confodi queat illa, quam nobis ſine Auctore & Teſte V. A. obtrudit, Publica, & Solennis & Continuæ Orationis Apologia cauſæ Accuſatoribus ſuis deſtitutæ, ac Romanis adhucdum leviſſimæ. Tanto magis, quoniam, hac ſubruta & abjecta, per ſe plane concidit omnis Viri A. interpretatio, quippe quæ unico hoc tam fragili tibicin: fulta eſt. Quamvis ſi maxime tamen conſiſteret publica adeo Pauli Apologia, nihil vel ſic inde elici poſſit, ut oſtendimus ſupra, quod nos adigat ad Verba ejus, quibus *vincula ſua* dicit *evaſiſſe manifeſta in omni Prætorio, & in omnibus*

bus aliis hominibus, de judiciali Apologia interpretandum, & *Prætorium* contra uſum Linguæ de Loco judiciali explicandum.

Reliqua A. Viri argumenta ſunt vere *Sardi venales, aliud alio nequius*. Nos tamen ea ſingulatim, ſed breviter recenſebimus, quoniam retuliſſe ea, & vim conſequentiæ protuliſſe, eſt refutaſſe. *Secundo*, itaque ait, *probatur*, quod controverſa *verba ad Philipp. reſpiciant ad Primam Pauli Apologiam*, ex eo, *quod manifeſtatio innocentiæ in Prætorio facta Paulo feliciter ceſſerit*, & quod ille ſimiliter *de Apologia ſua prima ad Timotheum ſcribat, Deum ſibi adfuiſſe, & ſe confirmaſſe*. At vero Paulus in Ep. ad. Philipp. poſtquam *manifeſta evaſerant ejus vincula in Prætorio*, gloriatur de læto ſuarum rerum ſtatu, ſignificatque iis, *certum ſe eſſe ſuæ abſolutionis*, καὶ παρουσίας πάλιν πρὸς αὐτοὺς, *quod denuo adventurus ad eos eſſet*. Sed in Ep. ad Timoth. poſtquam *primam* illam *Apologiam*, quam ei nunciat, dixiſſet,

xiſſet, conqueritur de longe triſtiſſima jam rerum ſuarum fortuna, in qua proinde *ab omnibus derelictus fuerit*, immo *necem ſibi inſtare* declarat. Ergo neutiquam *verba Pauli ad Philipp. de manifeſtatione innocentiæ ſuæ, reſpiciunt ad primam hanc ejus Apologiam.* Quod *necem ſibi inſtare* declaraverit in illa Epiſtola, in qua Timotheo nunciat *Apologiæ* iſtius fortunam & eventum, conſentiunt omnes Eruditi, & agnoſcit ipſe Vir A. hoc ipſo capite. Quapropter quod Paulus in eadem Ep. ait *adfuiſſe ſibi Deum, & confirmaſſe ſe*, a nemine intelligitur de læto rerum ejus ſucceſſu & fortuna poſt illam Apologiam, ſed de eo, quod, quamvis ab omnibus derelictus, fortiter tamen & intrepide cauſam ſuam & Euangelii egerit. Eadem hac reſponſione, ſeu contraria argumentatione collabitur *Tertium* quoque Viri A. argumentum, ſane quam ineptum, & quod tamen inſuper mala etiam fide laborat. Eſt illud his verbis conceptum; *Paulus ex manifeſtatione inno-*

nocentiæ, & *proſpero ejus ſucceſſu vaticinatur ſe abſolutum iri.* Ergo intelligit ea manifeſtatione *Apologiam judicialem.* Immo vero neutiquam, ut diximus, ea manifeſtatæ innocentiæ ſignificatione reſpicere potuit *primam* illam *Apologiam*, ut poſt quam ſe propediem non *abſolutum*, ſed *occiſum* iri vaticinabatur. Sed neque *Talem Collectionem abſolutionis futuræ ex illa manifeſtatione innocentiæ* ducit Paulus. Quin immo Vir A. contra omnium quos vidi, Interpretum (Vide ſupra pag. 364) Verſionem, &, ut valde vereor, contra ſuam ipſius animi ſententiam, Græca illa, καὶ τοῦτο πεποιθὼς οἶδα, reddit, *HAC RE Confiſus, novi,* quum vertere debuiſſet cum Belgis & reliquis, *Et hoc perſuaſum habens ſcio.* Plane quemadmodum & Verſu 6. ubi eadem phraſis occurrit, πεποιθὼς αὐτὸ τοῦτο, Beza ſimiliter & recte exhibet, *Perſuaſum habens hoc ipſum*: Vulgatus interpres, *Confidens hoc ipſum.* Sed miſſa jam phraſi, quid quæſo eſt, quod deſignabitur τῷ *Hac re? Manifeſtatio*, inquit, *innocentiæ Pauli-*

næ. At vero illud, *Hac re confiſus novi, me manſurum*, occurrit demum verſ. 25. poſtquam in proximis ſuperioribus diſputaſſet Paulus, utrum ſibi ac Philippenſibus expediret potiſſimum, ſe mori, nec ne. *Manifeſtatio* autem illa *innocentiæ* legitur dudum ante v. 13. Adeo ut ita quidem τὸ *Hac re* reſpicere deberet rem valde remotam. Verum argumentis indigebat Vir A. ſerviendumque erat cauſæ, & immani illi quoquo modo vincendi ſtudio. Quanquam ſi maxime Paulus illam *ſuæ abſolutionis* connexionem duxiſſet ex eo, quod *vincula ipſius evaſerint manifeſta in omni Prætorio, & omnibus aliis* hominibus, quæ quæſo ratio, quæ Dialectica docet, nullam omnino eſſe eam collectionem, niſi per *manifeſtationem vinculorum* intelligatur *Apologiæ judicialis ſucceſſus*; Immo annon æque ſpes & *collectio futuræ abſolutionis* duci poteſt ex eo, quod per declaratam vitæ integritatem, atque Euangelii ſanctitatem quotidie, εὐκαίρως, ἀκαίρως, prædicatam ipſi-

ipſius innocentia, & vinculorum ratio, ac cauſa *manifeſta evaſerit*, h. e. agnita fuerit, per omne Prætorium, & totam Civitatem, a maximis, minimis, ſummis, infimis: annon, iterum rogo, æque ex eo duci poterat *Talis abſolutionis futuræ Collectio*, atque ex unico felicis Apologiæ actu? Inſana profecto aſſertio, & omnem modum audaciæ ſupergreſſa. Nam quod de ἀναθεωρήσει *Aulæ* hic & Cap. 2. commentatur V. A. tam falſum eſt, ut nihil falſius, tam ineptum, ut nihil ineptius fingi queat. Is enimvero erat Paulus, ut increparet alios Chriſtum prædicantes, quod nimis palam illud facerent, ſeu *in vulgus concionarentur*, ac ut ſibi metueret *ex frequenti publiceque effuſa Euangelii reſonantia*, ne hac ratione ἀναθεώρησις *Aulæ adverſus ſe excitaretur*! Immo vero ille e contrario inter effecta vel documenta *profectus Euangelii*, ex ſe & ſuis vinculis orti, refert & laudat verſu 14. quod *complures Fratrum confiſi*, & *perſuaſi ſuorum vinculorum fortuna*,

 aude-

auderent ἀφόβως καὶ περισσοτέρως, *Intrepide & Abundantius ſermonem Euangelii prædicare.* Quin ergo aliud longe erat, quod in illis æmulis reprehendebat. Nempe ἐριθείας, ἐριθείας, *Contentionis* & Rixæ ſtudium, quod multos homines ita verſat & agitat adverſus Fratres, quodque illo tempore augebat Pauli triſtitiam, & θλίψιν. Porro etiam, is ſcilicet erat Paulus, (homo plebejus, provincialis, immo Iudæus gentis deſpectiſſimæ, & inſuper reus ac vinctus) ut etiam ſi Milites agnoſcerent ejus & Euangelii innocentiam, ſibi ab eo metuere potuerit Aula ſeu Imperator, qui tot Nobiliſſimos Cives & Senatores pene quotidie tunc interimebat! Undique ſe prodit iſtius ἀναθεωρήσεως & interpretationis abſurditas, non tantum ab Aulæ Rom. rationibus aliena prorſus, ſed & Paulo ſane quam indecora, atque adeo vere a S. oraculis arcenda. Quartum & ultimum Viri διαλεκτικωτάτου argumentum ſuperiora etiam exſuperat illis conſequentiæ viribus, quas in iſtis ſuperioribus deprehendimus.

dimus. Operæ pretium erit rem cognoſcere, modo riſum teneamus Amici. Nempe *Paulus ſignificat Philippenſibus, ut rem ipſis Novam, ſucceſſum manifeſtatæ innocentiæ ſuæ*, ſeu quod *vincula ejus evaſerint manifeſta in omni Prætorio*. Ergo *certum omnino deſignat tempus, quo res ejus ſe melius cœperint habere*, ſeu *tendere* εἰς προκοπὴν εὐαγγελίȣ, ut ſunt verba Pauli. Idem hoc eſt, ac ſi quis dicat, Petrus gravi morbo afflictus nunciat Jacobo, ut rem ipſi Novam, quod cum valetudine redierit in gratiam. Ergo Jacobus neutiquam hoc ita accipere debet, ac ſi ſenſim & paulatim, ſed ac ſi prorſus unico & certo momento temporis convaluiſſe ſe Petrus ſignificarit. Porro jam ſequitur, Paulus certum *deſignat tempus, quo res ejus tendere in progreſſum Euangelii cœperint*, tantum, *quia id, ut rem Novam, ſcribit*. Ergo quod *vincula ſua* dicit *manifeſta evaſiſſe in omni Prætorio*, non niſi *de Apologia judiciali* exponendum. Ratio eſt, quod quotidiana Evangelii *prædicatio*,

quæ Paulo fuit perpetua, ut & ſtudium convertendi adeuntes ad ipſum, ſi comparetur ſcilicet cum uno *Apologiæ judicialis* actu, nullum potuit habere talem effectum εἰς προκοπὴν εὐαγγελίȣ, *in progreſſum Evangelii*, (nam de eo diſerte & unice loquitur Paulus, quum, ut rem Novam & lætam, ſcribit res ſuas meliuſcule ſe habere) ut inde *daretur occaſio nunciandi rem læti exitus*. En cor Zenodoti, en jecur Cratetis! Sed Verbum non addam. Tu Lector, necte conſequentias, & admirare ſingularem illam *Ratiocinandi artem*, quæ eſt in Viro A. præ omnibus Philologis.

Hæc vero ſunt omnia Viri A. argumenta, quibus ſe rem, quam in Indice Capitis promiſit, confeciſſe ſine hæſitatione gloriatur, adeo ut jam *verborum ſatis ſit in re manifeſta*, immo ut plane *demonſtratum ſit*, ſæpius laudata *Pauli verba ad Apologiam ejus ſpectare*. Scilicet! Sed Lectorum eſto judicium, qui ſi æqui ſunt & extra partes, mea, opinor, non am-

amplius deſiderabunt verba, ut contrarium ipſis liqueat. Quamobrem neque ea, quæ porro tradit de loco, ubi illa Pauli Apologia ſit habita, in Caſtris, an in Palatio, quicquam ad me attinere reor. Nam ſi verba Pauli, quod *vincula ejus evaſerint manifeſta in omni Prætorio, & in omnibus aliis* hominibus, non utique de unico Apologiæ judicialis actu, ſed de omni vitæ inſtituto, & quotidiana ſuæ cauſæ & Euangelii Apologia ſunt intelligenda, ut eſſe oſtendimus, mea nihil refert, nec ad meam interpretationem evertendam vel tantillum facit, ubicunque tandem Paulus fuerit auditus. Neque vero poſſumus inter nos ea de re diſputare, ſiquidem nihil ejus eſt memoriæ proditum. Potuit ſane in Aula, atque ejus promiſcua ſeu quacunque parte, ab ipſo Imperatore, ſi ita ei videretur: potuit & in Caſtris a Præfecto prætorii eſſe auditus: & hoc tanto magis, quoniam haud dubie privatim ſolummodo fuit auditus & examinatus, ut pag. 375. &c. probare ſtuduimus. Quo pacto evaneſcit etiam illa *monſtri* ſpe-

cies, quam V. A. imaginatur. Quamvis tamen illa ne quidem Publico huic judicio magis obduci poſſet; quam ei; quod Claudius de adulterio, & adulteris Vxoris ſuæ in Caſtris iisdem exercuit; de quo deinceps. Voluit autem Vir A. Lectorem hujus Capitis cum inani atque inepta prorſus cavillatione dimittere. Tradideram in Diſſert. II. §. 49. provinciales quoque in Caſtris auditos videri, ſicuti alios certe iſtic auditos & judicatos docueram §. 34. & 36. & infra uberius exſequar. Id autem collegeram per probabile ex eo, quod etiam illi iſtic præcipue cuſtoditi fuerint. Heic] vero V. A. oportunam cavillandi occaſionem ſe nactum ratus, ait: Atqui Paulus a Milite in Vrbe ipſa cuſtoditus fuit; Ergo in Vrbe quoque auditus eſt, non in Caſtris. Quaſi aut Paulus in Carcere vel ordinario Cuſtodiæ loco fuiſſet cuſtoditus; aut mea verba ita ſtricte eſſent accipienda, ut ſemper iſtic loci audiri deberent rei, ubi quacunque cuſtodia ſervabantur. Quod ſi ita, vel ſic tamen

men] non magis auditus fuiſſet Paulus in Palatio, quam in Caſtris, ſed ἐν ἰδίῳ μισθώματι, *in ſuo conducto domicilio.* Nam *in Prætorio AUDITUM ſe*, ut falſo affirmatur, nuſquam ſane ſcripſit. Sed neque ſcimus, ubi proprie in ampliſſima illa Vrbe habitaverit Paulus, utrum propius Palatium, an propius Caſtra, quæ erant in ipſo ſuburbio, proxime mœnia Vrbis, erantque ordinarius & ſolennis prætorianæ ſeu militaris cuſtodiæ locus, in quo proinde ſervatus fuit Agrippa, & haud dubie etiam illi, qui una cum Paulo ex Iudæa miſſi, & Præfecto prætorii traditi ſunt. Certe Hieronymus id ſignificare videtur, dum in vertendo hoc loco, ut vidi in antiquiſſimo Bibliothecæ Franequeranæ MSto, diſerte addit *Foras Extra Caſtra. Paulo*, inquit, *permiſſum eſt manere ſibimet foras extra Caſtra, cum cuſtodiente ſe milite.* Quaſi vellet dicere, ceteroquin eum, more talium vinctorum, in Caſtris ſervandum etiam fuiſſe, & vel ſic aliquo modo ad Caſtrenſem tamen cuſtodiam pertinuiſſe. Ut ut

 ſit,

ſit, nemo non videt, meam illam collectionem ductam, non ex qualicunque, aut Libero, ſed ex Ordinario & Vſitato cuſtodiæ Loco. Qui etiam in Vrbe ipſa erat iſtic, ubi judicia Capitalia exercebantur, & ſupplicia olim ſumebantur, h. e. ad Forum, & Curiam. Liv. I. 33. *Carcer ad terrorem increſcentis audaciæ media Vrbe, imminens FORO, ædificatur* ab Anco ſcil. Marcio. Quum ergo Agrippa, homo provincialis, & Vinctus non Populi, verum Cæſaris, clariſſime, ſed & obiter, tanquam uſitata re, ſignificetur a Ioſepho cuſtoditus in Caſtris Prætoriis, quidni inde colligam, vinctos Cæſarum iſtic quoque, ſaltem a Præfectis fuiſſe auditos examinatos, & judicatos, potius, vel ſaltem æque, ac per mediam Vrbem inde in Palatium triſti ſpectaculo quotidie tractos. Ex Paulina vero cuſtodia, quæ longe alia fuit & liberior, nihil certi hac in parte pro Vrbe, aut Palatio, aut Caſtris elici poteſt. Sed tædium me capit tam inſulſis & putidis cavillationibus reſpondendi, atque immorandi.

Cap. V.

1. *Non videri certum eſſe, militem Pauli cuſtodem fuiſſe Prætorianum, & quid hoc momenti ad præſentem diſputationem habeat.*

1. S*i an Prætorium in urbe, nomen aut domus vel pars ejus fuerit, deinde curabimus. Nunc quæ in hiſtoria ſe præbeant argumenta pro novo ſenſu, porro videamus. Paulum innocentiam ſuam, de qua gratulabundus loquitur Philippenſibus, approbaſſe Prætorio, id eſt,* militibus Prætorianis, *ita demonſtrat Vir Cl.* pag. 261. diſſertat. poſterioris. Et præcipuum eſt, Paulum a milite Prætoriano cuſtoditum, eoſque milites hujuſmodi cuſtodiis in urbe R. præfuiſſe. *Id a me in univerſum non erat negatum, ut Vir Cl. ait,* me nimio & fere miſero adverſandi ſtudio feciſſe. *Sed hunc militem fuiſſe Prætorianum non videri indubitatum, ita conjeceram: atque ita a me ſcriptum fuit hac de re; Primo non puto certum eſſe, militem Pauli cuſtodem, fuiſſe prætorianum: ma-*

 gis

gis eſt, ut de Iulii centuria Legionis Auguſtæ fuiſſe videatur, qui Paulum in itinere cum eo colligatus, ut moris erat, cuſtodierat: Indulgenter enim Paulus & a Centurione Iulio & a Burrho Præfecto habitus & acceptus eſt. cum reliqui vincti traderentur in cuſtodiam, Παύλῳ ἐπετράπη μένειν καθ' ἑαυτὸν σὺν τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ. Permiſſum ei eſt, habitare ſeorſim, cum eo milite, qui illum cuſtodiebat. *Demonſtratur miles jam cuſtodiæ ejus adhibitus; alioqui dictum foret*, Et miles ad cuſtodiam ei adjunctus eſt à *Præfecto Prætorio: Sed Præfectus Paulum in* ſtatu quo, *ut dicimus, reliquit, militem ejus conſuetudini adſuetum juxta eum reliuquens.* Act. ult. ỷ. 16. *Atqui tum perierit familiaritas militum Prætorianorum cum Paulo, cujus ille miles cuſtos, fuerit pararius & conciliator. Eam vero, ſi maxime fuit ille miles, prætorianus, occaſionem comparet, ſi cui vacat, cum illa priori* ὁρμῇ, *quæ fuit ab apologia Pauli publice in Prætorio Pala-*

la-

latino habitâ, quam commemoravimus: hactenus antea. Parum in hac re momenti collocavimus: Et tamen ſi tam miſera eſt hac parte contradictio, miror Virum acutiſſ. nullo verbo miſeriam argumenti e verbis Lucæ a me petiti, attigiſſe, σὺν τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ; *quæ certum militem jam cuſtodiæ Pauli adhibitum notent. Ille contrarium apud omnes, ait Interpretes haberi; Quinam illi omnes, cum nemo laudetur? Atqui Belgæ pro meo ſenſu vertunt, ut debet verti,* **met den Krijgsknecht / die hem bewaerde.** *Sic etiam Diodatus,* col Soldato che le guardava. *Latini vim articuli exprimere non poſſunt; nec enim quod a me poſitum eſt,* Eo milite, *tam verſionis eſt, quam expoſitionis. Quare etſi non negamus, plerumque milites Prætorianos a Præfecto Prætorii cuſtodiis captivorum fuiſſe adhibitos Romæ, nihil tamen inſolens ſuſpicari, imo adſerere videmur, Paulum impetraſſe a Iulio Centurione ſibi addicto, ut is ſe Burrho præfecto commendaret, quo*

nec

nec carceri nec ignotis militibus committeretur, ſed ut habitare ſibi liceret καθ' ἑαυτὸν, *cum milite* τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν, jam cuſtodiæ ejus admoto, *jam forte converſo, certe vitæ a Paulo ſibi ſervatæ factorumque in itinere miraculorum & ejus innocentiæ conſcio, qui congreſſus Pauli & excercitationes domeſticas non gravaretur; qui permitteret eum domi* κηρύσσειν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, καὶ διδάσκειν τὰ περὶ κυρίου Ιησοῦ Χριστοῦ μετὰ παῤῥησίας ἀκολύτως. Prædicare regnum Dei, & docere res Domini Jeſu Chriſti, cum omn libertate dicendi, ſine impedimento, *ut fecit adſiduus domi* d. c. ult. in fin. *quod rudis e Caſtris miles eadem catena Paulo alligatus minime ſuſtineret. Hoc Paulo proviſum cauſam ei juſtiſſimam dedit præparandi libertatem illam petendique, liceret ſibi militem* τὸν φυλάσσοντα αὐτὸν *retinere. Sed ait Vir Cl. Nulla mentio talis militis cuſtodis, apud Lucam in itinere. Imò hic fit, inter poſtacta licet. Initio captivi dicuntur omnes Julio Centurioni eſſe*

tra-

traditi, ſine ullo milite cap. 27. in pr. *qui tamen deinceps, ſed obiter, commemorantur. Notum eſt, Paulum ſe* δέσμιον vinctum *Chriſti appellare ab illo milite cuſtode, cui alligatus erat. quod nec Vir Cl. ipſe negat: Atqui* δέσμιος, *captivus fuit, antequam veniret Romam. Quin ſi hic domi, imo ſi Petrus in carcere militibus alligatus fuerit,* Actor. 12. *quis dubitet, captivos in itinere, ubi tanta effugiendi facilitas, cum & aliquando Paulus ſecederet, ut Sidone fecit, ſingulos habuiſſe cuſtodes ſuos, licet a Luca ſuperfluæ mentionis, qui vulgò notiſſimi erant, habitos, ſeroque & obiter deſignatos? Sed inſtat Vir Cl.* Non ſolebant Romani milites ſingulares a ſignis ſuis avocatos ſine juſtis cauſis alibi tenere, *citatque Trajani dictum ad Plinium,* quam pauciſſimos milites a ſignis avocandos eſſe Ep. 30. *Sed in eadem epiſtola traditur, in Bithynia fuiſſe morem peculiarem, ſervos publicos captivis adhibere cuſtodiendis, non milites, ut alibi moris erat. Conſulit Cæ-*

ſa-

*ſarem Plinius; utrum ſecuturus ſit morem loci, an aliarum provinciarum, militibus adhibendis. Reſpondet Trajanus: ſervandam eſſe provinciæ conſuetudinem, & reddit rationem ſupra dictam. In aliis igitur Provinciis fiebat, quod in Bithynia vetat fieri, milites ut a ſignis avocarentur ad cuſtodiendos promiſcue omnes captivos, non minus diu ſæpe quam cuſtos Pauli abfuit; eratque hæc juſta ratio in univerſum. Quid novi, ſi Paulo indultum ſit, ut unum a ſignis remotum militem, quando ſatis conſtat eum præcipuo jure fuiſſe habitum, retinere liceret, ad uſum militaribus operis ſuetum? præſertim, quia non in Caſtris Prætorianis, nec in Palatio; ubi ſtatio Prætoria, ſed in urbe collocatus erat Paulus; quod tenendum ad no*tabile prorſus exemplum *Regis Agrippæ, qui cum in Caſtris Prætorianis cuſtodiretur, non potuit alios quam Prætorianos habere cuſtodes, ut Vir Cl. ſicut omnia, prolixe refert* pag. poſt. diſſ. 263. *quod ideo nihil obſtat huic negotio.*

RE-

RESPONSIO
ad Cap. V.

VT oſtenderem, veram & unicam *Prætorii* Vrbani ſignificationem minime eſſe alienam ab Hiſtoria Paulina & controverſi loci contextu, docui ex Actis, Paulum una cum reliquis δεσμίοις ex Iudæa miſſis, fuiſſe Romæ Præfecto *Prætorii* traditum, & ab eo in militari *Prætorianorum* militum cuſtodia habitum: atque ita occaſionem illi ſatis amplam eveniſſe, per quam *vincula ejus evaderent manifeſta in omni Prætorio.* Id vero viſum quoque fuit Viro A. refellere, ſeu negare, aſſerendo, Aliquem potius ex Iudæa & Iulii centuria, quæ vinctos Romam deportaverat, Militem, fuiſſe Pauli in Vrbe Roma cuſtodem, ſeu *Præfectum prætorii reliquiſſe* illum ex aliena provincia & legione *Militem juxta Paulum*, eadem catena cum illo vinctum. Hoc autem, quia

cies, quam V. A. imaginatur. Quamvis tamen illa ne quidem Publico huic judicio magis obduci poſſet; quam ei, quod Claudius de adulterio, & adulteris Vxoris ſuæ in Caſtris iisdem exercuit, de quo deinceps. Voluit autem Vir A. Lectorem hujus Capitis cum inani atque inepta prorſus cavillatione dimittere. Tradideram in Differt. II. §. 49. provinciales quoque in Caſtris auditos videri, ſicuti alios certe iſtic auditos & judicatos docueram §. 34. & 36. & infra uberius exſequar. Id autem collegeram per probabile ex eo, quod etiam illi iſtic præcipue cuſtoditi fuerint. Heic vero V. A. oportunam cavillandi occaſionem ſe nactum ratus, ait: Atqui Paulus a Milite in Vrbe ipſa cuſtoditus fuit, Ergo in Vrbe quoque auditus eſt, non in Caſtris. Quaſi aut Paulus in Carcere vel ordinario Cuſtodiæ loco fuiſſet cuſtoditus, aut mea verba ita ſtricte eſſent accipienda, ut ſemper iſtic loci audiri deberent rei, ubi quacunque cuſtodia ſervabantur. Quod ſi ita, vel ſic tamen

men

men] non magis auditus fuiſſet Paulus in Palatio, quam in Caſtris, ſed ἐν ἰδίῳ μισθώματι, *in ſuo conducto domicilio*. Nam *in Prætorio AVDITVM ſe*, ut falſo affirmatur, nuſquam ſane ſcripſit. Sed neque ſcimus, ubi proprie in ampliſſima illa Vrbe habitaverit Paulus, utrum propius Palatium, an propius Caſtra, quæ erant in ipſo ſuburbio, proxime mœnia Vrbis, erantque ordinarius & ſolennis prætorianæ ſeu militaris cuſtodiæ locus, in quo proinde ſervatus fuit Agrippa, & haud dubie etiam illi, qui una cum Paulo ex Iudæa miſſi, & Præfecto prætorii traditi ſunt. Certe Hieronymus id ſignificare videtur, dum in vertendo hoc loco, ut vidi in antiquiſſimo Bibliothecæ Franequeranæ MSto, diſerte addit *Foras Extra Caſtra. Paulo*, inquit, *permiſſum eſt manere ſibimet foras extra Caſtra, cum cuſtodiente ſe milite*. Quaſi vellet dicere, ceteroquin eum, more talium vinctorum, in Caſtris ſervandum etiam fuiſſe, & vel ſic aliquo modo ad Caſtrenſem tamen cuſtodiam pertinuiſſe. Ut ut

ſit, nemo non videt, meam illam collectionem ductam, non ex qualicunque, aut Libero, ſed ex Ordinario & Vſitato cuſtodiæ Loco. Qui etiam in Vrbe ipſa erat iſtic, ubi judicia Capitalia exercebantur, & ſupplicia olim ſumebantur, h. e. ad Forum, & Curiam. Liv. I. 33. *Carcer ad terrorem increſcentis audaciæ media Vrbe, imminens FORO, ædificatur* ab Anco ſcil. Marcio. Quum ergo Agrippa, homo provincialis, & Vinctus non Populi, verum Cæſaris, clariſſime, ſed & obiter, tanquam uſitata re, ſignificetur a Ioſepho cuſtoditus in Caſtris Prætoriis, quidni inde colligam, vinctos Cæſarum iſtic quoque, ſaltem a Præfectis fuiſſe auditos examinatos, & judicatos, potius, vel ſaltem æque, ac per mediam Vrbem inde in Palatium triſti ſpectaculo quotidie tractos. Ex Paulina vero cuſtodia, quæ longe alia fuit & liberior, nihil certi hac in parte pro Vrbe, aut Palatio, aut Caſtris elici poteſt. Sed tædium me capit tam inſulſis & putidis cavillationibus respondendi, atque immorandi.

Cap. V.

1. *Non videri certum eſſe, militem Pauli cuſtodem fuiſſe Prætorianum, & quid hoc momenti ad præſentem diſputationem habeat.*

1. *Si an Prætorium in urbe, nomen aut domus vel pars ejus fuerit, deinde curabimus. Nunc quæ in hiſtoria ſe præbeant argumenta pro novo ſenſu, porro videamus. Paulum innocentiam ſuam, de qua gratulabundus loquitur Philippenſibus, approbaſſe Prætorio, id eſt,* militibus Prætorianis, *ita demonſtrat Vir Cl.* pag. 261. diſſertat. poſterioris. Et præcipuum eſt, Paulum a milite Prætoriano cuſtoditum, eoſque milites hujuſmodi cuſtodiis in urbe R. præfuiſſe. *Id a me in univerſum non erat negatum, ut Vir Cl. ait,* me nimio & fere miſero adverſandi ſtudio feciſſe. *Sed hunc militem fuiſſe Prætorianum non videri indubitatum, ita conjeceram: atque ita a me ſcriptum fuit hac de re; Primo non puto certum eſſe, militem Pauli cuſtodem, fuiſſe prætorianum: magis*

gis eſt, ut de Iulii centuria Legionis Auguſtæ fuiſſe videatur, qui Paulum in itinere cum eo colligatus, ut moris erat, cuſtodierat. Indulgenter enim Paulus & a Centurione Iulio & a Burrho Præfecto habitus & acceptus eſt. cum reliqui vincti traderentur in cuſtodiam, Παύλῳ ἐπετράπη μένειν καθ' ἑαυτὸν σὺν τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ. Permiſſum ei eſt, habitare ſeorſim, cum eo milite, qui illum cuſtodiebat. *Demonſtratur miles jam cuſtodiæ ejus adhibitus; alioqui dictum foret*, Et miles ad cuſtodiam ei adjunctus eſt à *Præfecto Prætorio: Sed Præfectus Paulum in* ſtatu quo, *ut dicimus, reliquit, militem ejus conſuetudini adſuetum juxta eum relinquens.* Act. ult. ℣. 16. *Atqui tum perierit familiaritas militum Prætorianorum cum Paulo, cujus ille miles cuſtos, fuerit pararius & conciliator. Eam vero, ſi maxime fuit ille miles, prætorianus, occaſionem comparet, ſi cui vacat, cum illa priori* ὁρμῇ, *quæ fuit ab apologia Pauli publice in Prætorio Pala-*

latino habitâ, quam commemoravimus: hactenus antea. Parum in hac re momenti collocavimus: Et tamen ſi tam miſera eſt hac parte contradictio, miror Virum acutiſſ. nullo verbo miſeriam argumenti e verbis Lucæ a me petiti, attigiſſe, σὺν τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ; *quæ certum militem jam cuſtodiæ Pauli adhibitum notent. Ille contrarium apud omnes, ait Interpretes haberi; Quinam illi omnes, cum nemo laudetur? Atqui Belgæ pro meo ſenſu vertunt, ut debet verti*, **met den Krijgsknecht / die hem bewaerde.** *Sic etiam Diodatus*, col Soldato che le guardava. *Latini vim articuli exprimere non poſſunt; nec enim quod a me poſitum eſt*, Eo milite, *tam verſionis eſt, quam expoſitionis. Quare etſi non negamus, plerumque milites Prætorianos a Præfecto Prætorii cuſtodiis captivorum fuiſſe adhibitos Romæ, nihil tamen inſolens ſuſpicari, imo adſerere videmur, Paulum impetraſſe a Iulio Centurione ſibi addicto, ut is ſe Burrho præfecto commendaret, quo nec*

nec carceri nec ignotis militibus committeretur, ſed ut habitare ſibi liceret καθ' ἑαυτὸν, *cum milite* τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν, jam cuſtodiæ ejus admoto, *jam forte converſo, certe vitæ a Paulo ſibi ſervatæ factorumque in itinere miraculorum & ejus innocentiæ conſcio, qui congreſſus Pauli & excercitationes domeſticas non gravaretur; qui permitteret eum domi* κηρύσσειν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, καὶ διδάσκειν τὰ περὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ παῤῥησίας ἀκωλύτως. Prædicare regnum Dei, & docere res Domini Jeſu Chriſti, cum omn libertate dicendi, ſine impedimento, *ut fecit adſiduus domi* d. c. ult. in fin. *quod rudis e Caſtris miles eadem catena Paulo alligatus minime ſuſtineret. Hoc Paulo proviſum cauſam ei juſtiſſimam dedit præparandi libertatem illam petendique, liceret ſibi militem* τὸν φυλάσσοντα αὐτὸν *retinere. Sed ait Vir Cl. Nulla mentio talis militis cuſtodis, apud Lucam in itinere. Imò hic fit, inter poſtacta licet. Initio captivi dicuntur omnes Julio Centurioni eſſe tra-*

traditi, *ſine ullo milite* cap. 27. in pr. *qui tamen deinceps*, *ſed obiter*, *commemorantur*. *Notum eſt*, *Paulum ſe* δέσμιον vinctum *Chriſti appellare ab illo milite cuſtode*, *cui alligatus erat*. *quod nec Vir Cl. ipſe negat*: *Atqui* δέσμιος, *captivus fuit*, *antequam veniret Romam*. *Quin ſi hic domi*, *imo ſi Petrus in carcere militibus alligatus fuerit*, Actor. 12. *quis dubitet*, *captivos in itinere*, *ubi tanta effugiendi facilitas*, *cum & aliquando Paulus ſecederet*, *ut Sidone fecit*, *ſingulos habuiſſe cuſtodes ſuos*, *licet a Luca ſuperfluæ mentionis*, *qui vulgò notiſſimi erant*, *habitos*, *ſeroque & obiter deſignatos*? *Sed inſtat Vir Cl.* Non ſolebant Romani milites ſingulares a ſignis ſuis avocatos ſine juſtis cauſis alibi tenere, *citatque Trajani dictum ad Plinium*, quam pauciſſimos milites a ſignis avocandos eſſe Ep. 30. *Sed in eadem epiſtola traditur*, *in Bithynia fuiſſe morem peculiarem*, *ſervos publicos captivis adhibere cuſtodiendis*, *non milites*, *ut alibi moris erat*. *Conſulit Cæ-*
ſa-

*ſarem Plinius, utrum ſecuturus ſit morem loci, an aliarum provinciarum, militibus adhibendis. Reſpondet Trajanus: ſervandam eſſe provinciæ conſuetudinem, & reddit rationem ſupra dictam. In aliis igitur Provinciis fiebat; quod in Bithynia vetat fieri, milites ut a ſignis avocarentur ad cuſtodiendos promiſcue omnes captivos, non minus diu ſæpe quam cuſtos Pauli abfuit; eratque hæc juſta ratio in univerſum. Quid novi, ſi Paulo indultum ſit, ut unum a ſignis remotum militem, quando ſatis conſtat eum præcipuo jure fuiſſe habitum, retinere liceret, ad uſum militaribus operis ſuetum? præſertim, quia non in Caſtris Prætorianis, nec in Palatio, ubi ſtatio Prætoria, ſed in urbe collocatus erat Paulus; quod tenendum ad no*tabile prorſus exemplum *Regis Agrippæ, qui cum in Caſtris Prætorianis cuſtodiretur, non potuit alios quam Prætorianos habere cuſtodes, ut Vir Cl. ſicut omnia, prolixe refert* pag. poſt. diſſ. 263. *quod ideo nihil obſtat huic negotio.*

RE-

RESPONSIO
ad Cap. V.

VT oſtenderem, veram & unicam *Prætorii* Vrbani ſignificationem minime eſſe alienam ab Hiſtoria Paulina & controverſi loci contextu, docui ex Actis, Paulum una cum reliquis δεσμίοις ex Iudæa miſſis, fuiſſe Romæ Præfecto *Prætorii* traditum, & ab eo in militari *Prætorianorum* militum cuſtodia habitum: atque ita occaſionem illi ſatis amplam eveniſſe, per quam *vincula ejus evaderent manifeſta in omni Prætorio.* Id vero viſum quoque fuit Viro A. refellere, ſeu negare, aſſerendo, Aliquem potius ex Iudæa & Iulii centuria, quæ vinctos Romam deportaverat, Militem, fuiſſe Pauli in Vrbe Roma cuſtodem, ſeu *Præfectum prætorii reliquiſſe* illum ex aliena provincia & legione *Militem juxta Paulum*, eadem catena cum illo vinctum. Hoc autem, quia

quia abſurdum plane eſt, & inauditum prorſus, atque ab omni Militiæ Romanæ ratione abhorrens, ſcripſi in Diſſ. II. commentum eſſe Virum A. adverſus me, *nimio & pene miſero adverſandi ſtudio.* Nec enim id unquam illi antea in mentem veniſſe, aut venturum fuiſſe, niſi meam de *Prætorio* ſententiam ſuſcepiſſet omni ex parte refutandam, exiſtimare poteram. Neque vero temere ita me locutum atque etiamnum opinari, vel ex eo colligi poteſt, quod ipſe heic *non in univerſum a ſe negatum* eſſe, immo etiamnum *non negare* ſe dicat, *plerumque Milites Prætorianos a Præfecto prætorii cuſtodiis captivorum fuiſſe adhibitos Romæ.* Haudquaquàm enim ita loqueretur, quum tantopere ceteroquin in omnibus cauſæ ſuæ ſerviat, niſi prorſus ejus rei, quam concedit, eſſet apud ſe convictus. Et tamen vel ſic ſubjungere non veretur, *Nihil INSOLENS ſe ſuſpicari, immo ASSERERE*, Pauli cuſtodiæ adhibitum a Præfecto Prætorii, non Prætorianum

Mi-

Militem, ſed Legionarium illum ex provincia. Credes haud dubie, Lector, quia *nihil inſolens ſe aſſerere* dicit, exempla aliquot, vel ſaltem Vnum, ad illud *non inſolens* probandum, ab eo adferri. Sed cave tale quid exſpectes. Nam in ea jam eſt poſſeſſione Vir A. ut, quando ipſe quid ſimpliciter affirmat, licet contra omnem antiquitatis Vſum & Rationem, quando Αὐτὸς ἔφα, id nobis in re dubia etiam ſine ullis exemplis, aut documentis ſufficere debeat, ut quid pro vero habeamus. Incaſſum etiam deſiderares, quod nunquam dari a quoquam, aut proferri poterit. Certe Ego affirmare non vereor, nullum in omni Romanorum Hiſtoria repertum iri exemplum Militis ex provincia à Legione ſua abducti & retenti Romæ, ſolummodo ut Vinctum aliquem ſervaret, idque eo tempore, quo in Vrbe jam erant tot millia Prætorianorum Militum, qui *plerumque* iſtic, ut ipſe A. Vir fatetur, immo, ut Ego dicerem, ſemper & unice militaribus Vinctorum cuſtodiis fuerunt adhibiti. Quapropter quum

 hoc,

hoc, quod meæ eſt ſententiæ, in more fuerit poſitum apud Romanos etiam ſecundum confeſſionem A. Viri, ipſius contra *aſſertio* nullo prorſus probetur exemplo, immo talis vere ſit, ut nunquam cuiquam alteri in mentem venerit, tui eſto arbitrii, Lector, cui accedas; Vtrum ſtatuas mecum & cum aliis, ex uſitato Romanis more, Militem illum, qui Paulum in Vrbe cuſtodiit, & qui memoratur in eodem verſu, in quo & *Vincti* dicuntur *traditi Præfecto prætorii*, fuiſſe Prætorianum: an vero cum Viro A. fuiſſe Legionarium ex longinqua adeo provincia ſine ulla neceſſitate Romæ tam procul a ſignis retentum.

Sed ne judicium tuum occupare velle videamur ante juſtam cauſæ dictionem atque enarrationem, excutiemus nunc ſane Viri A. argumentum, quo unico fuit uſus, & quod me nullo verbo attigiſſe miratur. Fateor equidem habuiſſe me tunc ſatis, ſi meam confirmarem ſententiam, partim quod jam ſic ſatis prolixus fueram, partim quod nihil

nihil in eo argumento ineſſe arbitrabar, quod refutationem ullam mereretur. Atque idcirco nullum Græcæ Linguæ gnarum haud facili negotio perſpecturum exiſtimabam, quanta illud laboraret imbecillitate, ſeu quam nihili revera eſſet. Conſiſtit omnis ejus vis in particula τῷ, *quam* V. A. queritur *Latinos exprimere non poſſe.* Ea vero deſignari putat *Militem, qui jam ante Pauli cuſtodiæ in itinere adhibitus fuerit.* Nam, ait, ſi a Præfecto prætorii alius Paulo fuiſſet additus, non ita ſimpliciter & obiter dictum fuiſſet a Luca, *Paulo permiſſum eſſe, ut habitaret ſeorſim cum cuſtodiente eum milite*, ſed ex profeſſo *dictum foret, Et miles ei a Præfecto prætorii ad cuſtodiam additus eſt.* Tu vero, mi Lector, vide, quam iniqua mecum conditione agat & diſputet Vir A. Non vult illis verbis, *cum Cuſtodiente eum Milite*, intelligi militem Prætorianum; quia non dictum fuit antea ex profeſſo, *Militem a Præfecto prætorii eſſe Paulo additum*, licet paulo

 ante

ante dictum ſit, Vinctos omnes eſſe *Præfecto traditos.* Idem vero jubet iis intelligi Legionarium militem ex Centuria Iulii, qui proprie Paulum in itinere cuſtodierit, licet nec illius militis Paulo a Centurione additi ulla uſquam in toto itinere, neque ex profeſſo, neque obiter, facta fuerit mentio. Id quod jam in Diſſert II. notavi, non quod ſentirem, Paulum non habuiſſe in itinere aliquem ex Militibus cuſtodiæ gratia ei additum & alligatum, ſed ut monerem, nihil neque ex Viri A. interpretatione in ſuperioribus, aut in tam accurata ceteroquin iſtius itineris deſcriptione occurrere, quo referri poſſit illa, quam adeo urget, vis particulæ τῷ, aut *militis cuſtodientis* obiter heic facta memoratio. Operæ pretium eſt, ut cognoſcamus, quid huic Animadverſioni reſpondeat. *Immo hic fit*, inquit (*mentio talis Militis Cuſtodis*) *inter poſtacta licet.* At ſi ſufficit, inter *poſtacta* demum & obiter memorari talem militem, ut intelligatur Legionarius, qui Paulo in itinere

nere additus fuerit a Centurione Iulio; licet nuſquam antea nominatus, qua quæſo ratione minus id ſufficit ad intelligendum Prætorianum; Vinctis ex more Romanorum a Præfecto prætorii, in cujus tum poteſtate erat Paulus, addi ſolitum? Iniquiſſima profecto eſt hæc Viri A. Dialectica, quippe ſecundum quam ſibi largitur, quæ mihi negat; mihi negat, quæ ſibi ſumit. Liquet autem ex his omnibus, quomodocunque capias hæc verba, intelligi Militem, qui in ſuperioribus non fuit nominatus: & proinde D. Lucam nullam talem vim cum Viro A. ponere iſtic in illa particula τῷ; neque duxiſſe neceſſarium, ut antequam obiter hunc Militem Cuſtodem memoraret, ex profeſſo prius diceret: *Et miles ei ad cuſtodiam additus eſt.* Sed neque aliis Scriptoribus iſta ſcribendi ratio ſervata ſemper fuit, ut qui ſæpiſſime circumſtantias alicujus Hiſtoriæ per occaſionem, & obiter, & alienioribus aliquando locis memorant, quas, ubi proprius erat eas referendi locus, neu-

tiquam ex profeſſo, immo prorſus nuſquam antea expoſuerant, tanquam ſi de induſtria & brevitatis ſtudio eas antea prætermiſiſſent, ac vellent ex narratione poſteriorum, per occaſionem illic exorituram, intelligi demum & cognoſci. Quam plurima ejus rei exempla ex uno Livio protuli & illuſtravi in Capite IV. *Animadverſionum Hiſtoricarum*. Neque caret talibus ipſa Scriptura Sacra. Hujuſmodi enim eſt, quod in priore Samuelis libro cap. VII. ſæpiuſcule mentio fit non tantum *hæmorrhoidum*, quibus affligebantur Philiſtæi, quum Arca Dei ab ipſis capta eſſet & abducta, ſed & *murium*, a qpibus eadem ex cauſa corrumpebatur terra ipſorum, quorum proinde illi, æque ac hæmorrhoidum, imagines quinque aureas pariter cum Arca ad Iſraelitas remiſerint. Nam in ſuperiori Capite, ubi ex profeſſo & Hiſtorice refertur, quid evenerit Philiſtæis propter abductam & triumphatam Dei Iſraelis Arcam, nihil prorſus de iſtis *muribus*, qui terram eo-

eorum corruperint, reperitur. Verum Ego heic potius exemplum aliud, hiſce Lucæ verbis ſimilius, ex hoc ipſo ejus Libro adferam. Etenim narrat Lucas cap. XXI. quomodo Paulum invaſerint & occidere ſtuduerint Iudæi, Tribunus vero militum eripuerit, ſed qui, quoniam ex aliis per tumultum cognoſcere non poterat, quid cauſæ aut criminis eſſet in Paulo, dicitur ſimpliciter juſſiſſe XXII. 24. ut deduceretur Paulus in Caſtra, atque iſtic flagris ex eo in rem inquireretur. At vero dein, quum jam diſtento corpore, tormentis & verberibus ſubjectus eſſet, rogaſſe traditur Paulus verſu 25. τὸν ἑστῶτα ἑκατόνταρχον, an liceret ita Civem Romanum & indemnatum verberare. Exemplum, ni fallor, prorſus ſimile huic noſtro. Vtraque enim Hiſtoria breviter refertur, ſed in enarranda ea additur obiter circumſtantia quædam, quæ antea ex profeſſo non fuerat tradita. Tribunus ſimpliciter dicitur jubere, ut Paulus flagris cædatur. Similiter & Præfectus prætorii Paulo

permittere, ut habitet extra Caſtrum Prætorium. Sed reperitur deinceps in illa quidem Hiſtoria, Centurionem adfuiſſe vel præfuiſſe hiſce Pauli verberibus, licet quod a Tribuno illis additus aut præpoſitus fuerit, nuſquam reperiatur: in hac vero, adfuiſſe Paulo in illa habitatione Militem Cuſtodem, licet nuſquam etiam ſcriptum ſit, hunc Militem illi a Præfecto, cui traditus fuerat, additum. Sicuti autem abſurdus foret, qui ex eo, quod Centurio iſte non diſerte legitur præpoſitus fuiſſe Pauli verberibus a Tribuno, concludere velit, neutiquam ergo hanc curam illum ſuſtinuiſſe; ſed potius iis verberibus forte fortuna interfuiſſe; Sic æque abſurdus eſt, qui, quoniam non diſerte item traditum fuit, Prætorianum Militem a Præfecto prætorii ad cuſtodiam Paulo adjunctum, contendit ideo, Militem, qui *Paulum cuſtodire* legitur in eodem verſu, ubi omnes Vincti Præfecto prætorii dicuntur a Centurione traditi, non fuiſſe a Præfecto ex prætorianis Militibus, ut ſolet, additum

tum Paulo, ſed potius illum, qui in itinere Paulum cuſtodierit, antequam traderetur Præfecto, fuiſſe penes eum Romæ quoque relictum, quamvis neque hujus Militis ulla in ſuperioribus oſtendi queat mentio, neque ullum ſimile hujus rei habeatur exemplum, immo neque negari poſſit, Paulum Præfecto prætorii a Centurione traditum, & *milites Prætorianos a Præfecto ſuo plerumque cuſtodiis captivorum adhibitos.* Quamplurima alia ejuſdem generis occurrunt paſſim exempla, quibus referendis & explicandis immorari nolumus. Et erunt forſan, qui putent, non tam in Articulo, ut vult Vir A. quam in Tempore Participii, τῷ φυλάσσοντι, eſſe quid præſidii poſitum ipſius argumento, ut quo videatur ſignificari Miles, qui jam illo tempore erat *Paulum cuſtodiens*, φυλάσσων αὐτὸν. At vero nihil prorſus neque inde juſta ratione confici aut exprimi poſſe in hanc partem, certiſſimum eſt. Conſtat enim & multis exemplis ad Sanctii Minervam pro-

bavimus, Præſens Participii, ac Infiniti, immo omne Præſens ſæpiſſime in aliqua Futuri ſignificatione a Græcis pariter & Latinis poni. Clariſſimum heic dabimus ex Ioannis XIII. 11. ubi de Chriſto dicitur, ᾔδει γὰρ τὸν παραδιδόντα αὐτὸν, h. e. *noverat enim, qui eum proditurus eſſet*, qui jam proditionem ejus meditaretur. Et aliud ex Plauto Menæch. II. 3. *Herus me emit dicto audientem, non imperantem ſibi*, quod non aliter ab omnibus exponitur, quam, Herus me emit, qui ſibi dicto eſſem audiens, non imperans: Plane quemadmodum Beza hunc locum reddidit, *Permiſſum eſt Paulo, ut habitaret ſeorſim cum Milite, qui ipſum CUSTODIRET*. Sed neque illa ratione, aut Verſione, licet ceteroqui ſatis congrua, heic opus eſt, quum ſimpliciter hæc verba, *Permiſſum eſt Paulo habitare ſeorſim cum Milite eum cuſtodiente*, accipere poſſimus, tanquam ſi dictum foret, *cum Milite Cuſtode*, qualis utique Pauli propriæ habitationi ab ipſo initio veluti adjunctus fuit,

&

& perpetuus Pauli in illa habitatione, ſimulac is ea potuit uti, cuſtos fuit *Cuſtodiens eum.* Præterea ſcripſit hunc Actorum Librum Lucas, quum Paulus Romæ jam haberet talem ex Militibus Cuſtodem, ſed & haud dubie, antequam Paulus ex illa cuſtodia dimitteretur. Nam ceteroquin Hiſtoriæ Paulinæ ſine ullo dubio addidiſſet aliquam ejus dimiſſionis mentionem. Iam vero, quum itaque Paulus adhucdum in militari illa cuſtodia fuerit, quando ſcribebat hæc Lucas, conſequens eſt, ut hæc verba præſens illud tempus, quo ſcripta ſunt, reſpiciant potiſſimum, atque idcirco vertenda ſint, *permiſſum eſt Paulo habitare ſeorſim cum Milite illo, qui eum cuſtodit*, ſcil. non modo omni illo tempore, quo ita ſeorſim habitavit Romæ, ſed etiam nunc hoc ipſo tempore, quo hæc ſcribuntur.

Manifeſtum itaque nihil ex hiſce verbis aut phraſi poſſe exſculpi ad cuſtodiam Pauli in Vrbe Prætoriano Militi eripiendam, & in Legionarium ac Provincialem contra Romanorum morem

rem transferendam. Sed putat tamen V. A. Interpretes, qui vertunt, *cum Milite, qui eum cuſtodiebat*, vertere hunc locum *pro ſuo ſenſu*, & me increpat, quod dixerim apud *Omnes* Interpretes de Prætoriano Milite eum explicari. Falſum eſt utrumque. Nam de me, nuſquam Ego dixi *apud Omnes Interpretes haberi* iſtam interpretationem, quippe qui ſatis ſciebam, minime *Omnes* rem definire, ſive quia non eſt tanti momenti, certe Theologis, utrum Paulus a prætoriano milite, an vero ab alio cuſtoditus fuerit; ſive quia id per ſe ex mentione Præfecti prætorio paulo ante facta, & ex Romanorum moribus ac diſciplinæ Militaris ratione ſatis intelligi credebant. Quid ergo? Dixi ſententiam Viri A. *eſſe alienam à communi interpretatione*, Interpretum ſcilicet, dico nunc *Omnium*, qui modo, qualis fuerit Miles ille Paulum cuſtodiens, definierunt. Certe Magnus ille Hugo Grotius diſertiſſime ad hunc Locum meam tuetur interpretationem, τῷ ϛρατοπεδάρχῃ, *Recte*,

inquit, *Viri Docti interpretantur Præfectum prætorio. Nam a Tiberii temporibus Prætorianus miles in Caſtris habitus*, *An. IV. Et ſub bujus* (militis) *cura fuiſſe Reorum cuſtodias, multis ejusdem Taciti locis evincitur.* Quin & Beza, dum vertit, *cum milite, qui eum Cuſtodiret*, liquido deſignat non militem, qui jam ab longo tempore eum cuſtodierat, ſed qui exinde eum cuſtoditurus eſſet: Ergo non Veterem, ſed Novum, & noviſſime a Præfecto prætorii ex ſuis Militibus Paulo additum, atque ita plane Prætorianum. Immo vero neque in illa Verſione, *cum Milite, qui eum cuſtodiebat*, quicquam contra meam de prætoriano milite interpretationem ineſſe, manifeſtiſſimum ex altero illorum, qui ita verterunt, h. e. ex Diodato, qui iterum contra me perperam adfertur, quum, licet heic quidem in Notis nihil definiat, alibi tamen diſerte ſatis in mea ſe eſſe ſententia ſignificet. Etenim quum ad Philipp. I 13. verbis ſupra pag. 342. exhibitis,

Præ-

Prætorium expoſuiſſet per *Caſtrum prætorium, ubi tetenderint prætoriæ Imperatoris cohortes*, tum porro, ut eam expoſitionem ad reliqua iſtius loci verba adhibeat, & oſtendat, quomodo ſecundum eam Pauli vincula evadere potuerint manifeſta in omni illo Prætorio, allegat hunc ipſum Lucæ in Actis locum, & addit, *veriſimile eſſe, Milites qui Paulum cuſtodierint, Actor. XXVIII. 16. res magnas de ejus ſanctimonia ac miraculis divulgaſſe.* Quid? annon ſatis jam liquet, ex ſententia Diodati *militem, qui Paulum cuſtodiit*, & qui memoratur a Luca *Actor. XXVIII.* 16. fuiſſe ex Prætoriis cohortibus, ſeu ex *Prætorio Caſtro?* Eat ergo Vir Ampliſſimus, & ex illa Verſionum locutione, *qui eum cuſtodiebat*, eliciat ſane magnum quid *pro ſuo ſenſu.* Nemini, opinor, probabit amplius tam nullius conſequentiæ ac veritatis argumenta, quæ tam facile argui & convelli poſſunt.

Ceterum ſic conſtare jam ſatis arbitror, nihil in ipſa phraſi aut contextu ineſſe,

eſſe, quod plane definiat, utrum ille Pauli cuſtos prætorianus fuerit, an vero provincialis miles, niſi quod tamen ex ipſo loci contextu aliquanto veriſimilius ſit deſignari iſtic prætorianum; quia in eodem verſu vincti omnes ex Judæa miſſi dicuntur prætorianorum Præfecto traditi. Quid igitur? Ipſa ſcilicet hæc controverſia non aliunde quam ex moribus Romanorum decidi poteſt ac debet. Ex iis vero ſi certum eſt, Prætorianos Milites ad cuſtodiam Vinctorum Romæ adhibitos, neque oſtendi poteſt, provinciales, qui Vinctos Romam deduxerint, unquam in ea Urbe ab ſignis ſuis retentos, tantum ut Vinctos illos iſtic ſervarent, quid eſt, quod amplius hac de re ambigamus, nec bona fide agnoſcamus, illum Pauli cuſtodem in Urbe Roma fuiſſe Prætorianum Militem? Prætorianos autem vere ad Vinctorum cuſtodiam Romæ adhibitos, pluribus oſtendi Diſſ. II. §. 47. quo velim recurrat, quisquis hæc leget. Ipſe id Vir A. fateri cogitur, quum e contrario ſuæ
in-

interpretationis de Provinciali milite, licet *nihil inſolens ſe ſuſpicari, immo adſerere* dicat, nullum omnino exemplum aut documentum adferat, aut adferre queat. Quin Ego inſuper d. l. oſtendi, non dicam *inſolens* fuiſſe, ſed abhorruiſſe prorſus a militari Romanorum, immo omnium diſciplina, ut milites a ſignis ſuis, ſine ulla neceſſitate in aliam plane regionem avocarentur, ac detinerentur, eaque gratia attuli illuſtria Imp. Trajani verba, Præſidem provinciæ monentis, ut ne quidem in illa ipſa provincia ad cuſtodiam noxiorum milites ſuæ provinciæ adhiberet, addita hac generatim ratione: *Illud hæreat nobis, quam pauciſſimos Milites a ſignis avocandos eſſe.* Excipere V. A. videtur, verba hæc Trajani referenda proprie ad illam provinciam, quæ erat Bithynia, & præterea, in aliis proinde provinciis factum, ut milites a ſignis avocarentur ad cuſtodiendos iſtic captivos. At vero longe alia res eſt, Milites in ſua provincia, ubi nulli alii erant ad cuſto-

cuſtodiendos vinctos adhiberi, quam Milites alterius provinciæ ea gratia in longinquam adeo regionem, vel Vrbem, quæ alios habebat magno numero hujusmodi cuſtodiis deſtinatos, a ſuis ſignis avocari ac detineri. Deinde, quæ ratio erat in Bithynia, quare Imp nollet Legionarios Milites adhiberi ad cuſtodias reorum, eadem erat Romæ. Nam ſicuti iſtic ea gratia nolebat Imp. illos ad continendas cuſtodias converti, quia non erat opus, quum publici ſervi reos iſtic cuſtodire ſolerent: ſic neque Romæ credibile eſt, unquam ullos ex longinqua adeo provincia ad cuſtodias detentos Milites; quum neque ibi id opus eſſet, quoniam Prætoriani ad id adhiberi in ea Vrbe poterant & ſolebant. Atque adeo utrobique eadem ratione locum habuit illud Trajani, *Hæreat nobis, quam pauciſſimos Milites a ſignis avocandos eſſe*. Denique ſatis generalia utique hæc ſunt verba, nec proprie Milites Bithyniæ, ſed generatim omnes cujuſcunque provinciæ ſpectantia. Nec enim ulla ratio eſt, qua-

re in Bithynia, quæ nullum tunc habebat bellum, aut belli metum, milites minus eſſent avocandi a ſignis, quam uſquam alibi. Sed & nihil frequentius, quam ad ſpeciales caſus reſponderi generali quadam ſententia. Immo in ipſo jure *Reſcripta Principum* ad ſingulares quidem caſus dabantur plerumque, ſed accipiebantur & habebantur tanquam generatim data, & ad alios ſimiles caſus referenda. Ejuſdem vero generis eſt & hoc Principis Trajani *Reſcriptum* de Re Militari ad Bithyniæ Præſidem, a quo conſulebatur, an vellet Milites converti ad continendas iſtius provinciæ cuſtodias. Quod quum improbaſſet, data alia etiam ratione, ſubjicit ad extremum & hanc: *Sed & illud hæreat Nobis*, (Romanis in genere, non *Tibi* ſpeciatim in tua provincia) *quam pauciſſimos Milites a ſignis avocandos eſſe*. Quæ porro V. A. comminiſcitur de Pauli commendatione, quam fecerit Iulius Centurio apud Præfectum prætorii, unde factum ſit, ut ille præ-

cipuo

cipuo quodam jure haberetur, neque carceri, aut ignotis militibus committeretur, talia ſunt, ut nullum eorum veſtigium in S. Literis compareat. Non ita præcipuo jure fuit Paulus, quin ſæpe in Epiſtolis etiam θλίψεως, *afflictionis ſuæ* in iſtis vinculis meminerit. Et quod non fuit cum aliis carceri mancipatus, ſed liberiori deditus cuſtodiæ, ex eo maxime, ſi non unice, ortum, quod cauſa ipſius, ut perſcripta erat a Feſto, necdum ullius tunc momenti aut criminis loco habebatur apud Romanos. Sed & ſi maxime Julius Paulum commendaviſſet Præfecto, atque is illius commendationis a *Centurione* factæ aliquam dignaretur habere rationem, nulla tamen vel ſic erat cauſa, Militem ex aliena & tam longinqua provincia contra mores Romanorum, atque omnem diſciplinæ militaris rationem, Romæ ad Paulum cuſtodiendum retinendi, quum utique Præfectus ex tot ſuis Militibus poſſet facile æque commodum & humanum Paulo adjungere, non minus, quam

Macro Imp. Tiberii Præfectus, qui ex rogatu item & commendatione Antoniæ, tales Milites ex Prætorio, μετρίους ἄνδρας, vincto Agrippæ addidit, ut teſtatur Ioſephus VIII. 8. Quibus omnibus perpenſis, cogita jam, mi Lector, & judica, quando V. A. adeo contra communem Interpretationem eorum, qui hac parte ſuam declaravere ſententiam, contra omnem militaris diſciplinæ rationem, contra morem denique Romanorum, ſine ullo ſuæ interpretationis documento, *aſſerit* tamen, Militem illum Pauli cuſtodem non fuiſſe Prætorianum, ſed potius provincialem ex Judæa, annon, inquam, illud vere profectum videatur *ex nimio & pene miſero adverſandi ſtudio* omnibus, quæ a me dicerentur; immo annon *Nova* hac *aſſertione* tuenda, omnis *opera unice impendatur rebus liquidiſſimis obſcurandis*, & denique annon talis potiſſimum *Temeritas*, ex tali maxime animo ac ſtudio profecta, *a ſynceritate Divinæ Hiſtoriæ ſerio amolienda* cenſeri debeat.

Cap. VI.

1. *Si maxime Pauli cuſtos fuiſset miles Prætorianus, nihil hoc ad Prætorii pro Caſtris ſignificationem facere, demonſtratur; Item in Caſtris nulla judicia de rebus civilibus, nedum ſacris, habita fuiſſe. Caractaci e Tacito exemplum nihil ad rem pertinere.*

1. Quid ſibi velit Vir Cl. argumento militis Prætoriani, *quem nos Legionis Auguſtæ magis fuiſſe putamus*, *ſuperius è verbis ejus intelleximus. Idem in poſteriori* diſſert. *inculcat*. Hinc jam ex probabili iterum aſſumo, *inquit*, habuiſſe Paulum abunde negotii & conſuetudinis cum Prætorianis, ad ſuorum vinculorum rationem iis declarandam, ſive Paulus uni militi ſemper fuerit alligatus, ſive per vices ſæpius mutati fuerint. Fuit enim liber commilitonum & ſodalium ex Prætoriis cohortibus ad eum aditus. d. pag. 264. & ſequ. *Vix operæ pretium eſt, tam nihili conjecturas vim narrationis Paulinæ penitus enervantes, pluribus verbis proſequi. Imaginare*

 ſis,

ſis, faciem domus Paulinæ plenam quotidie milibus Prætorianis, quam id gratum Paulo, qui propterea ingentis beneficii locum, habitationem urbanam accepit, ut a ſtrepitu militari procul abeſſet: quam id gratum Præfecto, milites ſuos quotidie ad Paulum commeare, ab ejus ore pendere, quod factum oporteret, ſi ὅλον τὸ πραιτώριον, omne Prætorium, *eſſent milites Prætoriani. Si quicquam ad coarctanda Pauli vincula facere potuiſſet, nihil ejuſmodi ſectatione magis noxium illi poterat excogitari. Ego ita exiſtimo; ſi maxime cuſtos ille fuiſſet Prætorianus, milites tamen reliquos minime ſolitos fuiſſe ad commilitonem ſuum in habitatione ſecreta Pauli viſitare, eumque de Chriſto crucifixo audire concionantem: Sed faceſſant inanes conjecturæ, de quibus quantum cuique in mentem venit, ſine ulla probatione veriqûe ſimilitudine jactare licet. Idem de conjectura ſequente Viri Cl.* probabile prorſus ſit, Paulum ſæpe etiam eſſe auditum a Præfecto, ejus Adſeſſoribus & reli-

reliquis ducibus Prætorianorum militum in Prætoriis Caſtris, antequam a Cæſare audiretur, ſicut in Iudæa ſæpe a Felice auditus erat. *Inania dicta, de quibus nihil profertur. Imo judicia vel audientias civilium rerum, ne de religioſis dicam, ullas in caſtris urbanis unquam habitas fuiſſe, neutiquam probatur: nec forte de militaribus quidem. Cauſas majores ut olim in Prætorio, id eſt, Tabernaculo Imperatoris, ſic etiam deinceps, ubi ille degebat, fuiße diſceptatas oportet; qua de re poſtea rurſus. At novus Auctor Cæſarem in ipſis Caſtris Judicia publice exercuiſſe putat adſeverandum:* Θαῦμα ῥήματος *atque inauditum. Tamen exemplum adfertur Caractaci Britanni apud Tacitum* Annal. XII. 36. *Quo ſpecimine ut Lector de vi argumentorum dialectica, quibus Vir Cl. utitur, exiſtimare poſſit, verba Taciti exhibebimus. Probandum eſt, Paulum a Cæſare fuiſſe auditum in Caſtris prætorianis; id eſt,* prætorio; *quia non fuerit inſolitum, Cæſarem agere*

judicia in Caſtris. Id exemplo Caractaci liquere. Verba Taciti hæc ſunt; Ipſe Caractacus cum fidem Cartiſmundæ Reginæ Brigantum petiviſſet, vinctus ac victoribus traditus eſt, nono poſt anno, quam bellum in Britannia cœptum. Unde fama ejus evecta inſula, & proximas provincias pervagata per Italiam quoque celebrabatur: avebantque viſere, quis ille tot per annos opes noſtras ſpreviſſet. Ne Romæ quidem ignobile Caractaci nomen erat, & Cæſar dum ſuum decus extollit, addidit gloriam victo. Vocatus quippe ad inſigne *SPECTACULUM* populus. Stetere in armis prætoriæ cohortes, campo, qui caſtra (*cur non Prætorium*!) præjacet. Tunc incedentibus regiis clientelis, phaleræ, torqueſque, quæque externis bellis quæſierat, traducta; mox fratres & conjunx & filia; poſtremo ipſe oſtentatus. Cæterorum preces degeneres fuere ex metu; At non Caractacus &c. *Sequitur ejus Oratio & venia data a Cæſare, cum laudibus gratiiſque dictis Agrippinæ:*

Et

Et hic finis Spectaculi, *quod tantum abfuit a judicio, quantum Pauli judicium a triumphali Spectaculo. Talia non ſufficere ad obtinendum prætorii ex urbe in Caſtra ſuburbana tranſlationem, imo talia facere ad contrariam opinionem ſtabiliendam, Lector rei non ignarus facile exiſtimabit.*

RESPONSIO
ad Cap. VI.

Nihil agit hoc Capite Vir A. niſi ut cavilletur & exagitet ea, quæ ipſe me *ex probabili adſumere* profeſſus ſum ad conjungenda duo jam ante probata, atque idcirco nunc ſaltem pro conceſſis habenda: Nempe *Prætorium* de re Vrbana uſurpatum, in quo manifeſta dicuntur evaſiſſe Pauli vincula, ſignificare corpus Prætoriarum cohortium: Et Paulum ab earum cohortium militibus fuiſſe cuſtoditum. Facit id autem incredibili cum iniquitate ſimul & inclementia. Inclementiam

 voco,

voco, quod ea, quæ ipſe non pro certis vendito, ut Vir A. ſuas ineptias, ſed tantum ex probabili adſumpta palam teſtor, & in quibus tamen nihil ineſt τȣ̃ ἀδυνάτȣ aut ἀτόπȣ, nihilque cujus contrarium vel ex moribus vel ex ſcriptis Veterum probari poteſt, aut probatur a Viro A. quod inquam, ea tamen pronunciet *tam nihili conjecturas, ut vix operæ pretium ſit pluribus verbis eas proſequi*: ut *faceſſere* jubeat *inanes conjecturas*, *inania dicta, de quibus nihil proferatur*, ut ex iis *Lectorem de vi argumentorum dialectica, quibus utar, exiſtimare* velit. Iniquitati vero, & quidem ſummæ adſcribo, quod hæc nullo jure, & tamen tanto cum ſupercilio & faſtu in me increpet, quum ipſe in proximo ſuperiori Capite unice ſtuduerit *aſſerere* ineptiſſimam ſane *ſuſpicionem*, quæ nunquam cuiquam hominum in mentem venit, & haud dubie neque unquam antea ipſi, quæque a moribus Romanorum, & omni militaris diſciplinæ ratione eſt vere alie-

alieniſſima. Quin ergo *faceſſat* potius Legionarius ille ex Iudæa miles, Pauli in Vrbe Roma per tantum Temporis ſpatium Cuſtos, *ſine ulla probatione, verique ſimilitudine jactatus. Faceßat* etiam confiсta Aulæ neſcio quæ ἀναθεώρησις, ſive *ex diffuſa Evangelii reſonantia*, ſive *ex Militum favore* orta in Paulum genere Judæum, victu Opificem, fortuna Vinctum. *Faceſſat* denique publicum illud & ſolenne judicium *coram Nerone, ejus Præfecto, Comitibus, & magna Auditorum frequentia*, in cauſa leviſſima, quæque nullos habebat Accuſatores, toties ſine ullo documento affirmatum. Quid enim *de his profertur*, quo minus habeantur *inania dicta*, & veri plane caſſa, ut ſunt? Sed & unde probatur Paulum a Centurione commendatum Præfecto prætorii? Unde *ſatis conſtat*, ut dicitur, Paulum per hanc *Centurionis* commendationem, fuiſſe a Præfecto pr. præcipuo jure habitum? Quo Auctore, quo Teſte, *pro certo habetur*, publico Pauli ju-

dicio adfuiſſe Burrhum & Senecam? Omnia enim hæc, licet pleraque nullam veri ſpeciem habeant, ea tamen a Viro A. aſſeverantur confidentia, ac ſi rebus gerendis interfuiſſet. Ceterum comparet jam iſta velim, cuicui lubet, cum meis illis ex probabili adſumtis, quæ hoc Capite adeo exagitat ὁ δεῖνα. Verum, ut de eorum *vi Dialectica* rectius *exiſtimare* queat Lector, repetendum, non amplius nunc in controverſiam vocanda, ſed pro conceſſis ſaltem ad hoc tempus habenda duo illa ſuperius memorata, *Prætorii* in Urbe ſignificationem, & Pauli cuſtodiam Prætorianis militibus mandatam. Alterum concedit etiam V. A. in hujus Capitis argumento, quum *ſi maxime*, ait, *Pauli Cuſtos fuiſſet miles Prætorianus*. Sed quæ ſequuntur iſtic, alieniſſima ſunt ab ea, quæ eſſe debet hujus capitis controverſia. Nec enim unquam ex Prætoriano milite Pauli Cuſtode, probare volui *Prætorii ſignificationem pro Caſtris* aut Cohortibus Prætoriis: ſed, veram illam

&c.

& aliunde probatam ſignificationem poſſe ac proinde debere admitti in controverſum Pauli locum, ubi id vocabulum de re Urbana adhibetur. Quum itaque id unice agam hiſce *probabilibus*, manifeſtum, *Prætorii* quoque ſignificationem, ut jam ante demonſtratam, mihi nunc pauliſper concedendam, & tantummodo videndum, utrum Paulus in cuſtodiam datus Prætorianis militibus, ex eo occaſionem habere potuerit ſatis commodam, qua vinculorum ſuorum rationem redderet manifeſtam inter illos Milites, id quod ex mea *Prætorii* interpretatione unice dicitur in illo Pauli loco.

Dixi ergo, *habuiſſe Paulum* haud dubie *negotii & conſuetudinis abunde*, cum illis Militibus, a quibus per integrum biennium & amplius fuit cuſtoditus, ut ſuam illis pietatem declararet, & quotidianis ſermonibus, εἰς προκοπὴν εὐαγγελίου ſemper tendentibus, ſuorum vinculorum rationem iis exponeret, ita tamen, ut non quidem converterentur Omnes, non magis, quam illi

illi *OMNES alii*, qui ſtatim ſequuntur, ſed ut agnoſcere cogerentur ipſius & Evangelii innocentiam ac ſanctimoniam. Quis niſi perfrictæ frontis negare hanc conſequentiam poſſit? Addidi inſuper rationes. Nec enim veriſimile videri, Paulum, qui tanto temporis ſpatio Romæ fuit in illa militari cuſtodia, habuiſſe omni illo tempore unum ſemper eundemque, ſed habuiſſe haud dubie plures ejus generis, qui alter alteri ſucceſſerint, Cuſtodes & Convictores: atque ita per plures quoque iſtius generis homines diſperſam omnino Evangelii cognitionem. Nam quandocunque Paulus prædicabat Evangelium, quod faciebat *εὐκαίρως ἀκαίρως*, neceſſario utique & iſtos Cuſtodes, utpote catena ei alligatos, habuit ſemper Auditores, quamvis haud dubie etiam privatim cum illis ſæpe de Evangelio & ſuorum vinculorum ratione collocutus fuerit. Sed & ſicuti Paulo facultas erat, quosvis ad ſe recipiendi, ſic eandem & Militi Prætoriano ejus Cuſtodi Commilito-

tones & ſodales ſuos ex Prætorio ad ſe quoque admittendi fuiſſe poteſtatem, nullum eſt dubium. Ceteroquin enim Cuſtos ille redactus fuiſſet in longe deteriorem ſtatum, quam in quo erat Vinctus, quod neutiquam veriſimile dixi. Nihil huic rationi reſpondet Vir A. ſed tantum cavillationibus quibuſdam rem ipſam eludere conatur. Nempe *quam gratum Paulo futurum* rogat; ſi alii milites Cuſtodem illum adirent, *quam Præfecto*, ſi Paulum ipſum frequentarent, & ab ejus ore penderent. Videlicet adeo *indulgenter*, adeo *præcipuo jure habitus fuit Paulus*, ut propterea, quæ ipſi facultas erat alios recipiendi, non eſſet apud eum Militi Prætoriano, quia id illi diſpliciturum foret. Sed unde quæſo id ita conſtat, quod *ſatis conſtare* dicitur? Liberiori quidem fuit permiſſus cuſtodiæ. Sed non oportebat aliter, quippe quum *nihil morte dignum*, ut ipſe ait Feſtus, admiſiſſet, omniſque ejus accuſatio conſiſteret unice in quæſtionibus quibuſdam religionem Judæorum ſpectanti-

tibus, quæ apud Romanos illo adhuc tempore nullius erant momenti. Et tamen vel ſic adeo exigua innocentiæ Paulinæ habita fuit ratio a Præfecto; ut ille in omnibus pene Epiſtolis Roma datis conqueratur de *afflictione*, quæ ſibi in illis vinculis & cuſtodia obveniat. Quis ergo credere poſſit, in gratiam & commoditatem Pauli Prætorianum illum Cuſtodem fuiſſe apud Paulum, veluti in carcerem concluſum, ſine poteſtate alios ad ſe admittendi, quod ſentit Vir A. Sed non paſſurus fuiſſet Præfectus, *milites ſuos quotidie ad Paulum commeare.* Quaſi vero ex mea interpretatione factum oporteat, ut quotidie tanto numero milites Paulum adierint, & ex ejus ore ependerint, ut exinde ἀναθεώρησις Præfecti in eum excitari poſſet. Sed tamen *per OMNE Prætorium*, h. e. ex mea interpretatione, per Omnes Prætorianos Milites Manifeſta dicuntur evaſiſſe Pauli vincula. Quaſi illud quidem aliter accipiendum foret, quam id, quod ſequitur de *Reliquis Omni-*

bus,

bus, h. e. quam ὑπερβολικῶς, & aliterquam de ſimplici agnitione innocentiæ Pauli & Euangelii, quum plerique obiter, nonnulli etiam ſtudioſius Paulum de ſe & Euangelio loquentem audirent: quamvis tamen illa ipſa agnitio viam veluti muniverit, & in multis haud dubie ceſſerit εἰς προκοπὴν εὐαγγελίου. Quando itaque nihil omnino adferri poteſt, quo minus maneat *probabile* prorſus, immo pene indubium, alios quoque milites ex Prætorio adiiſſe ſive Paulum ſive Commilitonem ſuum, atque ea occaſione Paulum vidiſſe ſæpius & audiviſſe, prout magis aut minus ejus ſermonibus capiebantur: quæſo Te, Lector, illud jam tecum perpendas, annon iſthoc pacto *per omne prætorium* ſeu prætorias cohortes (eadem loquendi ratione, ſeu æque, ac per *Omnes alios* Civitatis Romanæ homines) *manifeſta* potuerint *evadere*, & revera *evaſerint Pauli vincula*? Tum, annon ille, qui tam ſtudioſe, εὐκαίρως, ἀκαίρως Euangelium prædicabat, ſic *abunde occaſionis & negotii habuerit cum Prætorianis illis militibus*

ad ſuam & Euangelii innocentiam iis ita declarandam, ut ſaltem agnoſcere eam, rebus ipſis, quas videbant & audiebant, victi, cogerentur? Sed aliter exiſtimat Vir A. *Ego*, ait enim, *ita exiſtimo, ſi maxime Cuſtos ille fuiſſet miles Prætorianus, milites tamen reliquos minime ſolitos fuiſſe ad Commilitonem ſuum in habitatione ſecreta Pauli viſitare, eumque de Chriſto Crucifixo audire concionantem.* Si quæras, qua ratione, nulla datur, niſi hæc, *Ego ita exiſtimo.* Ceteroquin enim, quare minus Paulum Commilitoni ſuo alligatum adiiſſent milites Prætoriani, quam *Alii omnes* cujuſvis generis homines, immo ſervi fugitivi, ἄχρηστοι, deterioris notæ, qualis fuerat certe Oneſimus, antequam eum *in vinculis hiſce genuit Chriſto*, ut ſcribit ad Philem v. 10. Immo vero, rogo iterum, quare minus hi milites adiiſſent etiam & audiviſſent Paulum, quam alii Ioannem Baptiſtam, Lucæ III. 14. rogitantes, *quid faciendum ipſis eſſet?* Sed &, quare non etiam ex hiſce mi-

militibus quidam ſtudioſe & attente audiviſſent Paulum, & veritati atque Euangelio manus dediſſent; quum utique etiam *pii milites* in S. Scriptura Actor. X. 7. memorentur, quum *milites* fuerint primitiæ Chriſtianiſmi ex Gentilibus, quum *miles* fuerit, de quo Chriſtus *parem ſe in Iſraele fidem non inveniſſe* teſtatur, ut oſtendi Diſſ. II. §. 50. Nihil hiſce reſpondet Vir Ampl. & tamen *faceſſere* jubet *conjecturas*, quas vocat *inanes*, quia ipſe aliter *exiſtimat.* Eadem vero inclementia excipit & illud, quod ſcripſeram, quamvis nihil quidem affirmare vellem, UBI vere Paulus cauſam dixerit, ſiquidem nihil ejus reliquiſſet memoriæ proditum; & porro exiſtimarem, nihil magnopere ad noſtram hanc controverſiam pertinere, ubi proprie auditus eſſet: cenſere me tamen, Eum, ſicuti *ſæpius* certe a Romano Iudææ Præſide in eadem hac cauſa auditus fuerat, ſic & ſæpius Romæ quoque, ubi tanto temporis ſpatio in vinculis egerit, fuiſſe auditum: verum non qui-

dem toties ab ipſo Cæſare, ſed potius a Præfecto prætorii in Prætoriis caſtris. Rationes meæ fuerunt, quod Paulus Præfecto præt. traditus, & a Prætorianis militibus cuſtoditus, a *Præfecto* proinde *Prætorii*, cujus curæ erat commiſſus, potius, quam ab ullo alio, priusquam a Cæſare, auditus haud dubie fuerit. Tum quod, quum in Prætoriis Caſtris æque, ac in aliis, jus fuerit dictum, ſicuti liqueat ex Tribunali & Principiis, quæ iſtic æque reperiebantur, ac in aliis, ut & ex perpetua diſciplinæ militaris conſuetudine, & denique ex quibuſdam etiam exemplis: quod proinde, inquam, locus ille juris dicundi fuerit haud dubie, ſi cuiquam, proprius Præfecto Prætorii, atque adeo Paulus, ab eo ſi auditus fuit, fuerit potiſſimum *in Prætoriis* hiſce *Caſtris*, quibus ille Præfectus proprie præerat. Addidi, etiam Provinciales iſtic videri auditos, ſiquidem etiam illi iſtic præcipue cuſtoditi fuerint, quemadmodum pateat ex Agrippæ exemplo, de quo ad Caput

ſu-

ſuperius. Quum ergo Vincti ex Provinciis Romam miſſi, traderentur Præfecto Prætorianorum Militum; quum iidem cuſtodirentur a Prætorianis militibus; quum cuſtodirentur etiam in ipſis Prætoriis Caſtris, licet ceteroquin in Vrbe fuerit publicus Carcer; quum Ordinariæ & Vſitatæ Vinctorum cuſtodiæ fuerint plerumque juxta Locum judicii; ſicuti in Vrbe Carcer ille publicus juxta Forum; quum denique in ipſis his Caſtris etiam jus fuerit dictum: quis alius præter Virum A. abſurdi incuſare auſit eum, qui ex iis omnibus colligat, Provinciales Vinctos (ſiquidem unice ad Cæſarem, non item ad Senatum pertinerent, ut Paulus) in *Caſtris* illis potiſſimum, vel æque, ac uſquam alibi, ſaltem a *Præfectis* videri auditos, licet ille de Paulo quidem hanc facti circumſtantiam, quia non ſit ab ipſo definita, affirmare ſe nolle diſerte dicat? Sed neque refutat Vir A. haſce rationes, vel hanc ex iis collectionem: tantum negat rem ipſam pro auctoritate ſua, & *inauditam* pronun-

ciat, atque exemplum provincialis Reguli, quod ex Tacito inſuper attuleram, invadit, & more ſuo exagitat, h. e. cavillatur. Refert ſcilicet Tacitus, quomodo Caractacus Britannorum Regulus, qui bellum diu & varia fortuna contra Romanos geſſerat, captus tandem, & Romam abductus fuerit, atque ibi ad Imp. Claudium Tribunali inſidentem magna in pompa deductus, ac *Tribunali* jam *adſtans*, cauſam dixerit, precibus tamen additis, & ita *veniam* ab Imperatore acceperit. Nemo non videt, exhiberi illa Hiſtoria aliquam Judicii ſpeciem, vel ſaltem proxime eam accedere ad ſpeciem immo & naturam judicii, dicente pro ſe Caractaco ad Tribunal, & abſoluto. Neque obſtare, quod Imperator, quoniam hanc rem propter celebre Regis nomen ad cauſam apud ſe dicendam & ſupplicandum jam adacti, glorioſam valde ſibi duceret, eam proinde maxima cum oſtentatione peragi voluerit, eaque etiam gratia delegerit, non Principia Caſtrorum, ſolen-

lennem ceteroquin publici judicii in Caſtris locum, ſed *Campum*, *qui caſtra præjacebat*; ut tanto ſcilicet major multitudo etiam populi ex Vrbe ad ſpectandam hanc rem, *ut ad inſigne ſpectaculum*, h. e. rem ſpectatu digniſſimam, conflueret. At Vir A. omnem hanc Hiſtoriam ad *ſpectaculum triumphale* referre videtur, atque idcirco in ſuis Verbis ſimpliciter & notabiliter, alia literarum forma, *ſpectaculum* appellat, & in Taciti loco illud vocabulum majuſculis literis exhibet. Sed & eodem conſilio factum haud dubie, quod ex Tacito exſcribit nobis omnia illa, quæ factam rei oſtentationem memorant: prætermittit vero ea, quibus Regulus iſte, ut fit in judiciis, *Tribunali adſtitiſſe*, defendiſſe ſe, & *veniam accepiſſe* dicitur. Quin inſuper in hiſce Taciti verbis, *Vocatus quippe ut ad inſigne ſpectaculum populus*, aſtute omiſit particulam VT, quo ſic videretur etiam ille Scriptor hanc judicii & Veniæ pro Tribunali datæ pompam pro mera oſtentatione ac *ſpectaculo* habuiſſe,

 quum

quum ille e contrario rem hanc pro Tribunali factam, propter accedentem ei oſtentationem, comparaverit quidem cum ſpectaculo, ſed tamen tali locutione, ſeu tali particula, a vero & ſollenni ſpectaculo diſtinxerit. Quamvis ceteroqui tamen Latina in Lingua *ſpectaculum* appellari poſſit etiam omnis alia res cujuſcunque generis, quæ ſtudioſe ſpectatur. Atque ita in ſimili plane exemplo, quum Perſeus ultimus Rex Macedonum, captus itidem a Romanis, deduceretur quoque in Caſtra, & in Caſtrenſe Conſilium L. Pauli, ac magna multitudo hominum ultro ad eum videndum concurreret, dicitur ille apud Livium XLV. 7. *progredi præ turba occurrentium ad Spectaculum non potuiſſe.* Nihil ergo præſidii poſitum eſt Viro Ampl. in voce *ſpectaculi.* Cæterum quæ ex hoc exemplo pro Caſtrenſibus judiciis eduxerim, velim videas Diſſ. II. §. 49. Intacta enim ea relinquit V. A. & defungitur referendo illud exemplum ad ſimplex vel *triumphale ſpectaculum*, a quo certe alieniſſimum eſt. In extremo Capitis

pitis fœdam elenchi ignorationem prodit Vir Dialecticus, dum ſignificat iſtiuſmodi argumentis fruſtra me id agere, ut *obtineam*, & evincam *tranſlationem Prætorii ex Urbe in Caſtra Suburbana.* Nihil enim a mea ſententia magis eſt alienum, quum nullum plane *Prætorium* in ſignificatu Loci judicialis, immo nullum omnino *Prætorium* quocunque ſenſu, extra cohortes Prætorias, aut Caſtra Prætoria, in Urbe Roma unquam fuiſſe, ſæpius tradiderim, atque adeo nullam plane iſtiuſmodi *tranſlationem* agnoſcam, tantum abeſt, ut *obtinere* ſtudeam. Vide ſis Diſſ. I. pag. 67. 68. & Diſſ. II. paſſim.

C A P. V I I.

Antiquos ante Cæſares clare dicere, Prætorium eſſe Habitaculum Imperatoris. Nuſquam dicere, quod poſt Cæſares ſignificaverit, cohortes Prætorias, fatente Viro Cl. quod tamen neceſſe futurum fuiſſe demonſtratur.

P*rogredimur ad arcem cauſæ, quæ eſt ſignificatio Vocis* Prætorii; *quam & in dictatis* ſuperius *relatis*,

& in poſteriori diſſertatione pag. 107. de corpore Prætorianorum militum *unice eſſe accipiendam contendit Vir Cl. nec idcirco apud Apoſtolum poſſe alium ullum recipere ſenſum. Vir. Cl.* Sententia, *inquit ibidem*, adeo vulgata, ut etiam in Lexicis compareat, exemplis aliquot declarata. *Vulgata nunc eorum ſententia dicitur eſſe* Prætorium *de cohortibus, non de palatio vel ejus parte capientium, ab eodem, qui* ſupra *dixit*; cum illis, qui per Prætorium intelligi volunt Palatium Cæſaris, ſentire omnes, quos viderit de loco Pauli agentes. *E Lexicis autem ſapere nollem* ὑπερκριτικὸν ἄνδρα, *qui deinde unum modo Lexicon laudat, nullumque ex eo promit exemplum. Sed ego antehac meam ſententiam duabus poſitionibus complexus ſum, quarum prior hæc fuit;* Prætorium tempore libertatis, fuit Tabernaculum Imperatoris, in quo ipſe agens, auditorium, & juxta quod, milites Prætoriani ſtationem habebant. *Hanc ſententiam Vir Cl. tam in priore diſputatio-*

tatione, quam poſteriore libro prolixe adfirmat; proinde nos eam, quæ non eſt in controverſia, loco indubitato relinquemus; ni placeat unum audire Pædianum Aſconium in de præt. Verr. ubi, Veteres enim, *ait*, omnem Magiſtratum, cui pareret exercitus, Prætorem appellaverunt. Vnde & Prætorium Tabernaculum ejus dicitur, & in caſtris porta Prætoria, & hodie quoque Præfectus Prætorio. *Hunc locum idcirco inde a principio viſum eſt exhibere, quia Vir Cl. Hottomannum ex eo inducit adfirmantem, Prætorium dici Prætorias cohortes; Quod procul & ab illo & ab Aſconio eſt, quemadmodum ipſi loquuntur. Tu modo velim hoc obſerves, Aſconio* Prætorium *eſſe* Tabernaculum Imperatoris, *eaque ratione præfectum prætorio hodieque dici, quod præeſſet tabernaculo Imperatoris, quale id hodie extat, & conſequenter cohortibus ad illud pertinentibus. Sed præfectum Prætorio proxime diſerteque reſpectu Tabernaculi dictum eſſe verba illa ſimpliciter præ ſe ferunt.*

Hæc

Hæc eſt judicatio hujus articuli; An verba Pauli, In toto prætorio, *de cohortibus prætorianis intelligi poſſint; & debeant; adeoque an Latini ſermonis proprietas ferat, ut* in prætorio, *ſigniſcet,* inter cohortes prætorias: *hoc enim probandum eſt Viro Cl. qui ſuam illam ſententiam fatetur eſſe novam, & ab omnibus loci Paulini interpretibus diſcrepantem; An nos pro ſenſu noſtro, in* Prætorio, *id eſt,* in *Tabernaculo vel* Aula *Principis, habeamus rationem, deinde videbimus: Nunc ſumus in prima poſitione,* Prætorium eſt Tabernaculum Imperatoris, *antiqua; ſaltem ad Cæſares uſque ſignificatione recepta: Proinde ſi quis apud Veteres dixerit,* in prætorio, *non eſt dubium, quin ita intelligendus ſit, in* Tabernaculo Imperatoris, *ut ipſe Vir Cl. in priori diſputatione pluribus locis adductis probavit, Livius* lib. 45. c. 7. *L. Æmilius Paulus Imperator recepturus Perſeum,* Qu. Ælium Tuberonem obviam Regi miſit, Cæteros manere IN PRÆTO-

RIO

RIO frequentes juſſit. *Ibidem mox*, Ad prætorium. *Scio hæc non eſſe in negatis. Sed poſitioni ſervit, quod hæc verba IN PRÆTORIO, ſignificant, in Tabernaculo Imperatoris, quod hæc ſit vetus & certa loquendi ratio. Præterea, quod verba IN PRÆTORIO, nunquam ante Cæſares ſignificaverint, In, vel inter* cohortes prætorias. *Et quod* Prætorium *apud veteres nunquam denotaverit* cohortes prætorias. *Id extra dubium fatente viro Clariſſimo ſitum eſſe, relinquitur ipſius oneri probandum; quando Latini ſermonis ea mutatio contigerit, ut hæc verba In PRÆTORIO ſignificaverint, In* cohortibus Prætoriis. *Hoc enim probandum eſt, aut nihil agitur, cum de interpretatione loci Paulini, in quo de ſenſu verborum*, in Prætorio *agitur, eſt diſceptatio. Iam hoc ſubit mirari, quod Vir Cl. ex* Theſauro Eruditionis Scholaſticæ *eruit atque adoptat hanc Theſin*, Prætorium dicebantur Prætoriæ cohortes, pag. 115. *Rurſus* pag. 117. *ſic ait*; Nec enim

ex-

expectanda auctoritas antiqui alicujus Scriptoris, qui diſerte dicat; Prætorium ſunt Prætoriæ cohortes. *O Theſaurum eruditionis Scholaſticæ, qui de rebus antiquis nos erudit ſine Auctoribus antiquis! Cur vero non æque expectandum, ut Antiqui poſt Cæſares, nobis dicant Prætorium eſſe Prætorias cohortes, ſi hic unicus tum ſenſus vocabuli, nec aliud Prætorium fuit: quam tot Antiqui ante Cæſares dixerunt;* Prætorium eſt Tabernaculum Imperatoris?

RESPONSIO
ad Cap. VII.

Evaſimus ſic tandem per illud ὕστερον πρότερον, quod Viri A. Dialectica poſterior in hanc Diſputationem necopinato induxit, in *Cauſæ Arcem*, quæ eſt vera *Prætorii* in Vrbe ſignificatio. In qua conſtituenda hærere A. Virum, licet πάντα λίθον κινῇ, & ſatagere prorſus, ex primo hoc Capite

pite abunde liquet, ut in quo contradictiones quærit, quæ nullæ ſunt, negat res manifeſtiſſimas, mox redit ad locum Pauli, & ex eo *judicationem* noſtræ controverſiæ in hac ipſius jam *Prætorii* ſignificatione generatim indaganda, quam ipſe *cauſæ arcem* vocat, petit ineptiſſimam. Contradictio, quam quærit, & mihi adſcribit, hæc eſt. Dixeram in Theſi 34. Diſſ. I. *Omnes, quos viderim de loco Pauli agentes, per* Prætorium *quod iſtic occurrit, intelligi velle Palatium Cæſaris.* At in Diſſ. II. Theſ. 3. quod Prætorium *de re Urbana uſurpatum ſignificet Corpus Prætorianorum militum*, id eſſe adeo non Novum, ſeu *eſſe adeo Vulgatum, ut etiam in Lexicis compareat.* An vero in iis poſitionibus ulla eſt diſcordiæ ſpecies? Nulla omnino, niſi quis cenſeat ineſſe in eo ullam conſequentiæ vim, quod, quando unius ſcriptoris aut loci interpretes, quos unus homo viderit, alter alterum ſequuntur, ut ſæpe faciunt, ſeu quando illi in explicando

etiam

etiam alienæ Linguæ vocabuló iſtic occurrente conſentiunt, non poſſit tunc alia iſtius vocabuli ſignificatio eſſe adeo nota & vulgata, ſeu adeo palam jam tradita, ut etiam in Lexicis compareat. Sed quemadmodum hæc conſequentia nulla plane eſt, ſic & illa contradictionis ſpecies tam eſt inepta, quam certum, Veritatem non eſſe veritati contrariam. Vtramque enim poſitionem eſſe veritatem ipſam, facile ſimul & liquido cognoſcere oculis ſuis poſſunt omnes, qui modo inſpicere non gravantur Libros. Sed non vult V. A. *ſapere me e Lexicis*. Quidni, aut quare minus, quam ipſe hujus Litigii Auctor, qui omnem hujus controverſiæ ſapientiam ex uno Briſſonii Lexico hauſit? Verum an hoc eſt ſapere e Lexicis, quando Tuam ſententiam *Novitatis* accuſatam oſtendis adeo non *Novam* eſſe, ut etiam in Vulgatiſſimis jam Lexicis reperiatur palam tradita? Mihi certe res utique erat cum Viro, qui ſola Vetuſtæ interpretationis Auctoritate, atque ejus inveteratæ

vete-

veterata jam poſſeſſione me oppugnabat. Quid ergo validius ei reponere poteram, quam receptiſſimam vulgatiſſimi jam Lexici auctoritatem, cujus Editio brevi temporis ſpatio ſæpiſſime eſt repetita? Sed *Unum modo Lexicon laudo*. At tanto communioris uſus & majoris auctoritatis. Ne tamen ſolum incedat, addam ergo ei Hofmannum, qui *Prætorio Præfectum* ſic interpretatur, vel definit: *Dictus eſt olim, qui Militibus iis præerat, quos Imperatores in ſui cuſtodiam allegerant*. Et dein: *Duravitque hic Magiſtratus ad Imperium usque Conſtantini M. quo tempore cum* Prætoriani *pro Maxentio ſtetiſſent contra Imperatorem, hic poſt victum occiſumque Tyrannum, caſtro* Prætorio *diruto, cohortes* Prætorianas *exauctoravit: atque ita* Prætorio Præfectorum *dignitatem ſuſtulit. Inque horum locum* alios eodem nomine conſtituit. Quid? Annon, qui *Prætorio Præfectum* in voce *Prætorio* expoſiturus ex profeſſo, nullam omnino facit *Palatii* mentio-

 nem,

nem, ſed tantum *Militum*, quibus ille fuerit præfectus, & porro *Caſtro Prætorio diruto*, & *Prætorianis cohortibus exauctoratis*, eo ipſo tradit *ſublatam* eſſe antiquam *Prætorio præfectorum dignitatem*, annon ille, inquam, manifeſtus eſt, per *Prætorium* iſtius Præfecti, non *Palatium*, ſed *prætorianos* illos *Milites* in unum corpus conjunctos intelligere? Sed pergit me incuſare V. A. quod *nullum ex eo*, quod allegavi, *Lexico promam exemplum*. Ego vero non opus arbitrabar, Lexicon, quod omnium in manibus jam verſatur, quum allegaſſem, etiam exſcribere. At omnem fidem ſuperat, quod in extremo Capitis etiam Lexicon illud increpat, tanquam *de rebus antiquis nos erudiens ſine Auctoribus antiquis*. Quid enim hoc rei eſt, quæ hæc tam necopina accuſatio, quum utique in eo Auctores antiqui *Suetonius* & *Tacitus*, ut & verba ex iis petita adferantur, ad iſtam *Prætorii* de Prætoriis cohortibus explicationem probandam? An

ergo

ergo ignoravit V. A. quodnam eſſet illud Lexicon, quod appellatur *Theſaurus Eruditionis Scholaſticæ*, a Bas. Fabro primum concinnatus, dein ab Aug. Buchnero, & noviſſime a Chr. Cellario egregie locupletatus? An vero ſatis habuit ſeu accuſare, ſeu damnare, licet nec librum inſpexiſſet, nec cognoviſſet cauſam? Miratur ibidem etiam aliud in meis poſitionibus contrarium, ſed quod mihi ridiculum plane accidit. Nempe dixi Diſſ. II. §. 7. quod *Prætorium* interpreter de Prætoriarum cohortium corpore, illud *eſſe mihi cum vivis & mortuis commune.* Ad id vero declarandum attuli primo loco ex illo Er. Schol. Theſauro hæc verba, *Prætorium etiam dicebantur Prætoriæ cohortes.* Quibus nihil aliud dicitur, ut quilibet perſpicit; quam quod *Prætorii* vox, præter jam expoſitas iſtic alias ſignificationes, ſignificet etiam Prætoriarum cohortium corpus. V. A. *miratur*; quod Ego *hanc Theſin adoptaverim*, & tamen deinceps. §. 8. ſcrip-

 ſerim

ſerim, *Non exſpectandam auctoritatem antiqui alicujus Scriptoris, qui Diſerte, quaſi jam tum gnarus exortæ inter nos controverſiæ, dicat, PRÆTORIUM SUNT PRÆTORIÆ COHORTES.* Et porro confeſtim hiſce ſubjungit exclamationem contra *Theſaurum, qui ſine Auctoribus antiquis nos erudiat de rebus antiquis.* Sed quæ quæſo hæc eſt Dialectica? An ergo non poſſumus vel ipſi affirmare, vel recipere ab aliis traditam ſingularum vocum ſignificationem, niſi Auctores antiqui, tanquam Grammatici quidam, & Scholiaſtæ, ſingula illa vocabula *Diſerte* & ex profeſſo per parentheſeis quaſdam nobis explicuerint? Adfert utique Theſauri Scriptor *Suetonium* & *Tacitum*, *Auctores antiquos.* Attuli Ego deinceps complura Veterum loca ex Libris & Lapidibus *ad nauſeam uſque accumulata*, ut ait V. A. cap. 9. in quibus omnibus vox *Prætorii* eo modo occurrit, ut ipſe fateatur, idem fore, quod ad ſenſum, ſive iſtic *Prætorium*

lega-

legatur, ſive *Prætoriæ cohortes*. Nuſquam tamen *diſerte* & his ipſis verbis dicitur: *Prætorium ſunt Prætoriæ cohortes*. Quod ſi tale quid omnino requiritur ad conſtituendam vocabulorum ſignificationem, nec ſufficit ex compluribus Veterum locis inter ſe collatis, & ex ſingulorum ſeu antecedentibus ſeu conſequentibus, eam ſic ſatis liquere, quot quæſo, vel quorum tandem vocabulorum ſignificatio in antiquis Linguis, non Latina modo, ſed & Græca, & vel maxime Hebræa, erit nobis certa? Sed & qui ſunt illi *Tot Antiqui ante Cæſares*, qui *dixerunt*, ut parum verecunde inculcat V. A. *PRÆTORIUM EST TABERNACULUM IMPERATORIS*? Nulli omnino. Nam Aſconius non *ante Cæſares*, ſed ſub iis vixit, & præterea non tam Scriptorem quam Interpretem egit. Sed tamen Livius & multi alii in ſignificatu Tabernaculi *Prætorium* uſurparunt. Quid tum? Non ſufficit utique ex Variis Auctorum locis poſſe probare,

quod in Caſtris Tabernaculum ſummi Ducis dictum fuerit *Prætorium.* Ipſi Veteres *diſerte* ſecundum V. A. dixiſſe debent, *Prætorium eſt Tabernaculum Imperatoris.* Ceteroquin enim & Tacitus ac Suetonius ſatis item manifeſte in ſignificatu Prætoriarum cohortium, vocem illam adhibent. Neutiquam tamen patitur V. A. adoptare me hoc argumento theſin illam, quod Prætoriæ cohortes etiam unica *Prætorii* voce deſignatæ fuerint, quoniam ipſe deinceps tradam, Non exſpectandam antiqui Scriptoris auctoritatem, qui *Diſerte* dicat, *Prætorium ſunt prætoriæ cohortes.* Mirari profecto oportet, Virum, qui ſibi omnem *Dialecticam*, & *Diſtinguendi* facultatem pene ſoli, excluſis certe Philologis, vindicat, adeo confuſe tamen & imperite heic diſputare, ubi agitur de ratione eruendæ & conſtituendæ vocabulorum in Lingua Antiqua ſignificationis. Sed præterquam quod breviſſimo tempore ſe hunc librum ſcripſiſſe gloriatur, contemnit incredi-

bili

bili faſtu & faſtidio Philologos Adverſarios, ut quos nihil minus, quam *Dialecticos*, vel *Syſtematicos*, vel *Diſtinguendi* peritos, jactat, atque idcirco, ſiquidem ſibi heic cum ejus generis homine res eſt, nihil opus arbitratur, ut vel tantillum penſi habeat, quid ſcribat, aut cenſeat, quid affirmet, aut neget. Nam &, qua veritate aſſeverare audet, *Tot Antiquos ante Cæſares dixiſſe, Prætorium eſt Tabernaculum Imperatoris*, eadem veritate meæ adſcribit ſententiæ, *unicum poſt Cæſares ſenſum vocabuli fuiſſe*, ut ſignificet Prætorias cohortes, quum contra docuerim ex profeſſo ſi, gnificare etiam poſt Cæſares exortos habitationem Præſidum in provinciis, immò & cœpiſſe tunc denotare lautiores in agris Villas. Vide Diſſ. I. §. 15. & Diſſ. II. §. 5. 6. Sed & eadem veritate, ne dicam temeritate aut inverecundia, aſſerere non veretur, *procul ab Hottomanno eſſe*, Prætorium etiam dici Prætorias cohortes. Etenim Hottomannus de *Præfecto prætorii* agens, ſcribit ſe

mirari, eſſe qui ambigant, Unde dictus ſit. Quod quid eſt aliud, quam, ex qua re *Præfectus Prætorii* hanc appellationem acceperit, ſeu quid hæc vocabula, quibus appellatur, deſignent? Tum exhibito Aſconii loco ſubjicit, *ex ejus verbis eſſe perſpicuum,* Præfectum prætorio *Dici eum, qui Militibus præerat, quos Imperatores in ſui cuſtodiam allegerant.* Quando ergo ita reſpondet ad illud *Ambiguum*, ſeu ad illam interrogationem, *Unde dictus ſit* Præfectus prætorii, nulla prorſus Palatii facta mentione, annon inde liquet clariſſime, *Prætorium*, a quo Præfectus ille denominabatur, eſſe ex Hottomanni certe ſententia, non Palatium, ſed Milites eos, quos Cæſares in ſui cuſtodiam allegerunt, h. e. eſſe corpus Prætoriarum cohortium, ſeu Militum Prætorianorum? Exputari velim, quæ oris & frontis verecundia eſſe queat penes eos, qui hæc tam perſpicua & certa negare palam audent. Quod ad Aſconii verba, falſum eſt, ea *ſimpliciter*
præ

præ ſe ferre, Præfectum prætorio proxime Diſerteque reſpectu Tabernaculi dictum eſſe : quum utique inter *Prætorii Tabernaculi* , & *Præfecti prætorio* mentionem, interjecta iſtic ſit mentio *Prætoriæ portæ in Caſtris*. Dicere autem voluit Aſconius , & *Prætorium Tabernaculum*, & *Portam Prætoriam in Caſtris*, & *Prætorium* illud Vrbanum , a quo *Præfectus* denominabatur, omnia hæc, accepiſſe appellationem ſuam a vocabulo *Prætoris*, ſeu ab eo , quod *omnis Magiſtratus* , *cui pareret exercitus*, *Prætor appellatus fuerit*. Inde vero patet, non ergo *Prætorium* denotare juxta Aſconium rem natura ſua mere Vrbanam , ut eſt Palatium , vel Auditorium Judiciale Principis: ſed Caſtrenſem, & traductam ex Caſtris in Vrbem ; neque Judicialem , ſed plane Militarem ; neque ab Urbano Civium Principe, qui nunquam *Prætor* dictus fuit, immo ne quidem *Imperator* reſpectu Civium & Vrbis, ſed a Caſtrenſi Duce appellatam , uti jam oſtendimus Diſſ. II. §. 7.

Supereſt jam nihil, niſi ut excutiamus *articuli hujus judicationem*, quam mihi ponit V. A. & quam conſiſtere ait in eo, *An verba Pauli* in toto Prætorio *de Cohortibus Prætorianis intelligi poſſint, adeoque an Latini ſermonis proprietas ferat, ut* in Prætorio *ſignificet inter cohortes Prætorias.* Ego vero credebam, nos per illum præpoſterum diſputandi ordinem emerſiſſe jam tandem *in arcem cauſæ, quæ* ſimpliciter *ſit ſignificatio vocis Prætorii* in Vrbe, cui Præfectus erat is, ad cujus *Auditorium fulciendum*, litem hanc ſe ſuſcepiſſe teſtabatur V. A. Comm. I. Durum ſane eſt, illud Præfecti *Prætorium* ita non modo ordine ſuo & loco, quem in hac controverſia nuper tenebat, moveri, ſed etiam de Capite in Caput differri. Verum majorem ſe habere exiſtimat V. A. cavillandi materiam in obſcuriſſimo hac parte Pauli loco, h. e. in loco, qui *Prætorii* ſignificationem nullam in partem determinat. Hæc vera ratio, quare eum dimittere nequeat,

immo

immo ſuæ cauſæ arcem reverâ in eo potiſſimum locet. Quid ergo? Judicatio articuli hujus eſt ſecundum V. A. quid ſignificent Verba illa Pauli *in toto Prætorio.* Prætorium, ait, eſt Tabernaculum Imperatoris, antiqua & indubia usque ad Cæſares ſignificatione. Addit, *in Prætorio* ſignificare ante Cæſares *in Tabernaculo Imperatoris.* Me itaque oſtendere jubet, ubi hæc proprie locutio ſignificet *inter cohortes Prætorias.* Atque adeo ſibi in inventa hac iſtius proprie conſtructionis cavillatione placet, ut eandem plane toto Cap. X. denuo recoquat. Quapropter pleraque, quæ ad refutandam eam pertinent, reſervabimus in illud Caput, ut quo nihil aliud agitur. Heic vero adferemus duo tantum loca, in quibus occurrit τὸ *in Prætorio,* & tamen non ſignificat *in tabernaculo Imperatoris*, verum *in Villa*, voluptati opulentorum hominum, ſed privatorum, inſerviente. Eam enim *Prætorii* vocabulum ſignificationem item ſub Cæſaribus demum accepiſſe

inter

inter omnes omnino Eruditos, ne quidem excepto V. A. conſtat. Tum porro exhibebimus ipſa Viri A. verba contra meam Paulini loci interpretationem, ad deſtruendam etiam illam τȣ̃ *in Prætorio* expoſitionem de *Villa* in iſtis locis. Idque ut ita oſtendamus eandem eſſe rationem & vim illius cavillationis; tum quod ad *Villam*, tum quod ad *Prætorias cohortes:* & proinde ſi V. A. vel ſic tamen in iſta locutione admittat ſignificationem *Villæ*, nullam tum eſſe cauſam, quare ex ea locutione per hanc rationem excludatur ſignificatio *Prætoriarum cohortium*. Prior locus eſt Suetonii Tiber. 39. *Paucos poſt dies juxta Terracinam in Prætorio, cui Speluncæ nomen erat, incœnante eo*, &c. Suetonio autem interpretem dabimus Tacitum, qui Ann. IV. 59 eandem Hiſtoriam refert, ſed his verbis: *Veſcebatur in Villa, cui nomen Speluncæ, nativo in ſpecu.* Alter eſt in Pandectis *l.* 34. §. 5. *D. de Legatis & Fideic.* 2. *Gajus Sejus quum domum ſuam haberet,*

& in

& *in Prætorio Uxoris ſuæ* ſe *tranſtuliſſet; quasdam res de domo ſua in eodem Prætorio tranſtulit, ibique decedens*, &c. Habemus utroque in loco τὸ *in Prætorio*; quod neque ipſe V. A. opinor, aliter iſtic interpretabitur, quam *in Villa*. Quapropter recognoſcamus jam ejus verba contra omnem aliam Interpretationem, quam quæ eſt Caſtrenſis *Tabernaculi*. Prætorium, ait, *eſt Tabernaculum Imperatoris, antiqua ſaltem ad Cæſares usque recepta ſignificatione. Proinde ſi quis apud Veteres dixerit*, In Prætorio, *non eſt dubium, quin ita intelligendus ſit, in Tabernaculo Imperatoris.* Atque ita Livius. Porro, *Hæc verba*, IN PRÆTORIO, *ſignificant in Tabernaculo Imperatoris. Vetus eſt hæc & certa loquendi ratio. Prætereа verba*, In Prætorio, *nunquam ante Cæſares ſignificaverunt inter prætorias cohortes.* Immo neque in Villa. *Et* Prætorium *apud Veteres ante Cæſares nunquam denotavit Prætorias cohortes*; Sed neque Villam.

Relinquitur ergo iis, qui ita interpretantur, probandum, quando Latini ſermonis ea mutatio contigerit, ut hæc verba, In Prætorio, *ſignificaverint, inter Prætorias cohortes*; Vel in villa. *Hoc enim probandum eſt, aut Nihil agitur, quum de Interpretatione locorum, in quibus de ſenſu Verborum* In Prætorio *agitur, eſt diſceptatio.* Omnia hæc ſunt Viri A. verba, niſi quod *Prætoriis cohortibus* adjunximus *Villam*, ut contra quam pari vi, ſi quam habet, procedit egregium hoc viri Dialectici argumentum. Nam neque in *Villæ* ſignificatu apud quemquam Veterum ante Cæſares hoc *Prætorii* vocabulum ab ullo Eruditorum eſt inventum, non magis quam in ſignificatu *Prætoriarum cohortium*, quæ nullæ erant in Vrbe ante Cæſares. Liquet ergo luce meridiana clarius, Vel, ſi quæ vis hujus argumenti, *Prætorium* ſub Cæſaribus non potuiſſe ſigniſicare *Villam*, & male non me tantum Diſſ. I. pag. 31. 32. ſed ipſum V. A. Comm. I. pag. 97.

ita

ita expoſuiſſe hoc vocabulum: Vel ſi tamen loca quædam, in quibus occurrit, exponenda omnino ſunt de *Villa*, & nos recte talibus in locis *Prætorium* & in *Prætorio* ita ſumus interpretati, nullam ergo eſſe iſtius argumenti vim, certe non magis contra *Prætorias cohortes*, quam contra *Villam*; & proinde, ſicuti in locis Suetonii & Pandectarum non impedimur per id argumentum, quo minus *in Prætorio* explicemus, non de *Tabernaculo Imperatoris*, ſed de *Villa* etiam privatorum hominum, ſic neque in Pauli loco cogimur ineptire, h. e. *tabernaculi* iſtius alieniſſimam ab eo loco ſignificationem mordicus retinere: ſed poſſumus, non obſtante eo argumento, τὸ *in Prætorio* iſtic interpretari *de Prætoriis cohortibus*, ſi modo aliunde oſtendi queat, *Prætorium* illo tempore habuiſſe eam quoque ſignificationem. Sed quid? ſi *In Prætorio* ſignificat nihil aliud quam *in tabernaculo Imperatoris*, vel, ut magis proprie loquitur Aſconius, *Prætoris, cui paret exercitus*: atque idcirco

circo apud Paulum non poteſt explicari per *Prætorias cohortes*, licet hæ cohortes in Urbem venerint ex Caſtris, ibi juxta illud Prætoris Tabernaculum ſemper tetenderint, ac ejus magna pars quotidie fuerint: qua ergo ratione, qua Analogia ſignificabit apud eum proprie, ut V. A. vult, *In Auditorio judiciali*, quod fuerit Romæ in Palatio Cæſarum ad diſceptandas iſtic omnis generis cauſas: licet uſus iſtius ſignificationis nullus omnino ſit, immo & res ſignificata, tale ſcil. Auditorium, in Palatio iſtius temporis vel ſeculi, nullo prorſus exemplo demonſtrari queat. Res abſurdiſſima! Sed dabitur deinceps de ea agendi locus.

CAP. VIII.

Probationem, quod Prætorium ſignificet cohortes Prætorianas, incumbere adfirmantibus. Refellitur argumentum ab analogia plurium Verborum metonymice corpus hominum ſignificantium.

D*ictum Juris eſt, Qui poſſidet, nunquam agit neque probat, ſed tuetur ſe commodo poſſeſſionis; quod* *hujus-*

hujuſmodi eſt, ut quamdiu alius contrarium non evicerit, poſſeſſio maneat ſuo loco. Prætorium ſignificare Tabernaculum Imperatoris non cohortes Prætorias, hæc vetus & indubitata loquendi poſſeſſio eſt. Cæſares Imperatores habuerunt ſuum Prætorium, igitur hoc debet eſſe Tabernaculum eorum, non cohortes militares: niſi admodum diſerte mutatio loquendi demonſtretur. Alioqui habemus aliam Juris regulam, Quod non eſt mutatum, cur ſtare prohibetur? *Plinius in* præfat. ad Titum, *qui fuit Præfectus Prætorio Patris ſui;* Et quod his, *inquit*, nobilius feciſti, dum illud Patri pariter & ordini Equeſtri præſtas, Præfectus Prætorii ejus. *Quid eſt civilius & uſitatius, quam de Tabernaculo Imperatoris dicere PRÆTORIUM EJUS: De cohortibus militum dicere,* Prætorium *Ejus, nego Latinum eſſe. Videamus, quomodo probetur contrarium, & teneamus, Evidentiſſimam oportere demonſtrationem eſſe, quæ nos veterem notiſſimamque*

vocis ſignificationem dimittere cogat. Probatio per argumenta cauſarum linguæ Latinæ adverſus uſum popularem & receptiſſimum non poteſt admitti. Audiamus tamen ex pag. 117. & ſeq. Nomina ſubſtantiva vel etiam Adjectiva frequenter accipiuntur collective pro numero & multitudine hominum. *Sic* Familia *ſignificat multitudinem* famulorum. *SERVITIUM multitudinem ſervorum. OFFICIUM pro officialibus. CONSILIUM pro Conſiliariis. AUDITORIUM pro multitudine auditorum. Hæc probantur in* pag. 117. 118. & 119. *Poſſum illis addere, MINISTERIUM, pro multitudine miniſtrorum. Lampridius in* Alex. Severo. Aulicum, *inquit*, miniſterium in id contraxit, ut eſſent tot homines in ſingulis officiis, quot neceſſitas poſtularet. *Hæc propoſitio & adſumtio. Familia ſignificat corpus famulorum, Servitium corpus ſervorum, Officium, officialium. Auditorium corpus auditorum. Quid inde? Ergo* Prætorium *corpus ſeu multitudinem Prætorum.*

Ac

Ac ita Prætorium nihil erit aliud, quam cœtus octodecim Prætorum, quos Romæ jus dixiſſe teſtis eſt Pomponius in l. 2. §. 34. D. de O. Jur. *At hoc nolo, dicet Vir Cl. Volo Prætorium ſignificare cohortes, milites, qui cuſtodiunt Prætorium. Imo vero, inquam, argumentum eſt rotundum. Famuli, Familia; Servi, Servitium; officiales, officium; Auditores, Auditorium; Miniſtri, Miniſterium: Ergo Prætores, Prætorium. Analogia ſermonis, unde Vir Cl. argumentatur, ita plane poſtulat. Sed tamen, erimus liberales; dabimus* Prætorium *aliquando per tropum ſignificare homines, qui ſunt in Prætorio; Quo pertinet Liviana locutio,* dimittere Prætorium, *id eſt, duces conſiliarios,* **den krijgſraedt**. *Quid hoc ad totam cohortem mille hominum & amplius? Quid hoc ad cohortes Cæſarum decem millium aut ferme: An hi Prætorium, id eſt, Cœtus in Prætorio congregatus erunt? apage* τὴν ἀκυρολογίαν, *in qua deſudat Vir Cl. pag.* 120. &c. *multumque ſe putat habere, quod Græ-*

ci cohortes Prætorias vocant una voce quandoque τὸ στρατιωτικὸν, τὸ δορυφορικὸν, id eſt, exercitum, ſtipatorum corpus. Ergo Latine vocantur PRÆTORIUM? ita Vir Cl. Sed longe aliter Henricus Stephanus, qui hæc verba Zoſimi lib. I. τὸ περὶ τὴν φυλακὴν τῶν βασιλέων πεταγμένον στρατιωτικὸν, *Latine vertit hoc modo*, Prætorii cuſtodiæ deſtinati milites. Τὸ στρατιωτικὸν *eſt*, corpus militum Prætorianorum, qui dicuntur ita, quoniam Prætorii cuſtodiæ ſunt deſtinati, *veriſſime ex uſu antiquo & more nunquam mutato.* Τὰ βασίλεια *ſunt Prætorium; duntaxat in eo loco fuit Prætorium, Unde Prætoriani milites, qui ad illud pertinebant.*

RESPONSIO
ad Cap. VIII.

Non eſt, B. L. quod mireris ad Cap. II. dixiſſe me, Virum A.
in

in controverſia hac de *Prætorio* & *Vero Loci Paulini ſenſu*, niti adverſus me iisdem principiis, quibus Romanenſes contra nos utuntur: atque adeo, ſi vixiſſet eo tempore, quo Majores noſtri Chriſtianam Religionem in priſtinam, ſed longo temporis tractu tunc jam obliteratam, inſtaurarunt formam, oppugnaturum fuiſſe ſumma opum vi omnes illos, qui a recepta tunc temporis S. Scripturæ interpretatione diſcrepare vel tantillum auderent. Vides etenim in prooemio hujus Capitis, etiam quod ad diſputandi methodum, qua in controverſiis literariis utendum cenſet, prorſus Eum inſiſtere veſtigiis Fratrum Waleburgiorum, qui inventa hac ipſa methodo multum ſe efferebant jactabantque, tanquam ſuis partibus utiliſſima. Nempe & illi Romanenſem Societatem *tuendam* dicebant *commodo poſſeſſionis. Veterem* ejus eſſe, & *indubitatam* ab aliquot jam ſeculis *poſſeſſionem* rerum, quæ nunc in controverſiam vocentur. Atque idcirco non poſſe re-

quiri ab ea, ut *agat*, vel *probet* ſua dogmata. Deſiderari quin immo à *Novatoribus*, ſeu Proteſtantibus, *ut contrarium* plane *evincant*. Id *quamdiu non fecerint*, & quidem *evidentiſſima demonſtratione*, *poſſeſſionem manere ſuo loco*. Confer cum his, vel potius recognoſce in his Viri A. verba, quibus heic adverſus me veluti clypeo quodam ſe munit: & gratulare, ſi videtur, Waleburgiis, exortum jam etiam inter Proteſtantes ipſos Celeberrimum JCtum ſimul, & Theologum, & Philoſophum, & Philologum, & κατ' ἐξοχὴν Dialecticum ac Syſtematicum, immo omnia, Ταπάντα, qui eorum diſputandi methodum in Remp. literariam non modo recipiat, ſed & publice probet, atque commendet. Ego vero, quamvis exiſtimem in controverſiis literariis, ubi agitur de Veritate, cui nulla præſcribere poteſt quantumvis longa opinionum poſſeſſio, non tam quæri, quid fiat, ſed quid fieri debeat, nec quid pro vero habeatur, ſed quid verum ſit:

in

in eaque ſententia putem eſſe omnes Eruditos, niſi qui non tam Veritatem in diſputando ſpectant, quam victoriam quoquo modo, vel ſibi proprie, vel ſuis partibus, obtinendam aucupantur; non tamen vel ſic vadimonium deſeram, ſed intentatam mihi litem etiam illa conditione lubens perſequar, ſatis certus, ſi modo æquos habeam Lectores, meam me *Prætorii* expoſitionem abunde iis approbaturum. Sed audiamus jam V. A. ex illa methodo ratiocinantem. *Vetus*, ait, *eſt loquendi poſſeſſio*, Prætorium *ſignificare Tabernaculum Imperatoris*, vel potius (ne quis in errorem incidat per ambiguum *Imperatoris* vocabulum) *Prætoris, cui paret exercitus. Atqui Cæſares habuerunt ſuum Prætorium. Igitur hoc debet eſſe Tabernaculum eorum, non Cohortes Militares*. Ita ille. Ego vero ſic: Atqui Julia Cæſaris Aug. F. & Gaji Seji uxor *habuerunt ſuum Prætorium*. Ergo *hoc debet eſſe caſtrenſe Tabernaculum*, non Villa. Non admittet V. A. hanc

concluſionem, ſed eadem eſt tamen vis conſequentiæ, atque idcirco admittere eam debet, niſi diſtinguere tandem diſcat tempus & locum in ſignificatione hujus vocabuli. Nempe in Caſtris ante & poſt Cæſares ſignicavit Tabernaculum illius, qui exercitui ſumma cum poteſtate præerat: in provinciis habitationem Præſidum; quoniam utrique appellabantur *Prætores*. At in Vrbe etiam Prætorias cohortes notare cœpit, poſtquam quidem Auguſtus eas ex Caſtris in Vrbem induxit, ſicut & in Agris eodem tempore demum præcipuas & ſumptuoſas maxime Villas. Quæ de *mutatione loquendi* nobis narrat, curabimus cap. XII. ubi iterum, ſed magis ex profeſſo, increpat me, quod ſentiam, *Prætorii* ſignificationem eſſe mutatam, quum nihil ſit a mea ſententia alienius. Exhibet deinde locum Plinii, quem attuleram Diſſ. I. §. 35. ubi dicitur Titus fuiſſe *Præfectus Prætorii ejus*, Patris ſcil. ſui. Heic V. A. *civile*, ait, *& uſitatum eſt, de Tabernaculo Imperatoris*

toris dicere PRÆTORIUM EJUS. *De cohortibus Militum dicere* Prætorium ejus, *nego Latinum eſſe.* Duras mihi partes videtur prædicare. Sed quid? Negat ergo ſimpliciter ſeu generatim, *Prætorium* ex Vſu linguæ ſignificare Prætorias cohortes? Bene eſt; pertractabimus ejus ſignificationis Analogiam hoc, at Vſum ſeq. Capite. An id vult, Latinitatem non ferre, ut Genitivus jungatur cum *Prætorio*, ſi maxime ſignificet Prætorias cohortes? Illud vero jam nunc falſiſſimum eſſe ajo. Nam ipſum illud, *Prætoria cohors*, tali modo apud Optimos Latinitatis Auctores conſtructum reperitur. Cicero Famil. X. 30. *Antonius eduxit cohortes Prætorias duas, alteram ſuam, alteram Silani.* Et mox ibidem, *Cohors Cæſaris prætoria.* Similiter in Inſcript. apud Gruterum XL. 9. *Miles cohortis Prætoriæ Antoninianæ* Immo & de ipſis *Præfectis* Lamprid. Alex. c. 2. *Præfectis prætorio ſuis imperat.* Et ita paſſim reliqui Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores.

Invadit porro V. A. partem illam Diſſ. II. qua Analogiam meæ interpretationis ex Lingua Latina pariter & Græca probavi. *Probatio*, inquit, *per argumenta cauſarum Linguæ Latinæ adverſus Vſum popularem & receptiſſimum non poteſt admitti.* Ego vero recipio hæc lubens, & obſervari omnino velim, ſæpius uſu ventura. Miror autem adferri ea, veluti adverſus me, quum nihil utique aſſeruerim contra *Vſum*, qui hic intelligi debet, Auguſtêæ ætatis Auctorum. Nam ſicuti in Diſſ. II. §. 8. & 9. *Analogiam* meæ interpretationis demonſtravi, ſic *Vſum* §. 10. usque ad 15. *exemplis*, ut ait V. A. *ad nauſeam usque accumulatis*. Neque etiam ex Analogia probare volui, *Prætorium* ſignificare Prætorias cohortes, ſed tantum, *Poſſe* eas ſignificare, qua de re Lector videat, velim, mea verba §. 8. extr. At Vir A. e contrario adverſus omnem Veteris Linguæ Vſum contendit, *Prætorium* in Vrbe ſignificare Palatium Cæſaris, & proprie

ejus

ejus partem judicialem. Nam ipſe fatetur, *Prætorii nomen de Cæſaris Aula rarius & fortean vix unquam apud Latinos Scriptores inveniri*, Comm. I. §. 6. Qua ergo probatione nititur? Non poteſt alia, quam Analogiæ, ſeu ea, quæ fit *per argumenta Cauſarum Linguæ Latinæ*. At juxta ipſum *talis probatio contra Vſum non poteſt admitti*. Ita ſuo ſibi gladio, h. e. ſuis verbis conficit ipſe & jugulat ſuam cauſam. Sed & inaniſſima eſt illa Analogia, qua uti debet. Si quam enim haberet vim, ſequeretur ex ea multo ſpecioſius, etiam Vrbanam Conſulum habitationem appellari debuiſſe *Prætorium*. Id ut liqueat, conferemus heic Viri A. Analogicam ratiocinationem, & quam Ego illi addam. *Prætorium* in Caſtris abſolute ita dictum per Ellipſin pro *Prætorio tabernaculo*, ſignificat *Tabernaculum ejus Magiſtratus, cui paret exercitus, qui apellabatur Prætor*. Verba ſunt ipſa Aſconii, ex quibus V. A. Lectori identidem ingerit, *Veterem eſſe*

loquendi

loquendi poſſeſſionem, *quod Prætorium ſignificet Tabernaculum Imperatoris*. Hinc jam ſequitur ex illius ſententia, etiam Palatium ſeu Vrbanam Cæſarum Imperatorum habitationem dictam *Prætorium*. Quamvis primum a *Tabernaculo*, quod Caſtrenſe eſt, nulla ſit conſequentia ad Vrbanam habitationem; Dein neque Cæſares illi unquam appellati fuerint *Prætores*, vocabulum, quo tunc Legati ipſorum ab illis in Provincias & exercitus miſſi ornabantur: immo neque *Imperatores* reſpectu Vrbis aut Civium: Notum enim eſt illud Tiberii, ſe *Dominum eſſe Servorum, Imperatorem Militum, Principem Civium*. Denique quamvis neutiquam conveniens ſit, ut Cæſarum mere Vrbana habitatio, in qua habitabant inter Cives ſuos, & potiſſimum tanquam Pontifices Maximi, denominationem ſuam acceperit ab illa *Imperatoris* appellatione, quam habebant non Civium, ſed Militum reſpectu, utpote perpetui Proconſules aliquot Provinciarum. Huic vero Analogiæ

pro

pro Cæſaribus, quæ tot difficultatibus laborat, ſubjungemus jam, ut dictum eſt, illam, quæ etiam Conſulibus, multo certe majori ſpecie ac jure, *Prætorium* aſſeret. Nempe ex præmiſſa Viri A. & Aſconii poſitione, quam retinemus, ſequetur ergo eadem vi conſequentiæ, *Conſules, qui initio* in Vrbe etiam *Prætores dicebantur, qui bella adminiſtrabant ipſi, & quorum Tabernaculum quoque dicebatur Prætorium.* (verba ſunt ipſa Feſti in V. Prætoria porta) habuiſſe etiam ſuam in Vrbe habitationem iſthac *Prætorii* appellatione ornatam. Reddat jam rationem V. A. quare hæ Conſulum habitationes minus appellatæ fuerint, aut appellari debeant *Prætorium*, quam Cæſarum, quum utriuſque eadem prorſus ſit Analogia, & idem Vſus, h. e. utriuſque nullus omnino. Ecce vero & aliud, longe inſuper ſpecioſius & validius, ſi qua vis iſtius Analogiæ. *Quæſtorium* in Caſtris abſolute ſignificabat Tabernaculum Quæſtoris. Liv. X. 32. *Itaque captum* (ab hoſtibus) *Quæſtorium, Quæſtorque ibi*

ibi L. Opimius Panſa occiſus; Conſul tumultu excitus cohortes duas tueri Prætorium jubet. Ergo jam in Vrbe quoque habitatio Quæſtorum dicta fuit *Quæſtorium.* Hoc vero quum falſiſſimum ſit, certum quoque eſt, nullam ineſſe vim argumentandi in tali Analogia ad probandam illam *Prætorii* ſignificationem, quam V. A. tuetur, Vſu deſtitutam.

Meæ vero Analogiæ non alia fuit ratio, quam ut oſtenderem per complura Singularis Numeri vocabula, multitudinem hominum deſignantia, etiam hoc *Prætorium* ſatis ἀναλόγως poſſe explicari per Milites prætoriarum cohortium, ſicuti id Vſus vocabuli de re Vrbana adhibiti poſtulat. Sed heic argutatur V. A. *Familia,* ait, *ſignificat corpus famulorum, Servitium ſervorum* &c. *Ergo* Prætorium *corpus ſeu multitudinem Prætorum.* Foret hoc Verum, ſi ſola absque Vſu ſufficeret Analogia ad ſignificationes vocabulorum conſtituendas: neque hiſcerem contra, ſi quando *Prætorium* occurreret

urreret tali ſenſu apud Veteres, h. e. alibus in locis, in quibus de cœtu aut Collegio Prætorum agitur. At vero, uum id nusquam fiat, neque unquam e re Vrbana adhibitum inveniatur, iſi poſtquam Prætoriæ cohortes in Vrbem ſunt ab Auguſto inductæ: neque uſquam aliter, quam ut, quod ad enſum, revera notet prætorias cohortes; ſtultum utique foret, aliter illud vocaoulum in re Vrbana interpretari, quam, it jubet Vſus, de illis cohortibus, maxime ſi etiam Analogia illam interpretaionem admittat. Admittere autem liquet ex τῷ *Conſilium*, quod, Vſu exigene, non Conſules, ſed Conſiliarios ſignificat, itidem ut *Prætorium* notat, eodem Vſu volente, non Prætores, ſed Prætorianos Milites, & *Auxilium* Auxiliarios. Sed miſſa Generali hac Analogia, quæ conſiſtit in Subſtantivis Singularibus multitudinem hominum denotantibus, Specialem nos jam inſuper iſtius proprie ſignificationis in hoc vocabulo variis rationibus adſtruemus. Etenim *Prætorii* epitheto

inſig-

inſignitur omne illud, quod eſt prætoriarum cohortium. Non tantum enim dicitur, *Prætoria cohors*, *Prætoriæ cohortes*, ſed & *Prætorium Caſtrum*, *Prætoria Caſtra*, Immo & *Prætoriæ Coloniæ*, in quas Veterani prætoriarum cohortium miſſi. Talis fuit *Salaſſorum Auguſta Prætoria*, Plin. N. Hiſt. III. 17. Confer Dionem Lib. LIII. Eadem ergo ratione & *Prætorium* ipſum Prætoriarum cohortium corpus ſeu τάγμα appellatum videtur, ſed ita, ut Vſu ipſo tandem Subſtantive acceptum fuerit, ſicuti etiam fit, quando Villam notat, immo & homines ſummi Ducis lateri hærentes, ſeu Amicos, ſeu Comites ejus & ſtipatores. Quo ſenſu uſurpavit id vocabulum Livius XXI. 54. de Comitibus Hannibalis ad explorandum locum quendam profecti. Accedit, quod Græci eadem loquendi ratione illud prætoriarum cohortium corpus appellarint non modo τὸ δορυφορικὸν, ſed & τὸ ςρατηγικὸν: Id quod callide omittit V. A. dum illud memorat; quia ſci-

ſcilicet hoc maxime convenit cum *Prætorio* Latinorum, immo a Græcis proprie videtur formatum ad exprimendum omni parte Latinum illud *Prætorii* vocabulum. Nam ſicuti *Prætor* Græcis στρατηγὸς, *Prætorius* στρατηγικὸς, *Prætoriæ cohortes* στρατηγικαὶ σπεῖραι, ſic plane & *Prætorium* de illo Prætoriarum cohortium corpore, τὸ στρατηγικόν. Quare quum reperiamus hocce vocabulum apud Græcos Scriptores in rebus Vrbis Romæ memorandis iſthoc ſenſu clariſſime poſitum; quum idem illud omni alia parte ſuæ ſignificationis ab origine ſua repetitæ, perque omnes gradus, conveniat cum τῷ *Prætorium*; quum denique Latinum hocce vocabulum de re Vrbana nuſquam occurrat adhibitum, niſi de Prætoriis cohortibus, τῷ στρατηγικῷ τάγματι; quis non ex his omnibus colligat certiſſimam iſtius ſignificationis Analogiam in vocabulis *Prætorii* & τοῦ στρατηγικοῦ, non forma ſolum Grammatica, ac derivationum ratione, ſed & Vſu in eandem rem denotandam convenientibus? Sed præter

hanc, etiam aliam, neque minus commodam, habemus a *Prætorio Tabernaculo*, vel à *Prætorio Caſtro* arceſſitam. Frequens enim eſt in omnibus Linguis, ut nomina Locorum accipiant etiam ſignificationem hominum, qui vel iſtis locis comprehenduntur, vel in iis verſari ſolent. Sic *Auditorium* ſæpe notat ipſos Auditores; *Principia*, ipſos Milites, qui in Principiis erant, aut eſſe ſolebant. Treb. Poll. XXX. Tyran. cap. 10. *Cum alia die mane proceſſiſſet, a Principiis Imperator eſt ſalutatus.* Immo ipſum illud *Prætorium* pro hominibus, qui in Prætorio Caſtrenſi verſabantur, poſitum fuiſſe Veteribus, & nos in Diſſ. II. probavimus, & largitur V. A. An ergo ἀκυρολογία eſt, ſi quis eadem prorſus ratione, ſicut iſti homines, qui in *Prætorio Tabernaculo* ad illud tempus agitabant, *Prætorium* fuerunt appellati: ſic & Milites, qui in perpetuum habitabant ac degebant in *Prætorio Caſtro*, eadem voce deſignatos cenſeat; Vel etiam Milites Prætoriarum cohortium jam in

Caſtris,

Caſtris, ubi tendebant juxta *Prætorium Tabernaculum*, ubi quotidie in eo verſabantur & excubabant, ac ejus potiſſima pars erant, iſtam *Prætorii* appellationem accepiſſe, & ſecum ex Caſtris in Vrbem, æque ac *Prætoriarum cohortium*, intuliſſe? Certe neutiquam minor eſt ratio iſtius appellationis in Prætorianis Militibus, ita utique dictis, *quod a Prætore non diſcederent*: quam in illis Amicis & Comitibus Prætoris, in Prætorio item, ſed non ita perpetim, verſari ſolitis. Accedit, quod utrique, & hi Amici, & illi Milites, ſicut in *Prætorii*, ſic & in *Prætoriæ cohortis* appellationem conveniſſe deprehenduntur. Quemadmodum enim apud Suetonium ſæpe Cæſaribus tribuitur *cohors Amicorum*, ſic & Prætorum in Provinciis Amici & Comites dicebantur olim etiam *cohors Prætoria*: Cicero ad Q. Fr. I 1. *Quos vero aut ex domeſticis Convictoribus, aut ex neceſſariis apparitoribus tecum eſſe voluiſti, qui quaſi ex Cohorte Prætoris ap-*

pellari ſolent. Hinc Aſconius in laudatis ſæpius verbis apud Ciceronem *Cohortem Prætoriam* interpretatur *Comites Conſulares*. Sed, dicet V. A. non reperiri tamen ante Cæſares *Prætorii* vocabulum manifeſte pro Prætoria militum cohorte poſitum. At neque reperitur usquam illo tempore *Prætoriani* vocabulum, licet prætoriæ cohortis Miles non tamen potuerit uno vocabulo aliter dici, quam *Prætorianus*. Cauſa utriuſque rei in promptu eſt. Nempe in Caſtris ante Cæſares, ne quidem decima erat pars prætoriarum cohortium ſeu Militum Prætorianorum, qui quidem ſub illis fuerunt deinceps in Vrbe: atque adeo non potuit tunc temporis eſſe tanta & tam frequens occaſio eos memorandi, quanta quidem poſtea fuit. Porro etiam longe diligentius annotata ſunt ab Auctoribus, quæ in Vrbe acciderunt, quam quæ in Caſtris; ut proinde nihil mirum ſit, ejusdem rei vocabula, licet illa æque forſan fuerint in Caſtris, ac in Vrbe, uſitata, magis tamen repe-

reperiri apud Veteres Vrbanis in Hiſtoriis, quam in Caſtrenſibus. Ceterum ex his omnibus nec volo, nec volui, probare Prætorias cohortes *Latine vocari Prætorium*, ut ait V. A. ſed per Analogiam Linguæ ſatis commode & uſitate ſic *potuiſſe vocari*. Quod ſic revera vocatæ ſint, Vſu ipſo, & exemplis *ad nauſeam usque* declaravimus. Quod Stephanus verba Zoſimi, τὴν φυλακὴν τῶν βασιλέων, vertit *Prætorii cuſtodiam*, nihil ad me attinet, nihilque probat. Erravit ille cum V. A. & aliis, qui ſine ullis documentis docuerunt & crediderunt, Palatium quoque appellatum fuiſſe *Prætorium*.

CAP. IX.

Ex locis, in quibus habetur, miles e Prætorio, in Prætorium adſcitus, acceptus, minime ſequi, Prætorium eſſe ipſas cohortes Prætorias, idque ratione & exemplo declaratur.

Sic eſt igitur; Prætoriani milites ad Prætorium & ad Aulam pertinebant, unde etiam Aulici dicti ſunt,

αὐλικοὶ καὶ ϛρατηγικοί, Aulici & Prætoriani. Plutarch. in Galb. *ut Aulam & Prætorium cuſtodirent unice conſtituti. Illic omnes per vices agebant, ad Prætorium & Aulam ſe pertinere, adeoque in Prætorium adſciti, ex illo ſe eſſe prædicabant: Unde nomen & decus omne habebant. Etiam illic in numeros cohortium Prætorianarum ſine dubio relati ſunt, ipſique numeri illic cuſtodiebantur. Male mea verba* de numeris *accipit Vir Cl.* pag. 130. *quaſi deberem intelligere numeros ſingularum cohortium per vices in Aula excubantium, numerique omnes in unum corpus coacti Caſtris contenti fuiſſent. Intellexi numeros omnium cohortium Prætorianarum, qui in Aula cuſtodiebantur; numeri ſunt Catalogus &* matricula *quam dicunt. Hinc in numeros referri dicuntur milites, quando jure militari cenſeri incipiunt apud Ulpianum in* l. 42. d. Teſtam. mil. & *quamdiu in numeris manent eodem jure fruuntur* l. 4. d. tit. *Hos numeros in Aula penes ſe habuit*

buit Alexander Severus teſte Lampridio in ejus vita, *nec potuerunt eſſe* alibi: *proinde qui erant in illis numeris recte dicebantur milites ex Aula, ex Prætorio: Cum in iſtos numeros referrentur, adſciſcebantur in Prætorium: ut ad illud pertinerent, ibique ſtationes vigiliasque peragerent. Tales intelligimus veteranos e Prætorio apud Sueton. in* Ner. cap. 9. & *Tacitum* II. hiſtor. II. *atque in vetuſtis inſcriptionibus paſſim, quos Vir Cl. prolixe recenſet. Hoc ſenſu Tribuni, Centurionesque Prætorii apud Sueton.* Ner. cap. 47. *iidemque Prætoriani. Nam hi omnes ad Prætorium pertinebant, in illud adſciti, in illud accepti, ut apud Tacitum* I. Hiſt. 20. IV. Hiſt. 46. *in quibus Vir Cl. genuinum pene frangit in* pag. 130. & *ſeqq. accumulatis ad nauſeam locis idem ingeminantibus: ſed inde non fuerunt, nec usquam dicuntur* ipſum Prætorium, *quod in hac diſputatione probatu neceſſarium eſt; ſicut nos probavimus, Prætorium eſſe*

 Ta-

Tabernaculum Imperatoris. Nunquam legimus, nec Latine poteſt dici, fuit in Prætorio, Iverunt ad Prætorium, id eſt, ad Caſtra cohortesve Prætorias. Claudius legitur in Caſtra delatus. Sueton. Claud. cap. 10. *Occupavit Otho Caſtra* Galb. cap. 19. *Pergere in Caſtra, Tacitus* An 15. cap. 59. *Nego Latine dici poſſe, Raptus eſt Otho in Prætorium. Delatus eſt Claudius in Prætorium. Non fuiſsent intellecti Tacitus & Suetonius, ſi hac voce caſtra deſignaviſſent. Atqui Paulus ita loquitur, IN PRÆTORIO, id eſt,* in Caſtris. *Proferatur ullus apex antiquitatis, qui ferat ejusmodi locutionem. Probatum eſt, IN PRÆTORIO Latine dici,* in tabernaculo Imperatoris, *quod Paulus intellexit, quale tunc erat Imperatori. Quiſquamne dicere ſuſtineret Latine gnarus; Auguſtus Prætorium ſuum diffuſum habuit per urbem; Prætorium collocavit extra urbem, quod utrumque de cohortibus Prætorianis verum eſt? Quanto melior interpretatio noſtra ſimpliciſſima, ex ipſis Veteribus deſump-*

ſumpta. Aulicos milites *dici* ex Aula, *Prætorianos deſignari* ex Prætorio, *nec tamen illos milites eſſe Aulam*, Prætorium. *In officium cuſtodiendi Prætorii adſumptos, dicunt* in Prætorium adſcitos, acceptos; *Quæ civilior eſſe poteſt tranſlatio? Demus exemplum, quod eſt ob oculos. Budæus, Mornacius, Petrus Faber, eruditionis antiquariæ profeſſi homines, Præfectum Prætorio Cæſarum rectiſſime comparant cum Magiſtro palatii, qui fuit olim in Francia; ut deinde videbimus. Habent hodieque Reges Franciæ, ut omnes alii, cohortes Palatio cuſtodiendo deſtinatas, quæ ſunt Prætorianæ; Et quas vocant:* cohortes Domus Regiæ: de la Maiſon du Roy. *Qui ſunt in illarum numeris, ſunt* milites domus Regiæ. *Deſignantur* e domo Regia: *Conſcribuntur* in domum Regiam. *In illam* adſciſcuntur, accipiuntur: *At vero, quam ſe ridiculos præberent, qui nunc* cohortes domus Regiæ, *vocarent ipſam* domum Regiam, *tam inepti fuiſſent Romæ,*

qui Prætorianos milites Prætorium *deſignare inſtituiſſent. Jam mihi poſt aliquot ſecula pone literatorem argumentantem? Extant inſcriptiones hujuſmodi*, miles e domo Regia. Soldat de la maiſon du Roy: *multæ ſint tales; Alibi ſic habeatur*, Miles, centurio, tribunus cohortium domus Regiæ. *Eodem modo adſcribi* in corpus cohortium domus Regiæ, & *præciſe*, domus Regiæ. *Concludat igitur*, Ergo cohortes domus Regiæ *ſunt* ipſa domus Regia: *non opus eſſe alia probatione, Solem negare lucere, qui dubitet cohortes ſive corpus militum domus Regiæ eſſe ipſam domum Regiam. Hæc ſi nemo ſanus jam probat: quis eodem prorſus argumento nos adiget, ut ex his verbis, miles* è prætorio, milites in Prætorium adſciti, accepti, e Prætorio exauctorati *rem abſurdiſſimam nullique Latinorum unquam, ut novus auctor ipſe fatetur, dictam, ſcriptam ſtatuat*, cohortes Prætorias eſſe ipſum Prætorium? *Incredibile ſit, homines ingenio & lectionis varietate*

tam

ram præfracte contra ſani regulas judicii, ſine quo nihil eruditionis non eſt inſulſum, abuti perſeverare poſſe, totiesque inſtare ſine fine modoque, τὸ στρατιωτικὸν, τὸ δορυφορικὸν, ſignificare corpus militum Prætorianorum, ideoque vertendum eſſe Prætorium? *quod Doctiſſimi Interpretes contra verterunt, & quo nullum ineptius τὸ ἐν ἀρχῇ αἴτημα poteſt urgeri. Nec e Taciti loco* 1. Hiſt. 20. *quem Vir Cl. inprimis urget* pag. 139. *præcipui quicquam elici poteſt.* Exauctorati per eos dies e Prætorio Antonius Taurus & Antonius Naſo, ex Vrbanis cohortibus Æmilius Pacenſis, e Vigiliis Julius Fronto. *Poſtquam* adſciſci in Prætorium, eſſe e Prætorio, *ſalvo vetere ſenſu, demonſtratum eſt,* exauctorari è Prætorio, *id eſt, expungi e numeris qui erant in Prætorio, alienari e Prætorio, ad quod pertinebant, nihil habet difficultatis. Res eſt eadem, exauctorari e Prætorio & cohortibus Prætoriis; Sed non ideo cohortes Prætoriæ ſunt ipſum Prætorium. nihilo magis, quam, cum miles*

exaucto-

exauctoratus e domo Regis vel ex cohortibus regiæ domus dicitur, ut inde colligas, cohortes domus & domum eſſe rem eandem. Quod ſi e Prætorio exauctorari, ſit idem cum, exauctorari e cohortibus Prætoriis, oppoſitio cohortium urbanarum & vigiliarum in laudato loco nihil inferet mutationis. Nec eſt, quod vigiliæ *quicquam inexpectati adferant.* Etſi Vir Cl. Porro autem, annon eadem prorſus loquendi ratio in τῷ Prætorio, quæ eſt in τῷ Vigiliis? Et hoc quidem vocabulum an non certiſſime a Tacito pro cohortibus Vigilum, eorumve corpore adhibetur? Quæ igitur ratio, imo ſpecies dari poteſt, quare non eodem modo exponatur Prætorium; *Deliciæ mehercle dialectices? Sic potius diceres Vigiliæ ſumuntur pro vigilibus, pro corpore vigilum. Ergo & Prætorium pro Prætoribus aut corpore Prætorum. An cum vigiliæ nihil aliud quam vigilum cohortes ibi denotare poſſint, quiſquam Prætorium, quod ab antiquiſſimis uſque tem-*

po-

poribus Tabernaculum Imperatoris ſignificavit, de ipſis cohortibus accipiendum putabit? Hoc igitur nihili tranſeat, omnis argumenti vis in verbis e Prætorio *conſiſtit, quibus toties ſatisfactum eſt.*

RESPONSIO
ad Cap. IX.

Excutiemus jam præcipuum controverſiæ noſtræ Caput, acturi quippe de Vſu ipſo Vocis dubiæ, & allegatis a me Veterum exemplis, in quibus memorata occurrit. Non eſt enim, ut ea a V. A. exſpectemus, quippe quæ nec ulla uſquam ab ipſo dantur, nec ulla ſunt. Multus tamen eſt in hoc Capite, non Rebus, ſed Verbis, ut obviam & ultro ſe ingerentem, Veram Locorum expoſitionem eludat, duriſſimam contra & contortiſſimam, quam ipſe iis dare cogitur, aliquo colore & offuciis, licet longiſſime petitis, velet & exornet. Neque interim veretur in me invehi,

invehi, ut qui *Lectionis Varietate perſeverem præfracte & inſulſe abuti contra ſani judicii regulas*, immo *urgeam petitionem principii*, *qua nulla ſit ineptior*. Scilicet velle me ait, τὸ δορυφορικὸν Græcis *ſignificare corpus militum Prætorianorum*, quod tamen nec ipſe, opinor, negabit, *atque ideo vertendum eſſe* Prætorium. Ego vero nusquam illa verſione in vicem argumenti alicujus ſum uſus ad probandam ipſam *Prætorii* ſignificationem. Contuli tantum ad declarandam Grammatices Analogiam τὸ δορυφορικὸν cum τῷ *Prætorio*, utpote idem cum eo, quod ad ſignificationem, ex mea *Prætorii* interpretatione, ſicuti manifeſte eſt, quod ad rationem utriusque Grammaticam. Atque idcirco ipſe etiam per τὸ *Prætorium* reddidi, ſed addito, *ut hoc a me accipitur pro corpore militum* §. XI. extr. At vero V. A. toto hoc Capite, tanquam rem confeſſam, ſeu in quam utrimque conveniamus, aſſumit, quod *Prætorium* ſignificet Palatium, ſeu Vrbanam Cæſarum habitationem,

& ex

& ex eo eludere conatur omnia allata a me *Prætorii* exempla, tanquam quæ explicari queant, & idcirco explicanda ſint, licet per longiſſimas ſane figuras ac tropos, de Palatio; quum tamen eam *Prætorii* ſignificationem a me negari, ejusve probationem flagitari non ignoret, & de ea conſtare prius debeat, quam ex ea tam duriter figuratæ interpretationes admitti queant. Qua in re clariſſima eſt Principii petitio, ut quo ſine ulla probatione tamen utitur ad meam Locorum a me allatorum interpretationem evertendam. Ceterum nos, his miſſis, rem ipſam potius aggrediamur, quæ conſiſtit in ipſo Vocabuli Controverſi Vſu, & proinde Re facti, h. e. utrum Veteres in Lingua ſua adhibuerint vocabulum *Prætorii* in ſignificatu Palatii, an vero Prætoriarum Cohortium. Hoc enim eſt præcipuum, immo Vnicum, controverſiæ noſtræ κρινόμενον, ſed quod non aliter probari poteſt, quam exemplis ex Veterum Vſu petitis. Ea vero nulla adfert V. A. in ſuæ interpre-

pretationis probationem, immo fatetur *fortean vix unquam apud Latinos Scriptores* Prætorii *nomen de Cæſaris Aula inveniri*, & tamen omnia a me allata, & *ad nauſeam usque*, ut ait, *accumulata* loca, in quibus illud vocabulum in ſenſum *Prætoriarum cohortium* determinatur, de *Palatio* explicanda dictat, At quæſo Te, Lector, quo argumento? Non utique Vſu, qui & ab ipſo negatur: non ſimilibus exemplis, quæ nulla adferuntur: non probata Vocabuli in talem ſenſum determinatione, quæ nusquam reperitur. At quæ alia poteſt eſſe juſta ſatis probatio affirmandi, *Prætorium* ſignificaviſſe in veteri Latinorum Lingua Palatium, niſi locis ipſis oſtendatur *factum* id revera eſſe, ut Veteres Latini in hunc ſenſum vocabulum illud unquam adhibuerint? Supereſt nihil, niſi ut confugiat V. A. ad Analogiam Vſu deſtitutam, licet Vſus ille, ſi fuiſſet Veteribus, debuiſſet propter infinitas ejus occaſiones eſſe frequentiſſimus. At vero *probatio per argu-*

men-

menta cauſarum Linguæ Latinæ (h. e. quare in Lingua Latina vocabulum aliquod poſſit hoc vel illud ſignificare) *adverſus Vſum non poteſt admitti*, ut ipſe ſupra pronunciavit. Sed & *argumentum cauſæ*, quo utitur, ut probet ſuam iſtius Vocabuli interpretationem, eſt ineptiſſimum. *Prætorium*, ait, ſignificat in Caſtris Tabernaculum *Prætoris*, qui erat in Caſtris ſummus Dux, ſeu Imperator. Porro Cæſares Romanorum erant in Caſtris & Bellis ſummi Duces & Imperatores. Ergo eorum quoque Urbana habitatio appellata fuit Caſtrenſi vocabulo *Prætorium*. Quæ quæſo iſtius argumenti conſequentia? Certe V. A. ſi eam non poterat ex re ipſa, h. e. Factis & Vſu illius appellationis demonſtrando, probare, probare ſaltem debuiſſet ex rebus conjunctis vel ſimilibus: ſeu oſtendere ſaltem, ſicuti ſummi Duces in Caſtris appellantur *Prætores*, & inde Tabernaculum eorum *Prætorium*: ſic & Cæſares in Vrbe appellatos unquam fuiſſe *Prætores*, ut inde Palatium aliqua Analogiæ ratione poſſet item

 appel-

appellari *Prætorium*; Vel, ſicuti Cæſarum habitationem Urbanam vult deſignatam Caſtrenſi vocabulo, quia erant illi exercituum Romanorum ſummi Duces: ſic & olim in libera Rep eadem voce inſignitas unquam fuiſſe Conſulum Urbanas habitationes, quippe qui & ipſi æque ac Cæſares, fuerant ſemper ſummi in Bellis Romanorum Duces; Vel etiam Quæſtorum domicilia in Vrbe ex Caſtris traxiſſe appellationem *Quæſtorii*, itidem ut Cæſarum inde traxiſſe vult *Prætorii*. Si quicquam horum probaſſet, ſpeciem ſaltem aliquam addidiſſet ſuæ Interpretationi, atque ejus Analogiæ. Sed cum nihil horum præſtiterit, aut præſtare queat, atque adeo Interpretatio ipſius non modo omni Vſu, ſed & Similibus exemplis, immo & omni Veri ſpecie prorſus careat, rogo Te, Lector, annon hæc vere ſit *Inſulſa* plane pervicacia, *tam præfracte contra ſani regulas judicii*, ſine ulla probatione aut veriſimilitudine affirmare rem Facti adverſus allata in contrarium exempla,

&

x demonſtratum Facti iſtius Uſum aliter ſe habentis: immo vero quam plurima Veterum loca, *ad nauſeam uſque*, ut ait, *accumulata*, in quibus omnibus *Prætorii* vox determinatur in ſignificationem Prætoriarum cohortium, negare tamen de iis exponenda, & contendere omni modo interpretanda de Palatio, licet in iſtam ſignificationem nunquam & nuſquam controverſa illa Vox a Veteribus definita reperiatur. Inficias certe iri non poteſt, *Prætorii* vocabulum ad deſignandas unice Prætorias cohortes frequenter adhiberi: ſiquidem certum eſt, *Præfectos Prætorio* fuiſſe revera & ab ipſo iſtius muneris initio *præfectos Prætoriis cohortibus*, eâque ſæpius, nunquam autem *Palatii* aut *Aulæ* appellatione apud Latinos Scriptores denotari: Porro *Veteranos* & *Milites e Prætorio* fuiſſe vere & proprie ex Prætoriis cohortibus: *Tribunos & Centuriones Prætorii* fuiſſe Tribunos & Cent. Prætoriarum cohortium: Qui dicuntur *petiviſſe Prætorianam militiam*, & proinde tan-

dem *accepti in Prætorium*, fuiſſe acceptos in Prætorias cohortes: Qui memorantur *Militaviſſe in Prætorio*, *Trajecti ex Legione IV. & IX. Tralati ex Leg. XXII. in Prætorium*, revera militaviſſe in Prætoriarum cohortium corpore, & in illud idem corpus trajectos tralatoſque: Denique qui dicuntur *Exauctorati e Prætorio*, ſicut Alii *ex Vrbanis cohortibus*, Alii *ex Vigiliis*, fuiſſe omnino & ſpeciatim exauctoratos e prætoriis cohortibus. Quin immo fateri ipſe V. A. cogitur, *rem eſſe eandem*, *Exauctorari e Prætorio*, & *e Prætoriis cohortibus*. Et tamen addit, *non ideo Cohortes Prætorias eſſe ipſum Prætorium*, h. e. *Prætorii* vocabulo Latinis deſignari. Sed quare non, obſecro? Scilicet, quia aliter videtur Viro A. Ceteroquin enim, ſi rationibus aut argumentis mecum agere voluiſſet, aut potuiſſet; haud dubie, quando negat interpretationem vocabuli tot Veterum locis probatam, oſtendiſſet, non quidem *ad nauſeam uſque*, (neque

que enim id deſidero) ſed uno ſaltem aut altero, immo vel unico exemplo, vocabulum illud, non dicam proprie in *Palatii*, aut *Judicialis Auditorii*, ſed in ullius alterius rei, quam *Prætoriarum cohortium*, ſignificationem fuiſſe uſquam deſinitum aut circumſcriptum. Id vero quum nuſquam fecerit: quin immo, quum nunquam *Prætorii* vox apud Scriptores Vetuſtos adhibita legatur de alia re Vrbana, quam de Prætoriis cohortibus: quum contra in Vnam hanc Vrbanæ rei ſignificationem multis locis reperiatur determinata: quum inſuper *Prætoriani* vocabulum, quod V. A. a *Prætorio* formatum cenſet, nihil aliud, quam Milites Prætoriarum cohortium notet, nunquam Aulicos, aut Palatinos Cæſarum Miniſtros: quum e contrario, ſi *Prætorium* ſignificaſſet olim Palatium, reperturi fuiſſemus haud dubie illa *Prætorii* & *Prætorianorum* vocabula etiam directe ſeu proxime de Palatio, & Palatinis uſurpata, vel ſaltem etiam aliis

in locis, quam in quibus unice de Prætoriis cohortibus agitur: quum denique vera hæc ſit & certiſſima conſtituendæ vocabulorum ſignificaficationis ratio: quis præter V. A. negare auſit aut velit, *Prætorium* ergo in Vrbe ſignificaſſe olim potius Prætorias cohortes, quam Palatium, aut ejus partem Iudicialem. Comminiſcitur tamen quaſdam hujus vocabuli locutiones, quarum me exemplum adferre jubet is, qui nullius plane locutionis exemplo ſuam interpretationem firmare poteſt. Quaſi vero a me, ut omnes omnino locutiones, quas aliquis comminiſci queat, in rariore vocabulo ex Antiquis Scriptoribus oſtendam, flagitari ulla juris ſpecie queat. Sufficit haud dubie æquo Lectori, ad meam controverſi vocabuli Interpretationem amplectendam, quod illud in eam ſententiam quam plurimis locis *ad nauſeam uſque* adhibitum demonſtraverim: contra Vir A. in nullam plane aliam id uſquam definitum allegaverit, aut allegare potuerit.

Ce-

Ceterum operæ pretium eſt, ut tamen videamus, quomodo omnes locutiones a me ex Veteribus allatas, in quibus manifeſte per *Prætorium* deſignantur Prætoriæ cohortes, ille tamen explicuerit de Palatio. *Prætorium* dictat ſignificare Palatium, vel ejus partem Judicialem; ex hoc *Prætorio* appellari Milites *Prætorianos*, ſicut & *Aulicos* ex *Aula*, quia pertinuerint ad *Aulam* ſeu *Prætorium*, & quia unice, ut *Prætorium* ſeu *Aulam* cuſtodirent, fuerint inſtituti: immo &, quia in Numeros in Prætorio iſthoc ſeu Palatio ſine dubio fuerint relati, & hi numeri iſtic cuſtoditi. Ergo & hinc Prætorianos illos Milites dici poſſe *Milites ex Prætorio*, h. e. Aula, *Adſcitos, acceptos, relatos, trajectos ex Legionibus in Prætorium, Exauctoratos e Prætorio*, h. e. ut ait, ex illis Numeris, qui ſervabantur in Aula, vel ex officio cuſtodiendæ Aulæ. Sed primo falſum eſt, *Prætorianos* Milites proprie, ut Aulam Cæſarum cuſtodirent, fuiſſe inſtitutos, & ex ea itaque nominatos. Nam

ſi maxime a vocabulo *Prætorium* nomen illi ſuum accepiſſent, debuiſſent vel ſic non ab Aula Auguſti in Urbe, ſed a Caſtrenſi ejus Tabernaculo id aceepiſſe. Nec enim in Urbe jam degens, Rep. ordinata, eos milites inſtituit, ut Palatium cuſtodirent: ſed ex Caſtris & ex bellis Civilibus, quum Remp. conſtituere vellet, ſecum eos in Vrbem induxit, ut Se in illis maxime initiis firmandæ Monarchiæ tuerentur. Porro autem plures unius Ducis *Prætorias cohortes* (quum in libera Rep. ſinguli Duces habuiſſent ſingulas, ſicuti patet ex prælio Mutinenſi) non primus aut ſolus Auguſtus, ſed Triumviri ſibi jam videntur inſtituiſſe, quum oppreſſiſſent Remp. Caſſiumque ac Brutum viciſſent, quia multum illi eminere ſtatim volebant ſuper reliquos exercituum Duces. Patet id ex Appiano Bel. Civ. V. n. 672. *Dimiſerunt*, ſcil. Antonius & Octavianus poſt prælium Philippenſe, *ex militia illos, qui juſtum tempus militaverant, præter octo millia hominum, quos rogantes, ut ſibi diutius*

lice-

ceret *ſub iis militare, receperunt* *diſcripſerunt* ἐς ϛρατηγίδας τάξεις, *Prætorias cohortes.* Obſerva nu-erum, obſerva tempus, & diſce jam xtrà Romam, antequam unus rerum otiretur Octavianus Auguſtus, ha-uiſſe Triumviros ϛρατηγίδας τάξεις, & agno numero Prætorianos Milites. l quod & ex eo confirmatur, quod ctavia Auguſti ſoror dicitur apud lutarch. in Antonio, adduxiſſe ad eum Italia ἐπιλέκτους ϛρατιώτας διχιλίους εἰς ρατηγικὰς σπείρας, *in Prætoriarum co-rtium ſupplementum duo millia ſe-ctorum militum.* Hos ergo Prætoria-m cohortium tanto jam numero Mi-tes Auguſtus vel ſtatim poſt oppreſ-m Remp. & victas Pompejanæ fa-ionis reliquias a Triumviris, vel quum m ſolus rerum potiretur, in Vrbem ſam induxit. Audi Lipſium de Magnit. om. I. 4. *Auguſtus autem in Bellis Ci-ilibus plures habuit cohortes Prætorias, & Victor quoque RETINVIT in ace contra motus ſubitos, & ad plebem omamque coercendam.* Non ergo in

Vrbe demum inſtituti ſunt ad Palatium cuſtodiendum, multo minus ex eo nominati, quod utrumque cenſet V. A. Non, quod non potuerint a Palatio cuſtodiendo, æque ac alii Aulici, appelti fuiſſe per ſignificationis Analogiam *Palatini*, atque ita etiam a *Prætorio*, *Prætoriani*, ſicuti a Plutarcho dicuntur ab Aula *Aulici*; ſed quia tum Vſus, tum Hiſtoria illarum cohortium & Militum, ut qui jam fuerunt penes Auguſtum, antequam in Vrbe eſſent: & denique Analogia derivationum aliter ſe rem habuiſſe declarant. Nam ſicuti *Germaniciani* dicebantur Milites Germanicarum cohortium ſeu Germanici exercitus, Suet. Tib. 26. *Vrbaniciani* Milites Vrbanarum cohortium Spart. Geta 6. immo ſicuti omnium Legionum Milites hac forma a nomine ſuæ Legionis appellabantur: ſic & *Prætoriani*, ut erant proprie Prætoriarum cohortium Milites, ita & ab illis *Prætoriis cohortibus* nomen ſuum acceperunt. Qui mihi meiſque rationibus fidem habere non vult, credat

ſal-

altem Gerh. Joh. Voſſio, ſatis idoneo
arum rerum Auctori. Is enim in Ety-
nol: V. *Prætoris* diſerte ait, *Prætoria-
i Milites dicuntur a cohorte Præto-
ia.* Hæc autem *Prætoria cohors* neu-
quam a *Prætorio*, ſed a *Prætore, a
uo non diſcedebat*, fuit dicta, teſte
eſto. Atque hinc Ioſephus lib. VI. Αλώ-
εως Prætorianos vocat τοὺς περὶ τὸν στρατηγὸν
πιλέκτους, h. e. *lectos homines, qui erant
irca Prætorem.* Immo Sueton. Aug.
9. ut Vrbanarum Cohortium Milites
n *Vrbis cuſtodiam*, ſic Prætoriarum,
on in *Prætorii*, aut Palatii, ſed in *Sui
uſtodiam* ab Auguſto *allectos* tradit.

Dein quod V. A. de *Numeris* ait
Prætoriarum cohortium, qui fuerint
Catalogus earum ſeu Matricula, & qui
uerint in Aula cuſtoditi, ut adeo
Prætoriani Milites dici inde potuerint
Accepti vel *Tranſlati ex Legionibus
n Prætorium*, vel *Exauctorati e Præ-
orio*, eſt res inſulſiſſima. Non nego
amen *Numeros* ſignificare etiam Bre-
es, ſeu Catalogos Militum, licet lon-
ge ſæpius ſignificent ipſas cohortes,
&

& Ordines, in quos qui referuntur, dicuntur Latinis proprie *in Numeros referri*, &c. ut docuit Torrentius ad hæc Suetonii verba in Veſpas. cap. 6. *Revocatis ad officium Numeris.* Adde Vlpianum, *Exercitum non Vnam cohortem, neque Vnam Alam dicimus, ſed Numeros multos Militum.* l. 2. de his qui not. infamia. Spart. Opil. c. 5. *Quod ſi Vnius Numeri conſenſus accederet.* Et ſimiliter in Max. & Balb. c. 5. Hoc ergo ſenſu, qui uſitatior & frequentior, credebam V. A. intellexiſſe, quod de *Numeris* memorabat: idque tanto magis, quoniam in altera illa vocabuli ſignificatione de Catalogo, nullam omnino videre poteram argumenti ſpeciem. Nam primo, nihil proprie de Prætoriis cohortibus in hanc partem affirmari aut oſtendi poteſt, quod non conveniat in omnes quoque Legionarios Milites. Ait quidem V. A. *Hos numeros* Prætoriarum cohortium *penes ſe habuit Alexander Severus teſte Lampridio.* Sed aſtute locum non exhibuit, haud dubie, quia ex eo etiam ipſi

ſi liquebat, non tantum Prætoriano-
um, ſed & omnium aliorum Militum,
bicunque eſſent, Numeros fuiſſe ab
lex. Severo in Aula, immo in cubi-
ulo ſuo cuſtoditos. Verba ſunt Spar-
ani cap. 21. *Milites ſuos ſic VBI-
QVE ſcivit, ut in Cubiculo haberet
Breves & numerum & tempora mili-
antium, ſemperque quum ſolus eſſet,
& rationes eorum, & numerum, &
ignitates, & ſtipendia recenſeret,
t eſſet ad omnia inſtructiſſimus.* Ma-
ifeſtum, agi iſtic non proprie de Nu-
neris ſeu Brevibus Prætoriarum Co-
ortium, ſed omnium *Vbique* Mili-
um, quorum Cæſares erant Impera-
ores. Si qua ergo vis eſſet conſequen-
iæ in illa ratione, qua V. A. expli-
at loca a me allegata, ſequeretur, etiam
lios Milites, quando e Militia ſunt di-
niſſi, poſſe dici *exauctoratos e Præ-
orio*, vel *Palatio*; Quando in Legio-
nes conſcripti, *Acceptos in Præto-
rium*: quia illorum æque ac Præto-
rianorum Numeri in Aula fuerint cu-
ſtoditi. Sed quum ejuſmodi locutio-

nes

nes tali ſenſu fingere ſeu adhibere foret abſurdiſſimum, patet abunde, quæ vis ſit Dialectica in Viri A. interpretationibus. Videtur autem Alexander, ut illud addam, exemplum Auguſti ſecutus, qui & ipſe conſcripſit *Breviarium totius imperii*, & in eo, *quantum Militum ſub ſignis Vbique eſſet*. Sueton. Aug. cap. 101.

Porro fuerint ſane Prætoriarum ſolummodo Cohortium Numeri in Aula Cæſarum ſemper ſervati, an inde Milites in illas Cohortes ex Legionibus Tranſlati, vel ex illis Cohortibus Exauctorati, poterunt dici *Exauct. e Prætorio*, aut *e Palatio*, vel *Tranſl. in Palatium*. Dicantur ergo etiam, imprimis Alex. Severi tempore, *Exauctorati e Cubiculo*, vel *Tranſlati in Cubiculum ejus*. Sed quis unquam hoc aut illo modo locutus eſt, vel loqueretur? Quin ſi V. A. ipſum *Prætorii* vocabulum a Veteribus in Palatii ſignificationem determinatum oſtendere non poterat, oſtendiſſet ſaltem ſimiles & pari modo figuratas locutiones; oſtendiſſet uſquam

Pa-

alatium aut *Aulam* ita poſitam oc-
rrere, ut ipſe cenſet *Prætorium*,
iod illis putat ἰσοδυναμεῖν, in locis a
e allatis interpretandum. Quicquam
rte horum probare & docere nos de-
iſſet, ſi fidem aliquam haberi vellet
is tam figuratis Interpretationibus,
iarum nec primum fundamentum,
e. Vſus *Prætorii* pro Palatio, nec
iicquam ſimile apud Latinos reperi-
r. Porro etiam, certum eſt, de *Vrbanis*
hortibus vere poſſe dici reſpectu Vr-
s omnia ea, quæ de *Prætoriis co-*
rtibus reſpectu Palatii, licet plera-
ie falſa vel incerta, V. A. affirmat, &
iibus tamen veluti certis rationibus
xus, omnia illa Veterum loca, ubi
rætoriæ cohortes per *Prætorii* vo-
m unice & proxime deſignantur,
Palatio interpretatur. Nam ſine
lo prorſus dubio *Vrbanæ cohortes*,
on a Magiſtratu aut Duce ſuo, ut
rætoriæ, ſed ab ipſa *Vrbe* ſunt deno-
inatæ: Dein *ad Vrbis cuſtodiam ve-*
fuerunt inſtitutæ, atque adeo *ad*
rbem unice pertinebant; Denique
Nu-

Numeri quoque earum *in Vrbe* neceſſario *fuerunt cuſtoditi.* An tamen hiſce rationibus Milites, qui in eas conſcribebantur, aut ex aliis Legionibus referebantur, vel qui ex iis exauctorabantur, dici poſſunt, aut dicuntur uſquam *Conſcripti* aut *Relati ex Legionibus in Vrbem*, vel *Exauctorati ex Vrbe*, pro *adſumpti in officium Cuſtodiendæ Vrbis*, vel *Expuncti e Numeris, qui erant in Vrbe, alienati ex Vrbe, ad quam pertinebant.* Quibus tanquam molliſſimis verbis figuram *Prætorii*, pro Palatio accipiendi in iſtis locutionibus, nobis obtrudit Vir A. Sed quum nemini unquam in mentem venerit, ita ſentire aut loqui, & nemo non videat, ejuſmodi locutiones tali figura, eſſe ab omni Linguæ Vſu, & communi ſenſu alieniſſimas; ſatis ex eo itaque liquere etiam poteſt cuilibet, quid iſti Interpretationi tribuendum ſit, quam V. A. ſine ullis ſimilium locutionum aut figurarum exemplis, immo & ſine ullis exemplis aſſertæ a ſe controverſo

voca-

ocabulo ſignificationis , facit contra
ıanifeſtam , & ab ipſis Veteribus velu-
digito demonſtratam in tot locis &
ocutionibus a me allatis.

Verum is,qui neutiquam rem contro-
erſam ſua ex Lingua probare ulla parte
oteſt ; non , *Prætorium* ſumi uſquam
ro Palatio; non, *Palatium* adhiberi de
ı re Vrbana , de qua unice & proxime
ʼrætorium ſæpius adhiberi , a me de-
ıonſtratum eſt ; non , Milites Præto-
arum cohortium referri ſolitos ad
ʼalatium, aut dici vulgo *Palatinos* ,æ-
ıe ac alios Cæſarum & Palatii Mi-
ſtros : non , hoſce Palatinos deſigna-
uſquam voce *Prætorii* aut *Præto-*
ianorum , æque ac illos Prætoriarum
ohortium Milites : is ergo , qui Nihil
mnino ex Lingua Latina ad proban-
ım aliqua ſaltem ſpecie ſuam Latini
ocabuli interpretationem , meamque
ertendam , adferre poteſt , ne tamen
ihil dicat , confugit ad Gallicam ho-
erni Temporis Linguam , ut in qua
periſſe ſe putat ſimilis locutionis in
ſimili exemplum. Dici enim & iſtic ,

Regis Prætorianos, *Milites Domus Regiæ, Soldats de la Maiſon du Roy:* Dici eos, *in Domum Regiam Conſcriptos, Acceptos.* Nequaquam tamen inde ſequi, Cohortes Domus Regiæ eſſe ipſam *Domum Regiam*, ſeu poſſe appellari *Domum Regiam.* Immo vero, quam ineptus eſt Literator, qui *Prætorii* voce, qua ſecundum V. A. deſignatur proprie Palatium; putet ſignificari Prætorias cohortes; tam ineptum fore, qui cohortes Prætorias Domus Regiæ ſimpliciter vocaret *Domum Regiam, la Maiſon du Roy.* Ego vero non dicam heic, Viri Ampl. verbis, *Probationem per argumenta cauſarum Linguæ Latinæ non poſſe admitti contra Vſum* ejuſdem Linguæ, vel breviter, Vſum Linguæ non poſſe ex Analogia ejus firmari aut demonſtrari, nedum ex Gallica in Latinam inferri. Neque dicam, conſtare ſatis in Lingua Gallica primam locutionis, *la Maiſon du Roy*, ſignificationem: At neutiquam in Latina conſtare, immo falſiſſimam eſſe, quam V. A. tuetur,

r, ſimplicem *Prætorii* de Palatio in-
rpretationem. Eam autem conſtare
bere, antequam admitti queant va-
rum locutionum Interpretationes
n figuratæ, ut, etiam ſi maxime illa
nſtaret, vel ſic iſtæ fidem invenire non
ſſent, quoniam nihil in omni Lingua
nile habent. Illud vero non poſſum,
in heic dicam, diligenter me in hanc
oque rem inquiſiviſſe ex ipſis Gallis,
quidem iis, qui omnium optime ſuam
orum linguam pernoſſe debent, im-
 vero habuiſſe me hiſce diebus do-
 meæ Virum Præſtantiſſimum, in pa-
am ex Gallia revertentem; eoſque
iter eadem conſtantia affirmare,
, quod V. A. heic ut abſurdum &
ſum in Lingua Gallica futurum in-
pat, eſſe tamen veriſſimum. Nimirum
pellationem *Domus Regiæ* revera in-
rere corpori ipſarum cohortium, ſeu
hortes Domus Regiæ, Vſu Linguæ,
cari ſine ullo dubio *Domum Regiam*:
que adeo, ut illæ cohortes etiam extra
lam & Comitatum Regis iſta appel-
one deſignentur, ut directe & in Re-

ĉto Caſu dicatur vulgo de Prætoriis illis cohortibus, ex. gr. *la Maiſon du Roy eſt partie, eſt campeè, eſt diviſeè:* Immo ut illis cohortibus proprie & ſeparatim ab *Aula*, hæc appellatio ex Vſu Linguæ tribuatur: contra enim, quando Rex cum Aulico Miniſterio & Comitatu proficiſcitur, dici profeĉtam eſſe non *Domum Regiam*, *la Maiſon du Roy*, ſed ipſam *Aulam*, *la Cour*. Quæ ſi vera ſunt, ut illi ſerio affirmant, verum etiam eſt & certum, valde infeliciter Virum Ampl. ex aliena & hodierni Temporis Lingua petiiſſe ſubſidium ſuæ Latinarum locutionum interpretationi: immo graviter errare, etiam quando confidentiſſime loquitur, & Adverſarios ſuos vehementiſſime increpat; denique & phraſin Gallicam, quam contra me attulit, prorſus meæ cauſæ ac ſententiæ favere. Nam ſicuti *la Maiſon du Roy* Gallis primum notat habitationem Regis, & dein cohortes ejus Prætorias, quæ primum quidem ipſi, ſed tamen ſic ſimul etiam Aulæ ipſius cuſtodien-

dæ

æ cenſentur inſervire: ſic & *Præ-
orium* Latinis primo Tabernaculum
ummi Ducis ſeu Prætoris deſignat,
ein vero etiam cohortes ipſius Præ-
orias, quæ ab ejus latere non diſce-
ebant, atque idcirco etiam in Caſtris
d Prætorium ejus Tabernaculum ten-
ebant, & excubabant, adeo ut vere
o illo Tabernaculo nomen hoc acce-
iſſe, & ex Caſtris in Vrbem intuliſſe,
ideri queant, ut ſupra oſtendimus. Ita
ero ſuis ſibi argumentis & ſuo veluti
dicio cauſam ſuam prodit vel perdit
ir Dialecticus.

Quas mihi *Dialectices delicias* in
xtremo Capitis ad locum Taciti occi-
it, non miror in Viro, qui, ut mo-
o vidimus, quum ipſe errat graviſ-
me, Adverſarios ſuos maximo cum
ſtu abjicere ſolet, & præterea ſolus,
c κατ' ἐξοχὴν Διαλεκτικὸς εὔχεται εἶναι.
es eſt nimis aperta, quam ut in per-
iciendo Taciti ſenſu hærere quis poſ-
t. Atque ideo lubens eam ſine ulte-
ori cauſæ dictione Lectorum arbitrio
ermittam: maxime, quum certum ſit

 etiam

etiam ex V. A. ſententia, quod, qui dicuntur iſtic *Exauctorati e Prætorio*, revera fuerint proxime & directe Exauctorati e Prætoriis cohortibus: quod minime iſtic agatur de Prætorum Vrbano Magiſtratu, atque adeo is neutiquam per vocem *Prætorii* intelligi iſtic queat: quod porro per *Vigilias*, ex quibus eadem in periodo alii memorantur *exauctorati*, deſignentur omnino Cohortes Vigilum. Nihil utique certius poteſt dari, nihil liquidius, ad eruendam & probandam controverſi vocabuli ſignificationem. Vide tamen, quæ de hoc loco jam diſputavi Diſſert. II. §. 15. & adde inſuper alium Taciti locum ex Hiſtor. II. c. 24. ubi deſcribit inſtructam Othonianorum aciem contra Vitellianos juxta Cremonam in Gallia Ciſalpina, & *Prætorii* vocabulo denuo utitur, tantum ad deſignandos Prætorianos Milites, qui erant in iſta acie; & denique illud vocabulum veluti opponi talteri aliorum Militum corpori, nempe *Auxiliis*. Nam quum dixiſſet, tres Prætorias cohor-

ortes fuiſſe in media acie, Legiones, uxilia, Equites in utroque latere, ddit: *ſuper hos e Prætorio Auxiliiſque mille Equites, Cumulus proſperis, ut ſubſidium laborantibus, ducebanur*. Quis dubitet iſtic *Equites e Prætorio* extra Romam in Gallia Ciſalpia, in aciei & pugnæ deſcriptione, ſe Tacito Equites, non e Palatio aut ula, verum ſimpliciter e corpore Prætorianorum, ſicuti *Equites ex Auxiis* ſunt Equites e corpore Auxiliarium Militum? Sed verborum & exemplorum ſatis in re clariſſima.

CAP. X.

dſeritur hæc poſitio, quod nemo Latinus aut Græcus Scriptor dixerit, in Prætorio ἐν πραιτωρίῳ pro in Caſtris Prætorianis, ſed bene pro Domo & quidem Cæſaris. Perverſio hujus argumenti occupatur.

N*on eſt mirum, malos Dialecticos aliorum argumenta male perípere atque referre. Dixi aliquoties, um Paulus ſe* in Prætorio *innocentiam ſuam declaraſſe teſtetur, idque Latina voce, more Latino, ut Vir Cl.*

in rem ſuam poſtulat pag. 255. *his verbis*, Paulus ex urbe Roma ſcribens & rem iſtius urbis Latina ſeu Romana voce exprimens, ea utique voce uti debuit & uſus eſt haud dubie, *more Romano*, *Cum, inquam, teſtetur ſe innocentiam ſuam feciſſe manifeſtam* in Prætorio, *hæc verba ſic explicemus oportet, ut Latinæ Linguæ uſus & ingenium dictat. Atqui hujus locutionis* in Prætorio *de cohortibus Prætoriis, nulla conſtat auctoritas; de Tabernaculo Imperatoris abunde conſtat & demonſtrata eſt, neque negatur; De cohortibus Prætoriis nihil ejuſmodi profertur, inquam, non in Prætorio, non ad Prætorium, id eſt, caſtra urbana, cohortesve Prætorias, uſquam reperitur. Denique ita ſcripſeram:* Vnquamne Latinus aut Græcus Scriptor ullus dixit, *ſum in Prætorio, id eſt*, inter cohortes Prætorias, aut in Caſtris Prætorianis. *Atqui ſic Paulus in Prætorio. Ad hæc ita Vir Cl.* pag. 141. Qua interrogatione, ſi quid video, non modo negatur iſthæc illius vocabuli ſignificatio, ſed

&

intenditur, ſi maxime ſignificaret
orpus Prætoriarum cohortium, aut
rætoria Caſtra, vel ſic tamen illam
oquendi rationem cum vocabulo iſtius
gnificationis in Græca potiſſimum
ngua (nam ea ſcripſit Paulus) neu-
quam cohærere: ut proinde perpe-
m, quod ad rationem loquendi eo
nſu dixiſſet Paulus, non modo, ſe
iiſſe in Prætorio, quod tamen non
ixit, ſed &, id quod dixit, ſuorum vin-
ulorum rationem declaratam in omni
rætorio & in omnibus aliis homini-
is, imo etiam, ſi pro ἐν ὅλῳ τῷ πραι-
ρίῳ dixiſſet ἐν ὅλῳ τῷ δορυφορικῷ, vel
ρατηγικῷ, ſi quidem hæc, quod ad
gnificationem, ut & rationem Gram-
naticam, eadem prorſus ſunt cum τῷ
ραιτωρίῳ, ut a me exponitur. *Recte*
ltima, ut a me exponitur. *Sed minus*
recte meum argumentum trahit ad
onſequentiam ſuæ interpretationis.
Mea ſic ratio fuit. Paulus his verbis,
Prætorio, uſus eſt, more Latino;
Atqui Latine hæc verba, in Prætorio,
on ſignificant, in Caſtris, in cohor-

 tibus

tibus Prætorianis: ſed in habitaculo Imperatoris. Ergo, Paulus etiam his verbis in Prætorio, *non reſpexit ad Caſtra cohortesve Prætorias; ſed ad habitaculum Imperatoris. Major eſt ipſa Viri Cl. propoſitio. Minoris prima pars ipſi incumbit probanda, quod IN PRÆTORIO ſignificet* in Caſtris, *quod nunquam eſt aut erit; altera pars, quod denotet in* Tabernaculo Imperatoris *ſuperius probata a nobis & in confeſſo eſt. Ex quibus concluſio ob oculos eſt. Addideram in meis verbis, nec* Græcum *ita* quenquam *eſſe locutum*, In Prætorio, *ſive* ἐν πραιτωρίῳ; *de Caſtris Prætorianis, quo ita, cum Paulus Græce ſcripſerit, ut Vir Cl. per parentheſin monendum putavit, occuparem exceptionem, quaſi ratio ejus ad Latinam proprietatem exigenda non eſſet. Hoc præmunire volui ſimulque ponere, neminem Græcum, qui* Πραιτωρίου *voce ſit uſus, de cohortibus Prætorianis eam intellexiſſe, nedum heic loci Paulum* ἐν πραιτωρίῳ; *ſed bene de Domo, non*

modo

odo in Provincia, ut eſt notiſſimum; d etiam cum reſpectu Præfecti Prærio, & niſi fallor, Cæſaris ipſius. Meurſius Auctor ſit in Gloſſario Græ- Barbaro laudans Georgium Hartolum in Michaële Imp. his verbis, οςτάξει τοῦ βασιλέως ἀπέκλεισεν ὁ ὕπαρχος τῷ πραιτωρίῳ. Imperio Cæſaris, conſit eum præfectus in Prætorio, ν ὕπαρχον eſſe præfectum Prætorio tum eſt ex Zoſimo & aliis rerum omanarum Scriptoribus Græcis, ſique Viro Cl. notatum; Incluſion, ad clauſtra Domus pertinere lam eſt; niſi quis ſub Michaele ætorium vellet adhuc eſſe Caſtra ætoriana, quæ tum nulla fuerunt; amvis in hoc loco, integro mihi non ſo, ſummam rei non collocamus. mbulet nunc Vir Cl. per loca fœta tis ἐν τῷ δορυφορικῷ, ἐν τῷ ϛρατηῷ, hoc eſt, in exercitu Prætoriano, robet e Latino, in Auditorio, manifem eſſe, quod etiam Latine dici queat, Prætorio, hoc eſt, in Caſtris urba-, & vincat quæcunque voluerit.

RE.

RESPONSIO
ad Cap. X.

Abunde jam docuimus ad Caput ſuperius, ut & in Diſſ. II. *Prætorii* vocabulum de re Vrbana adhibitum ſignificare revera Prætorias cohortes, neutiquam vero Palatium aut ejus partem judicialem. Illud porro declaravimus iis modis & rationibus, quibus controverſa vocabuli alicujus ſignificatio ejusque Vſus demonſtrari poteſt. Oſtendimus enim nunquam adhiberi a quoquam Veterum *Prætorii* vocabulum determinatum in aliquam rei Vrbanæ ſignificationem, quin determinetur proxime & unice in ſignificationem Prætoriarum cohortium: adeo ut ſi in locum *Prætorii* iſtic ſufficeretur appellatio *Prætoriarum cohortium*, nihil plane accederet aut decederet ſententiæ. Tum inanes prorſus eſſe cavillationes, quibus V. A. eludere conatur

-tur meam tot Locorum, ubi
-i modo determinatum occurrit,
-terpretationem: dum fatetur revera
-idem iſtis in Locis & locutionibus
-n eſſe eandem *Prætorium* & *Præ-
-rias cohortes*; & tamen aſſerere non
-bitat, *Prætorium* iſtic non eſſe *Præ-
-rias cohortes*, ſed *Palatium*; licet,
-i in hanc quidem ſignificationem de-
-rminetur illud vocabulum, nullum
-orſus locum proferre queat; & præ-
-rea figuræ loquendi, ex quibus inter-
-etatur tot allata a me loca, duræ
-leo ſint & contortæ, ut nihil in
-nni Lingua Latina ſimile habeant,
-iam ſi quamplurimæ ſimiliter loquen-
-i occaſiones, quæ a me oſtenſæ,
-aſſim nobis obveniant. Porro *Præ-
-rium* & *Palatium*, *Prætorianos*
-t *Palatinos* eſſe Vocabula ſignifica-
-one & Vſu prorſus diverſa: Contra
-e iiſdem rebus promiſcue adhiberi
-o Antiquis Scriptoribus modo *Præ-
-rium*, modo *Prætorias cohortes*,
-um *Præfectus prætorio* nunquam
-lla alia deſignatur appellatione,
niſi

niſi hac *Præfectus prætoriis cohortibus*, aut *Prætorianis militibus*: ſic etiam dici *Tribunos*, modo *Prætorii*, modo *Prætoriarum cohortium*, *Milites e Prætorio* & aliter *e Prætorianis*: Immo milites, qui *petiiſſe* narrantur *Prætorianam militiam*, dici in eodem loco, quoniam eorum *precibus contradici non poterat*, *Acceptos in Prætorium*. Quod ſi hiſce documentis vera alicujus vocabuli ſignificatio probari, & controverſia noſtra decidi nequit, fateor Ego me certiora ignorare, & velim, Lector ipſe animum excutiat, aliaque excogitet. Nam V. A. nullas controverſiam noſtram diſceptandi rationes proponit, licet id deſiderare me jam in Diſſ. II. §. 10. profeſſus fuerim, neque etiam quas ego iſtic propoſui, refutat; quin immo nullam potius ſibi in diſputando mecum vult eſſe communem. Nam qui nulla prorſus Veterum auctoritate probare poteſt ſuam *Prætorii* Vrbani de Palatio interpretationem, jubet me tamen loca proferre ex Antiquis ſcriptoribus

ibus, non, ubi occurrat ſimpliciter
ætorium in ſignificationem Præto-
rum cohortium determinatum,
, ubi diſerte, & his ipſis verbis,
atur *Prætorium ſunt Prætoriæ*
ortes: plane quemadmodum &
Regii Iuris controverſia nullam ex
mponio recipit probationem, niſi
dicerte ſcripſerit, *Reges Romano-*
m fuerunt Magiſtratus: Immo
uti iterum Waleburgii Fratres,
os V. A. in diſputandi adverſus me
ione veluti Auctores habet, a Pro-
tantibus ſemper exigebant, ut ſuam
ntentiam totidem verbis ex S Scrip-
ra probarent. Sed hujusmodi poſtu-
a ſunt certiſſima deſperatæ cauſæ
dicia.

Habet tamen & aliud V. A. quod
e, ſed non minus inique, quam
perius illud, flagitat. Nempe is,
ui nulla prorſus locutione ſuæ Inter-
etationis Vſum demonſtrare poteſt,
ihi tamen, præter complures jam
ne allatas locutiones, quaſdam alias,
ias ex Vetuſtis ſcriptoribus probem,
pro-

proponit, & proinde hoc capite, quod eſt veluti ἀποσπασμάτιον ſuperioris, *aſſerere* ſe ait, *quod nemo Latinus aut Græcus ſcriptor dixerit*, in Prætorio, *pro in Caſtris &c.* meque jubet oſtendere, ubi *in Prætorio* ſignificet in Prætoriis cohortibus. Ego vero non poſſum non mirari ſimul & ridere Viri A. Dialecticam, qua in hacce controverſiâ utitur. Etenim de eo utique diſputamus, quid generatim *Prætorium* de re Vrbana adhibitum ſignificet. Ego tali in Vſu de Prætoriis cohortibus interpretor, eamque ſignificationem multis locis & locutionibus probavi. Vir A. de Palatio accipiendum contendit, ſed eam interpretationem nullo prorſus exemplo firmare poteſt. Quæ ergo ratio a me exigendi, ut, poſtquam jam generatim de ſignificatione *Prætorii* in Vrbe actum eſt, ſpeciatim hujus aut illius locutionis, quales facile quis finxerit magno numero, documenta vel exempla Ego ſolus adferam? Nullus ſane foret diſputandi aut probandi finis, ſi hæc agendi ratio valeret. Nam
quo

uo jure V. A. heic poſtulat, ut aliis in
ocis oſtendam poſitum τὸ *in Prætorio*,
ro in Prætoriis cohortibus, eodem jure
lius rogitare me queat, ubi hoc in ſenſu
ccurrat, *Præter prætorium*, *De præ-
rio*, *A prætorio*, & mille aliæ locutio-
ēs, quas in omnibus vocabulis pro lu-
itu ſuo comminiſci complures, in pro-
ivi eſt cuilibet. Immo vero oſtendat
ſe, ubi, *In Prætorio*, non dicam ad
alatium, ſed ad rem Vrbanam deno-
ndam adhibeatur, & Ego oſtendam,
lud ſignificare, vel ſaltem poſſe
tic ſignificare in *Prætoriis cohor-
bus*. Oſtendi utique *E Præto-
io*, *In Prætorium* ſignificare E
rætoriis cohortibus, In Prætorias co-
ortes. Quidni ergo & *in Prætorio*?
n quia hoc tantum ſemel de re Vrba-
a occurrit, idcirco *Prætorium* in iſta
onſtructione non poteſt denotare,
uod ſemper alibi, ubi de re Vrbana
gitur, notat? Quæ hæc eſt ἀκυρολογία?
ed argumentatur V. A. & quidem δια-
εκτικῶς plane. *Paulus his verbis*, In
rætorio, *uſus eſt more Latino*: *At-*

 qui

qui Latine hæc verba, In Prætorio, *non ſignificant in Caſtris*, *in Cohortibus Prætorianis*, *ſed in habitaculo Imperatoris*; *Ergo Paulus etiam iis verbis non reſpexit ad Caſtra, cohorteſve Prætorias*, *ſed ad habitaculum Imperatoris. Major*, ait, *eſt ipſa Viri Cl. propoſitio.* Nempe quia dixeram, *Paulum ex Vrbe R. ſcribentem & rem iſtius Vrbis Romana voce exprimentem*, *debuiſſe EA VOCE uti*, *& uſum haud dubie more Romano*: h. e. quemadmodum, & quem in ſenſum cives Romani ea Voce de re ſuæ Vrbis utebantur. Sed ago in iis, ut manifeſtum cuilibet, de ipſa *VOCE prætorii*, & ejus ſignificatione in Re Vrbana, non de illa proprie conſtructione, *In Prætorio*, quam V. A. heic unice urget. Vt adeo parum accurate ex illis verbis affirmetur, *Majorem* illam eſſe *ipſam meam propoſitionem*, licet quidem Major illa, etiam mea ex ſententia, nihil falſi contineat. Minoris porro primam partem mihi ait eſſe probandam, ſed nunquam probatum iri: alte-

lteram a ſe eſſe probatam. Ego vero, t item διαλεκτικῶς agam cum Dialectico, non bene diſtinguere ajo Virum .. atque idcirco non bene docere. Etnim *Prætorium* & *In prætorio* de re Caſtrenſi ſignificat Tabernaculum Duis Caſtrenſis, at de re Vrbana nunuam & nuſquam. Aeque ac in Caris quidem & Provinciis *Prætor* mni tempore ſignificavit ſummum xercitus Ducem, & Præſidem proinciæ, ſive is eſſet Conſul, ſive quis lius; at in Vrbe, neque Impp. Cæſares, poſt oppreſſam libertatem, eque antea, Conſules ſummi Imerii Magiſtratus, ſed alios minois imperii, qui juri dicundo prærant. Quod ſi V. A. proprie hanc onſtructionem *In Prætorio*, quæ uſquam de Re Vrbana, niſi in Pauino loco, occurrit, urgere pergit, rit ſane ineptiſſimus. Nam vel certum am eſt ac probatum ſatis, *Prætorium* le re Vrbana ſignificare Prætorias cohortes; vel certum, id non ſignificae. Vtrumcunque autem certum ſit,

 ni-

nihil profecto opus, diſputare proprie de ſignificatione ꝫ *in Prætorio*. Nam Ego, ſi certum poſterius, nunquam ſane contendam, τὸ *in Prætorio* ſignificare in Prætoriis cohortibus; ſed ſi verum prius, ſeu ſi vere *Prætorium* in Vrbe, ſignificat Prætorias cohortes, idem etiam ſignificare debet in iſta conſtructione, quam tantopere urget V. A. niſi ſi peculiaris ratio ſit, quare, licet *Prætorium* aliis quidem in conſtructionibus ſignificet prætorias cohortes, id tamen non poſſit ſignificare in iſtâ. Et hoc eſt, quod jam monui in Diſſ. II. ſed quapropter *malus* hic *Dialecticus* audio, ut qui *male percipiam & referam aliorum argumenta*. Judicium eſto penes Lectorem. Nam ego certe necdum video, quæ ceteroqui ratio & vis argumenti exſculpi queat ex iſta ſpeciatim conſtructione, ita in ſingulare Caput conjecta, poſtquam jam peculiari Capite actum fuerat generatim de *Prætorii* ſignificatione. Vel enim negare debet, ut modo dixi, Prætorium in illa proprie conſtructione hanc habere ſigni-

gnificationem, licet in aliis locutio-
bus habeat: vel præciſe illud velle,
: Ego oſtendam loca alia, ubi item
ccurrat *In Prætorio*, & ſignificet in
rætoriis cohortibus. Et, fateor, re-
e, vel aliqua ſaltem cum ſpecie, id
oſtularet, ſi uſquam alibi hæc locutio
e re Vrbana occurreret. At vero quum
l nuſquam fiat, ut dixi, ineptiſſimum
ne eſt, illud poſtulare, & ſine fine
odoque urgere. An quia nuſquam
libi, præterquam in uno Taciti loco,
ccurrit, *Exauctorati e Prætorio*, ni-
il ergo iſthæc locutio ſignificat, vel
on ſignificat id, quod ſignificare de-
et ſecundum ſingularum vocum ſigni-
icationem, quæ aliunde conſtare po-
eſt? Dabo aliud, ſed ſimile prorſus
uic noſtro, exemplum. *Auditorium*
ine ullo dubio notabat primitus & præ-
ipue locum, ubi fiebant declamatio-
es Rhetorum, & Recitationes va-
iarum rerum. Sic itaque reperimus
llud opponi *Foro*, ſic dici aliquem
Ingredi Auditorium, ſic *plenum eſſe
Auditorium*, *Exſtrui Auditorium*.

Porro jam *in Auditorio* ſignificabat ergo potiſſimum in tali Loco. Atque ita occurrit apud Sueton. in Claud. cap. 42. *Inſtitutumque ut in Muſeo Alexandriæ hi libri quotannis, velut in Auditorio, recitarentur.* Et apud Alios complures ſæpius. Sed idem hocce vocabulum ſignificat etiam, licet rarius, cœtum ipſum, ſeu multitudinem Auditorum, quemcunque in locum ad audiendum aliquem convenientium. Ita Plinius Ep. IV. 7. *Nuper adhibito ingenti Auditorio Librum de vita ejus recitavit.* Atque hoc ſenſu habemus etiam *in Auditorio* apud Eundem VI. 2. *Iam illa perquam jucunda una dicentibus quod libera tempora petebat, quod audituros corrogabat. Quid enim jucundius, quam ſub alterius invidia, quamdiu velis, & in alieno Auditorio, quaſi deprehenſum, commode dicere?* Agitur iſtic de M. Regulo, qui publice cauſas frequenter oravit illo tempore, cum aliis & contra alios, ut fiebat in publicis judiciis. Sed quia id fecit ſummo ſtudio

io ac ſui oſtentatione, dicit Plinius val-
e jucundum fuiſſe *una dicentibus* in
odem judicio, quod veluti deprehen-
, & imprudentes tanti Auditorii,
ommode tamen *dicerent in alieno Au-
itorio*, h. e. coram Auditoribus ab
lio ad audiendam illam actionem cor-
ogatis. Manifeſtum itaque *in Audito-
io* ſignificare iſtic inter Auditores, in
nultitudine Auditorum. Sed ponamus
am nuſquam alibi hanc locutionem eo
enſu occurrere, & imaginemur Dia-
ecticum exemplo Viri A. cavillantem.
Plinius *his verbis*, in Auditorio, *uſus
ſt more Latino. Atqui Latine, hæc
verba*, in Auditorio, *non ſignificant*,
n Cœtu Auditorum, *ſed* (etiam apud
Plinium. Vide Epp. V. 17. & VI. 17.)
n Loco, ubi quis auditur. *Ergo* Pli-
nius *his verbis non reſpexit* Cœtum
Auditorum, *ſed* Locum. Et major, &
Minor, & Concluſio in ſimilibus plane
rebus & verbis eſt Viri A. Et tamen fal-
ſa eſt Concluſio, quia falſa eſt Mi-
nor, etiamſi nuſquam alibi tali in ſen-
ſu occurreret τὸ *in Auditorio*. Sufficit

enim certum eſſe, illud quoque ſignificari voce *Auditorii* aliis in locutionibus, & præterea apud Plinium antecedentia iſtius loci hanc interpretationem potiſſimum, & quidem clariſſime, poſtulare. Ceterum nemo non videt eandem eſſe rationem ꝙ *in Prætorio*, ſi modo conſtet, *Prætorium* in rebus Vrbanis notare, immo vero notare in iis nihil aliud, quam Prætorias cohortes: & proinde nullam eſſe vim argumenti, quo utitur Vir A. ad meam illius proprie locutionis de re Vrbana interpretationem evertendam. Porro eadem eſt etiam loquendi ratio, ſive quis dicat, ut Plinius, *in alieno Auditorio commode dicere*, h. e. inter Auditores ab alio corrogatos; vel, ut Dio, χιλιαρχίαν ἔχειν ἐν τῷ δορυφορικῷ h. e. Tribunatum militum habere & gerere inter Prætorianos milites: vel, ut Cicero, *Cauſa illa in Conſilio ſæpe omni genere tractanda*, h. e. coram illis & inter illos, qui Duci Caſtrenſi ſunt a conſilio: ſive quis dicat, ut Paulus, res ſuas ita ſe habere, *ut vin-*

culo-

ulorum ſuorum ratio evaſerit mani-
eſta, ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, *in omni*
Prætorio, h. e. inter omnes Præto-
iarum cohortium Milites. Nec enim
ic Paulus, *In Prætorio*, quemad-
nodum ſi quis dicat, *Sum in Præto-*
io, ut falſo affirmat V. A. Sed &
uis Veterum unquam *in Prætorio*
lixit, pro *in Palatio* vel *in Aula*,
uæ locutiones ceteroqui Veteribus
unt frequentiſſimæ? Quod ſi, licet
uſquam illud occurrat tali ſenſu, vel
ic tamen V. A. ita interpretandum
enſet, quæ ratio, quare me vetet
roprie τὸ *In prætorio*, quod nuſquam
libi de re Vrbana adhibetur, expone-
e de Prætoriis cohortibus, quem in
enſum vox *Prætorii* aliis in locutio-
ibus determinatur, ut multis probavi?
Quem deinde Græci Scriptoris locum
dfert ex Meurſii Gloſſario, is enim-
ero eſt alieniſſimi a noſtra diſputatio
e & Temporis & Loci. Nos etenim
liſputamus de eo, quid in Vrbe Roma
Prætorium tempore Neronis in Lin-
gua Latina, & proinde πραιτώριον etiam

 apud

apud Paulum eo tempore in Vrbe R. de re iſtius Vrbis Latinum id vocabulum adhibentem, ſignificet. Eo autem tempore *Prætorium* & *Palatium*, quæ V. A. pro ſynonymis vult haberi, oſtendi fuiſſe uſu ipſo, æque ac *Prætorianos* & *Palatinos*, vocabula diverſam plane rem ſignificantia; neque unquam in alterutrius rei, licet utriuſque mentio fiat ſæpiſſime, ſignificationem apud ullos Scriptores concurrere; immo diſertiſſime in diverſarum rerum ſignificationes diſtingui etiam poſt Theodoſium. At vero poſtremis temporibus promiſcue tandem hæc vocabula fuiſſe adhibita, non negaverim ſane, ſiquidem etiam hodie in Linguis ex Latina ortis *Palatium* ſignificat ſumptuoſa quæque Principum & Magnatum Aedificia, ſecus quam olim fiebat. Plane quemadmodum & *Parentes* in iiſdem Linguis, immo vero jam Conſtantini M. tempore in Latina, ut liquet ex Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus, notavit omnis generis cognatos & propinquos, ſecus quam

quam tempore Auguſti, aut Neronis
fecit. Videri autem poteſt huic *Præ-
torii* & *Palatii* confuſioni originem
primam dediſſe Conſtitutio Leonis
Imp. Græci, qua is *Palatia* in Pro-
vinciis, Principibus antea ſeu Cæſari-
bus ſolis ſervata, etiam Præſidum ha-
bitationi conceſſit, ut oſtendimus Diſſ.
I. §. 20. & 21. Nihil certe mirum
foret, ſi ex illo tempore paulatim iſt-
hæc vocabula tandem confuderint
Scriptores, maxime Græci, & qui inſu-
per diu poſt vixere. Certe enim Geor-
gius Hamartolus, quem laudat Meur-
sius, vixit & ſcripſit non modo poſt
Leonis illius & Theodoſiorum, ſed &
poſt Caroli M. tempora, ſub imperio
Michaelis Porphyrogeniti, qui Theo-
phili F. Michaelis Balbi Nepos fuit.
Velle itaque ſignificationem *Præto-
rii*, quæ fuerit tempore Neronis in
Urbe Roma, probare ex tali Scriptore,
qui vixit temporibus ſpiſſiſſimæ bar-
bariei, & ante quem aliquot jam ſecu-
la, illa diverſa olim ædificia, diverſorum
hominum in Uſum exſtructa, & di-
ver-

verſis proinde vocabulis *Prætorii* ac *Palatii* etiam in provinciis diſtincte deſignata, fuerunt Imp. Leonis Conſtitutione in eorundem hominum Vſum confuſa, cujus ſit judicii & Dialecticæ; ut & quo jure ac ingenio illi μεγαλοφρονοῦντες ac me *ambulare* jubentes floſculi extremo Capitis adſpergantur, tanquam re bene geſta, immo confecta penitus, tu judica, Benigne Lector. Idque tanto magis, quoniam inſuper illo Georgii Hamartoli loco, ut & aliis ejus ætatis Scriptoribus Græcis, atque omnibus Zonaræ locis a Briſſonio allatis, & perperam acceptis, nihil aliud πραιτωρίου voce in Vrbe Conſtantinopolitana deſignatur, quam Publicus Carcer, ſicuti antea iſtic ea voce appellata fuerat domus, in qua habitabat Præfectus illius Vrbis, ad exemplum appellationis, qua inſigniebantur in omnibus extra Vrbem Romam Provinciis & Regionibus habitationes Præſidum. Ceterum neque in illa Vrbe iſta πραιτωρίου appellatione denotabatur proprie, ut haud

du-

bie Vir A. vellet, Auditorium judi-
le Præfecti Vrbani, quippe quod
ebatur proprie *Secretum*, ſed ipſa
dixi, Domus & Habitatio. Hæc
tem Domus quia adjunctum ſibî ha-
it Carcerem, & præterea ſæpius,
tertia jam vice, ſub Imp. Phoca in-
ndio conſumpta fuit, nec deinceps
ſtituta eſt; hinc factum, ut poſtea πραι-
ρίȣ vocabulum inhæſerit ſimpliciter
arceri deſignando, qui manſerat.
ocuit hæc omnia ex Græcis illorum
emporum Scriptoribus Nobiliſſ. du
reſne Lib. II. Conſtantinopoleos
hriſtianæ. Liquet vero ex iis clariſ-
mum in modum, nihil pertinere illud
eorgii iſtius, ἐν πραιτωρίῳ, ad Cæſarem,
u ejus Palatium vel Auditorium ju-
iciale, cum *Prætorium* in iſta quoque
rbe diverſiſſimum fuerit ædificium
Palatiis Cæſarum, quæ multa iſtic
rant. Atque idcirco etiam Nobiliſſ.
le Vir de *Palatiis*, & de *Prætorio*
ſtius Vrbis, tanquam de rebus plane
liverſis, aliis atque aliis locis & Capi-
ibus agit. Quapropter ſi ex ſuperius
di-

dictis necdum agnoſcit V. A. incaſſum ex CPolitani Imperii, & tam ſeri ſimul, ac jam barbari Temporis Scriptoribus adferri loca ad probandam Latini vocabuli, tempore primorum Cæſarum, in ipſa Vrbe R. ſignificationem, diſcat ſaltem ex modo dictis, nihil prorſus vel ſic eum juvari laudato Georgii iſtius loco, aliud quippe, quam quod ipſe vult, denotante; immo tam ſeris etiamdum temporibus in Vrbe CPoli diſtinctam fuiſſe *Prætorii* ſignificationem a *Palatio*, ut a re prorſus diverſa, quin & a *Secreto* ſeu *Auditorio judiciali*, ut Totius a Parte.

CAP. XI.

Caſtra Prætoriana, nunquam per ellipſin, Prætorium, ſed Caſtra fuiſſe dicta. Id ex inſcriptione nummi PRÆTOR. RECEPT. *non probari, ſed potius contrarium.*

Melius conſulit Vir Cl. quod dialecticam ſibi minus amicam relinquit, & me vocat ad fidem Inſcriptionum, quæ reperiuntur in monumentis anti-

ntiquis, quibus cum nihil ſit incor-
uptius, nemo vetuſtatis non negligens
on ſummam deferat auctoritatem.
Primo ex variis Inſcriptionibus ait
onſtare pag. 143. *Caſtra Prætoria,*
ngulari numero fuiſſe appellata Præ-
orium Caſtrum, *quas inſcriptiones*
it eſſe repertas eo loci, ubi Præto-
ianorum militum manſio fuit. Tenea-
nus igitur hoc pro certo, Caſtra Præ-
oria fuiſſe etiam dicta Caſtrum Præ-
orium. *Pergit Vir Cl.* Hinc vero non
bſurde colligas, quoniam non ita fre-
uenti in uſu erat ſingulare illud Ca-
rum, fuiſſe illud per Ellipſin ple-
umque omiſſum. *Relabitur ad argu-*
nentandum haud bonis avibus. Vidi-
nus ſupra, delatus in Caſtra, teneri
aſtra, campo qui Caſtra præjacet,
Tacitus, Suetonius, alii paſſim. Caſtrum
llud Prætorium, ſimpliciter Caſtra
ominant, Prætorium *nuſquam. Quæ-*
am eſt hæc ellipſis judicii, ellipſin,
ua omnes utuntur, non videre; qua
emo utitur, eam obtrudere? Acce-
it, *ait Vir Cl.* quod Græci Præfe-
ctum

ctum Prætorio appellaverunt στρατοπεδάρχην &c. *Sed de hoc videbimus, cum ἔπαρχον αὐλῆς Aulæ præfectum videbimus appellatum.*

Aggreditur deinde Vir Cl. hæc mea verba; Nemo unquam dixit; Claudius, Otho in Prætorium rapti, in Prætorio Imperatores creati, quod de Caſtris verum eſt. *Vir Cl.* At vero reperiuntur de his ipſis Imperatoribus nummi a Doctis editi, in quibus exhibetur Imperator militi ſignis caſtrenſibus ſeu militaribus onerato dextram præbens, cum inſcriptione non multum ab illis locutionibus diverſâ *PRÆTOR. RECEPT.* Quæ ab ipſis illis eruditis Editoribus recte exponitur, *Prætorio*, hoc eſt, in Prætorium Caſtrum, cujus effigies in nummis iſtis exhiberi videtur, *Receptus. Non eſt de nihilo; Si in Inſcriptionibus Imperator PRÆTORIO, id, eſt, Caſtris Prætorianis legitur eſſe receptus. Sufficit ad vadimonium deſerendum, vel quod turpius, ad eremodicium contrahendum. Huc enim plane redacti*

cti erimus, ſi hæc vera ſunt, & ex nummis genuinis probari poterunt. Noli tamen expectare, dum νοθεύσεως *accuſem nummos. In illis nihil eſt, quam pro mea ſententia. Vir Cl. noluit ideo dicere, quid eſſent, ut mihi quidem videtur. Sunt duo nummi habentes recta facie Claudium Cæſarem, inverſa diverſis ſculpturis, unus effigiem caſtrorum, ac inter pinnas muri Imperatorem, cum aquila juxta ſe. In ipſo muro caſtri, hæ literæ IMPE. RECEPT. id eſt,* Imperator receptus. *Alter nummus habet effigiem Claudii togati, jungentis dextram ſignifero Prætoriano, cum his literis PRÆTOR. RECEPT. In primo nummo eſt Receptio Claudii in Caſtra Prætoriana; quod ipſo invito factum, dedit initium ſummæ fortunæ ejus, referente Suetonio, & hoc de Caſtris. Si alterius nummi literæ hoc volunt,* Prætorio Receptus, *non idem indicant, quod alter nummus habens effigiem Caſtrorum: Is notat receptionem in Caſtra: quid alter? quid aliud quam receptio-*

nem in *Prætorium? Quale Prætorium, Caſtrane? Caſtra ſuum habent nummum, ſuamque effigiem, ab altero ſpecie formaque diſtinctum. Ergo Prætorium, quod ſemper & unice fuit Prætorium, Tabernaculum, Habitaculum Principis. Scilicet, Receptus Caſtris Claudius inde tranſiit in palatium atque Prætorium ſuum, ubi milites Prætoriani Stationem illic agentes eum receperint: In cujus rei memoriam cuſus ſit hic nummus, ne receptio in Prætorium minoris momenti, quam quæ fuerat in Caſtris, haberetur, eaque ſic demum plena receptio, in ſede fortunæ ſuæ, intelligeretur. Eat nunc Vir. Cl. & plures nummos conquirat. Si hactenus mutet ſententiam, ut PRÆTOR. RECEPT. ſignificet*, Prætoriani Recepti, *forte minus errabit, nec tamen plus pro ſuo Prætorio, Caſtris, habiturus eſt. Prior nummus Imperatorem Caſtris receptum; alter Prætorianos ab illo receptos in fidem pretioque pignoratos, Suetonio teſte, ſignificabit, ut*

ita

ita receptio demonſtretur plena, longe commodius, quam ut idem actus adeo diverſis modis bis exprimatur. Sed dolendum, quod Cl. Oudanus, qui de Prætorio ad illam tabulam paulo confuſius agit, Viro Cl. inventæ Paulini Prætorii interpretationis gloriam præceperit. Nam is præivit noſtro in Belgis interpretibus reprehendendis, quod, in Prætorio *verterint*, **in het Rechthuys / Paleys.**

RESPONSIO
ad Cap. XI.

Dixeram Diſſ. II. §. 17. ſi quis omni modo *Prætorium* exponi vellet de Loco quodam Vrbis, unum in ea fuiſſe, de quo ſic ſatis commode per Ellipſin accipi poſſet: nempe Locum illum, in quo tendebant ac habitabant omnes pariter Prætoriæ cohortes, & qui plenius ac proprie appellabatur *Prætorium Caſtrum*. Id quoque invadit hoc Capite V. A. & vocat

judicii Ellipſin. Sed videamus, quo jure. Primum omnium in confeſſo eſt, vel *pro certo tenemus* uterque, Locum illum, ubi manebant Prætoriæ cohortes, proprie appellatum fuiſſe *Prætorium Caſtrum*. Certum etiam eſt, nullum alium fuiſſe in Vrbe locum, ad quem vel ſimpliciter, vel pleniore in locutione *Prætorii* vocabulum legatur uſquam a Veteribus adhibitum. Certum denique eſt, *Prætorium* eſſe origine ſua Adjectivum, ac proinde, quando naturam ſuam retinet & tamen abſolute ponitur; ſtatuendam eſſe in eo Ellipſin Subſtantivi, quod ſit congrui Generis, & quod cum eo, ut Subſtantivum cum Adjectivo, conjunctum aliquando in rebus Vrbanis reperiatur. Jam vero, ſi itaque *Prætorii* vocabulum, de re Vrbana adhibitum, accipiendum eſt omnino, ut vult V. A. de Loco Vrbis Romæ, quis præter V. A. confidentiſſime, quicquid lubet, affirmantem, *Ellipſin judicii* adſcribere auſit ei, qui ſtatuat: ſi ita ſit, *Prætorium* ergo illud, quod nunquam alium in Vſum rei Vrbanæ reperitur adhibitum, quam

ut

ut deſignet Prætorias cohortes, vel non aliis in locutionibus, quam in quibus unice de Prætoriis cohortibus agitur, dici abſolute ac per Ellipſin pro *Prætorium Caſtrum*, æque ac in Caſtris per ſimilem plane Ellipſin pro *Prætorium Tabernaculum*. Idque tanto magis, quoniam ab una quidem parte certum eſt, ut dixi, Locum illum Prætoriarum co-cohortium appellatum fuiſſe plenius *Prætorium Caſtrum*: ſed & ab altera, linguam Latinam veluti abhorruiſſe vulgo ab Vſu frequenti Singularis *Caſtri*, atque ideo hanc Ellipſin tanto libentius admiſiſſe. Accedit, quod, qui Latinis *Prætorio Præfectus*, antiquiſſimis Græcis dictus fuerit στρατοπεδάρχης, & ἔπαρχος τοῦ στρατοπέδου, vel τῶν στρατοπέδων, h. e. proprie *Præfectus Caſtri*, vel *Caſtrorum*, ſcilicet *Prætorii*, vel *Prætoriorum*. Adde inſuper, quod ſolita & ſola hæc ſit ratio Ellipſes probandi, qua uſus ſum, & qua etiam utuntur omnes, qui rem Grammaticam tractant. Exemplo ſit vocabulum *Opima*, quod apud Senecam, & Florum ſimpliciter poſitum

reperitur, & ab omnibus accipitur, ut per Ellipſin poſitum pro *Opima ſpolia.* Seneca Herc. Fur. v. 48. *Effregit ecce limen inferni Iovis, Et opima victi Regis ad Superos refert.* Flor. II. 17. 11. *De quibus Scipio ſingulari certamine, quum Rex fuiſſet provocator, opima retulit.* Intelligunt utrobique Interpretes, ut dixi, nihil aliud quam *Spolia*, quamvis illud neutiquam in ſuperioribus præceſſerit, nec ceteroquin aliis in vocabulis, immo neque in hocce, niſi iſtis Senecæ & Flori locis, intelligi ſoleat. Qua ergo ratione? Nempe non alia, quam quia τὸ *Opima* adhibetur iſtic ad ſignificandam rem, quæ victis hoſtibus eſt detracta, quæ in Lingua Latina proprie appellatur *Spolia*: Dein quia ſpeciatim deſignantur iſtic ejuſmodi ſpolia, quæ *Regibus*, ſeu Ducibus hoſtium ſunt detracta, quæ proprie item, & plenius *Spolia opima* dicuntur. Has illi rationes crediderunt eſſe ſatis juſtas ad ſtatuendam iſtic Ellipſin, & ita interpretandum τὸ *Opima* abſolute poſitum.

tum. Ceterum comparemus cum hiſce rationibus jam eas, quibus Ego motus *Prætorii* Ellipſin aſſerui, ſi de Loco Vrbis Romæ ſit omnino accipiendum illud vocabulum. Primum ponitur utrimque a nobis, ſed ex ſententia Ampl. Viri, generatim de *Loco*, etiam in re Vrbana, exponendum ſemper controverſum illud *Prætorium*. Deinde vero oſtendi, multis in locutionibus illud de re Vrbana adhiberi, ſed nunquam tamen alium in ſenſum determinari, quam ſpeciatim, immo unice, in deſignationem Prætoriarum cohortium. Denique harum cohortium Locum plenius & proprie appellatum fuiſſe *Prætorium Caſtrum* liquet ex multis Inſcriptionibus iſtic loci repertis, & *pro certo tenet* etiam Vir A. An hæc ergo eſt *Ellipſis judicii*, Ellipſin *Caſtri* ſtatuere illis rationibus in vocabulo *Prætorii*, ſi id de Loco ſit omni modo interpretandum? Scilicet, quicquid a Viri A. judicio, ac *poſſeſſa olim ſententia*, vel tantillum ſecedit, eſt illi continuo *Ellipſis judicii*, eſt *remotum a*

Dialectica, & *ab omni ratione*, tanquam ſi exigenda ea ſit unice ad exemplar Dialecticæ Huberianæ.

Aggreditur deinde Nummos quos attuli ex Cl. Oudano. Duo ſunt Imp. Claudii. Alter exhibet effigiem Prætorii Caſtri, in quod IMPER. h. e. *Imperator* dicitur *Receptus*: Alter hanc Inſcriptionem, PRÆTOR. RECEPT. quam Doctiſſ. Nummorum Editor interpretatur *Prætorio receptus*, h. e. in Prætorium Caſtrum; quia comparet iſtic Signifer, quomodo Cohortes in Nummis deſignari ſolent, Imperatori manum jungens. Sed primum, Non equidem in hac iſtius Nummi Inſcriptione tantum mihi poſui aut pono præſidii, non, quod non eam meæ ſententiæ prorſus favere exiſtimem, ſed quod non integre, nec omnibus ſuis literis, nobis eſt relicta. Deinde licere utique debet mihi contra Virum A. urgere auctoritatem Interpretum. Nam ſi æquus eſt, quemadmodum ipſe contra me multum utitur & nititur illa auctoritate, ita eidem deferre etiam multum

um debet, quando a me contra ipſum
uo exemplo allegatur, maxime ſi ſint
ſti Interpretes ea in re, de qua agitur,
verſatiſſimi: quod certe de Doctiſſ.
Dudano in re Nummaria negari ne-
quit. Sed & inepta quam maxime
x frivola eſt ratio, qua utitur ad
nterpretationem Oudani refutandam.
Scilicet, quia in alio jam Nummo,
lia item ſpecie formaque, deſignata eſt
Receptio Imperatoris in Caſtrum Præ-
orium: Ergo in hocce eadem res ſigni-
icari non poteſt. Dignum mehercle
rgumentum Viro Dialectico, maxi-
ne apud eos, qui Veterum Numiſ-
nata vel oculis manibuſque tractarunt,
vel in Libris evolverunt. Etenim nihil
ſſe certius, quam eandem rem diverſis
liquando exhiberi Nummis & Figuris,
t demonſtretur, non opus ſane,
t conquiramus aliunde exempla, ſi-
quidem ea abunde ſuppeditat illa ipſa
XCIII. Oudani Tabula, in qua Num-
ni, de quibus agimus, primo loco
xhibentur. Nam ſicuti proximus,
qui ſequitur, eandem plane figuram,

ſed aliam habet Inſcriptionem, nempe *Concordia Prætorian.* & eſt alterius Imperatoris, ſc. Othonis: ſic quartus & quintus ſunt jam unius Imp. Vitellii, & notant ab averſa parte, æque ac Claudiani illi, eandem plane rem, ut certum eſt ex eadem Inſcriptione, *Adventus Augusti*; ſed tamen faciunt id item diverſiſſimis figuris. In altero enim exhibetur Imperator paludatus haſtam manu tenens, & Equo inſidens: in altero Stans, & Togatus, dextraque juncta exceptus ab armata ſpecie, quâ Roma ipſa deſignari creditur. Eat jam V. A. & ſuam rei Nummariæ peritiam oſtentet. Nam, ni valde fallor, liquet ex his clariſſime, nullam eſſe rationem argumentantis contra laudatam Interpretationem ex eo, quod eadem res unius Imperatoris duobus in Nummis & diverſa ſpecie non poſſit eſſe exhibita, quum id in illis Vitellii in eadem Oudani Tabula editis manifeſte fiat. Nolim tamen Ego contendere; Nummi controverſi inſcriptionem prorſus interpretandam eſſe *Præto-*

to-

rio *Receptus*, ac ſi eo deſignaretur Imp. Claudii Receptio in Prætorium Castrum: maxime, quia ſubjiciuntur huic inſcriptioni literæ S. C. is enim ſignificatur, quicquid eo nummo exhibetur, factum eſſe, vel ſaltem nummum ea cum inſcriptione cuſum, ex *Sen. Conſulto*. At vero quod Claudius a Militibus ductus et receptus fuit in illa Caſtra, factum id contra ſpem ac voluntatem totius Senatus. Crediderim ergo explicandam potius & Figuram & Inſcriptionē Nummi ita, ut dicatur *Prætorium Receptum S. C.* h. e. ut, poſtquam Senatus confirmavit tandem & approbavit Claudii imperium, Milites Prætoriani, qui tunc primum Imperatorem, & quidem per tumultum, ac invito Senatu, fecerunt, dicantur in fidem publicam ex Senatus Conſulto Recepti: æque ac in Tertio Nummo, qui eſt Othonis, ſub eadem Figura exprimitur *Concordia Prætorianorum S. C.* h. e. Concordia illorum Militum cum Senatu, approbante jam Imperium Othoni per illos delatum. Sed & in altero Vitellii Nummo, ubi

 ille

ille Togatus excipitur ab armata Roma cum hac inſcript. *Adventus Auguſti S. C.* ſignificatur nihil aliud, quam, advenientem in Vrbem Vitellium, ab ea publice ex Senatus decreto receptum. Quod autem ex *Prætor. Recept.* faciam potius *Prætorium Receptum*, quam, quod ſuſpicatur V. A. *Prætoriani Recepti*, ejus rei cauſa eſt Ratio ſcribendi. Longe enim veriſimilius, tam paucis literis deſignatum fuiſſe brevius vocabulum, quam longius illud, quod in Othonis Nummo hiſce literis, *Prætorian.* exhibetur. Ceterum quod V. A. fabulatur, Claudium ex Caſtris in *Palatium* tranſeuntem, iſtic a Militibus Prætorianis ſtationem ibi agentibus fuiſſe *receptum*, ejuſque rei in Memoriam cuſum videri huncce Nummum, id ab rei geſtæ Hiſtoria eſt alieniſſimum, quam nobis accuratiſſime prodidit Joſephus Antiq. XIX. cap. 2. & 3. Scilicet Milites, qui in Palatio erant, cæde Gaji palam facta, & Claudio dein forte fortuna invento, omnes cum eo ex Palatio,

io, ubi nullus tunc Imperator, & Vrbe
uerunt in Caſtra; In quibus cum perno-
taviſſet cum iis Claudius, & Senatus po-
tero die tandem ſuaſu Herodis Agrippæ
pprobaſſet factum Militum, tunc ab
ſdem Militibus deductus fuit iterum
Claudius ex Caſtro Prætorio in Pala-
ium, παραπεμπομένου αὐτὸν τοῦ στρατιωτικοῦ,
roſequentibus eum Militibus, neuti-
uam vero ὑποδεχομένου, h. e. *recipienti-
us*. Qua propter, ſi ulla Hiſtoriæ heic
abenda eſt ratio, neutiquam poteſt ille
Nummus ita exponi, tanquam ſi eo ſig-
ificetur Imperator Receptus a Militi-
us Prætorianis in Palatium. Non poſ-
um, antequam te dimittam, Lector,
uin tibi referam Viri A. obſervatio-
em, quæ ſane mihi ridicula prorſus
ccidit. Allegaveram ſimpliciter Num-
num controverſæ Inſcriptionis in rem
neam, nihil addens, utrum haberem
ro Genuino, an Adulterino. Id V. A.
monet Lectorem ſuum, & ex eo con-
ludit, me videri *nihil voluiße* de eo
icere, quia *nihil in Nummo erat*,
uam pro ſententia ipſius. Hæ ſunt
pro-

profecto *Deliciæ Dialectices*, toties laudatæ. Nec enim ſufficiet deinceps ſecundum eam, allegari quid ad firmandam rem, quæ docetur, niſi diſerte ſemper addatur, ab allegante haberi illud pro Genuino. Quin eadem ratione quando quis quid affert ex Antiquis Scriptoribus, Cicerone, Livio, &c. immo & Pandectis, opera illi danda erit, ut ſingulis Locis, quibus utitur, diſerte addat, utrum ea pro emendatis habeat, nec ne: niſi velit accuſari, quod illam admonitionem de induſtria neglexerit, quia certum ipſi fuerit, nihil in iis locis ineſſe, niſi pro Adverſarii ſententia. Sed per me, locupletetur licet argutis iſtiuſmodi Obſervatiunculis & Præceptis Nova Viri A. Dialectica. Non invidebimus, quantum eſt hominum Philologorum. Quod V. A. dolet εἰρωνευόμενος, præceptam mihi a Doct. Oudano gloriam Paulini *Prætorii* de Prætoriis cohortibus interpretandi, ſciat velim, id me, quum primum illud publice ita exponerem, revera neſciviſſe, ſed jam gau-

gaudere, poſtquam mihi controverſia
oc nomine mota eſt, & quidem ea
um invidia, ac ſi *indubitatum eſſet*,
uod *Nemini unquam in mentem ve-
erit* Paulinum illud Prætorium ita, ut
me ſit, accipiendi. Oſtendi enim,
eniſſe id in mentem non ſolum Ou-
ano, ſed & Cappello, & ipſi Dio-
ato. Quamobrem *dolendum* non mi-
i, ſed Viro A. qui illud tam temere
falſò, eaque cum confidentia affir-
avit, licet ceteroquin ex ſolis Inter-
retibus, & horum Temporum Eru-
itis, in hac controverſia ſaperet, ac
dverſus me diſputaret.

Cap. XII.

uod Prætoria, quæque domus aliæ inſignes dicta ſunt, maxime poſt Auguſtum, id arguere, tum Prætorium Imperatoris, non deſiiſſe habitaculum eſſe. Recentiores aliquot auctoritates adjectæ.

N*on apparet igitur, antiquam* Præ-
torii *ſignificationem recepiſſe mu-
tationem; Fuit Tabernaculum Impe-
ratoris; eſt Tabernaculum Imperato-
ris. Fuiſſe, conſtat utrimque; Eſſe*
con-

conſtat inde, quod mutatio nulla facta probatur. Caſtra nunquam fuere, Cohortes nunquam fuerunt apud veteres Romanos; Enormis adeo vocis reique inverſio ſi facta fuerit, evidentiſſima ſit oportet. Virum Cl. nihil ad probandam novationem adtuliſſe demonſtravimus. Sed tranſeamus ad probandum, quod Prætorium fuerit etiam Cæſarum Tabernaculum, apud ipſum eorum palatium. Tabernæ quippe & Tabernaculi appellatio declarat, omne utile ad habitandum ædificium, ut docent Ulpianus & Paulus in rebus nonniſi certiſſimis conſentientes l. 183. & ſequ. De Verb. ſignif. *Hanc ſignificationem Prætorii pro Tabernaculo ſive domo non deſiiſſe, verum ad quælibet inſignia, maxime in agris, ædificia tranſlatam eſſe, non eſt quod probet, niſi qui ſuperfluis abundare excerptis, gloriæ ſibi ducat. Iuris & Hiſtoriarum libri exemplis referti ſunt: Qualia cum retuliſſet Franciſcus Connanus*, lib. 4. Comment. cap. x. n. 6. Cur autem, *ait*, ea villæ pars, quam do-

dominus inhabitabat, Prætorium dicta
it, nulli, quod meminerim, tradide-
unt. Prætor quidem olim dicebatur,
omnis Magiſtratus, quaſi qui præiret,
x ejus tabernaculum Prætorium. Po-
tea, cum rerum ſumma uni ceſſit Prin-
ipi, ejus domum Prætorium nuncu-
parunt, quod nos Hoſpitium Princi-
pis; & cohors Prætoria eorum mili-
um ſcilicet, qui ſemper apparent Prin-
ipi. Itaque in urbe ſolius Principis
lomus Prætorium appellabatur, reli-
quorum civium domus non item. At
n villis ruſticis, ubi quiſque domi-
ium fere tantum habet in ſuos, quan-
um principes in ſuos ſubditos, Præ-
orium dixerunt, ubi ſcilicet quaſi Rex
villæ & Princeps habitaret. *Ita Conna-*
nus aliquanto liberius quam nos inſti-
uimus. Sed hoc in omnium oculis verſa-
ur, Prætoria dicta eſſe domos inſignes
mitatione Prætorii, quod habuit Im-
perator, eamque ſignificationem impri-
mis invaluiſſe tempore Cæſarum; quod
fieri non potuiſſet, ſi tum quoque Præ-
orium domus non fuiſſet. Verum eſt,
 Ci-

Ciceronem domum Verris Siciliæ Prætoris vocaſſe Prætorium, id eſt, domum Prætoriam; Sed & hoc eandem confirmat analogiam; Et poſt Auguſtum in Italia Prætoriorum appellatio de inſignibus agri habitationibus adeo frequentata eſt, ut vix aliter appellatæ reperiantur, qua de re Lexicographi Iuris. At ſi temporibus Auguſti ſequentiumque Principum deſierit eſſe Domus Prætorium, nec aliud quam cohortes aut corpus militum fuerit, ut Vir Cl. agitat, non potuit eo potiſſimum ſæculo, neque deinceps, hoc nomen ad alias tranferri domos, etiam ut Publica Prætoria, ſicut apud Hoſtiam, conſtituta fuerint. Sed pergamus; Vir Clariſſimus incepit a Lexicis. Licebit & mihi opinor, ad Calepinum noſtrumque Calvinum in ſuo Lexico juridico. Sed melior ac antiquitatis longe peritior eſt Briſſonius, cui in hoc genere ſtudiorum neminem antetulerim; At ejus dicta non eſt quod excerpam; Nam in illo & Fabri Semeſtribus cuncta quæ a me diſputantur,

tur, inveniri teſtatur Vir Cl. vel potius in illo ſolo; Ipſum enim Fabrum Briſſonio citatum mihi ſic admotum eſſe indicat: ut magnifice de me ſentit. At, quæ omnium manibus teruntur, facile conferri poſſunt, nec ego novus Auctor ευχομαι εἶναι, *ſed quod doctiſſimi Viri ſemper extra dubium collocarunt, adſevero: In Briſſonio eſt abunde, quod* Theſauro Eruditionis Scholaſticæ, *credo, opponatur. Alciatus qui primus literas humaniores cum ſumma Juris peritia conjunxit*, Prætorium *inquit*, domus Imperatoria eſt, ad l. 198. d. Verb. ſignific. *Budæus, Literator & Philologus ſummus, aliquantoque major quam Juriſconſultus*, ad Tit. de off. Præf. Præt. *ita ſcribit*; Cum igitur Imperium Romanum ad Monarchiam devenit, Principes Romani equitem Romanum unum Prætoriæ cohorti aut cohortibus etiam præfecerunt, & Prætorio ſuo, id eſt, Aulæ, quam lingua vulgaris Hoſpitium Regis appellabat. Unde Præfectus Prætorio hodie dici

 poteſt,

poteſt, qui magnus Magiſter Hoſpitii dicitur, grand maiſtre d'hoſtel. Nam eum Græci Ἐπαρχον αὐλῆς, multum tamen ab antiquo differens. *Propius accedere ad eum qui veteribus Francis* Magiſter Palatii *dicebatur. Dein.* Hujus autem in Francia inſtar eſſe magis, quam ſimilem Cancellarium, haud abs re, ut arbitror, dici poteſt. *Vocat eundem* Nomophylacem. *Mornacius* ad d. tit. d. de off. Præf. Præt. *ſimilia adfirmat, addens eundem eſſe, quem Cedrenus appellat* προόσοικον. *Eadem Bodinus* lib. 4. *c.* 6. *Sed manum de tabula. Vir Cl. non negat, eſſe quam tuemur, ſententiam communem Recentiorum opinionem. Si Commentatores ad* tit. Digeſt. De Off. Præf. Præt. *producam, nihilo magis proficiam, quam ille cum ſuo Theſauro eruditionis ſcholaſticæ; qui de ſe, nullo veterum fultus, ex cohortibus & Caſtris facit Prætorium.*

RESPONSIO
ad Cap. XII.

Videtur hoc Capite Vir A. progredi jam velle ad firmandam denique ſuam *Prætorii* interpretationem. Cui rei ut ſpeciem aliquam addat, inanem verborum ſtrepitum & prolixitatem affectat, licet rebus plane caſſam: atque idcirco mox unius Loci, ex Græco Scriptore, expoſitionem in tria Capita diſpeſcit; hoc autem Capite nihil aliud agit, quam ut primo, per fœdam ſententiæ meæ, licet ſatis evidenter declaratæ, atque adeo ejus, quod in controverſo eſt, ignorationem, diſputet contra me, tanquam ſi docuerim aliquid, quod nunquam docui, immo cujus contrarium docui: & dein verba adferat Eruditorum hujus Temporis, ad probandam rem Antiquam, quæ proinde ex ſolis Antiquis Auctoribus probari poterat ac debebat. Quod ad prius, ait, *Non apparere igitur*, *an-*

antiquam Prætorii *ſignificationem recepiſſe mutationem*, aut *Enormem adeo vocis Reique inverſionem factam fuiſſe*, ut *temporibus Auguſti*, *ſequentiumque Principum, deſierit* Prætorium *eſſe Domus*, *NEC ALIVD*, *quam Cohortes*, *aut corpus Militum*, *fuerit*; quod *me agitare* addit. Ex quibus manifeſtum, adſcribere eum mihi hanc ſententiam: Inverſam eſſe adeo enormiter *Prætorii* ſignificationem, ut quum antea ſignificarit locum manſionis vel habitationis, veluti Tabernaculum ſummi Ducis in Caſtris, & Domicilium Præſidis in Provinciis, id minime amplius ſignificarit tempore primorum jam Cæſarum, ſeu nullum amplius Locum, nullam Domum, ſed in Genere, ſive intra Vrbem, ſive extra, NIHIL ALIVD, quam Prætorias cohortes. At vero tantum abeſt, ut hæc mea ſit aut fuerit unquam ſententia, ut e contrario diſertiſſime docuerim in utraque Diſſertatione, *Prætorium* in Caſtris ſignificaſſe olim, ſine ulla Temporis diſtinctione, Taberna-

bernaculum Ducis Caſtrenſis: in Provinciis vero domum, in qua habitabant Præſides, idque non tantum ante Imperatores, aut ſub Impp. primis, ſed & ſub Chriſtianis: Denique in Agris illa ædificia, in quibus ipſe Dominus manere ſolebat; & hanc quidem ſignificationem cœpiſſe demum ſub Cæſaribus. Vide Diſſ. I. §. 30. 31. 32. &c. ut & II. tum alibi paſſim, tum inprimis §. 25. Immo ut ſcripſerim §. 38. *Prætorium* pro Loco vel Domo poſitum, *tum ante tum LONGE POST Auguſtum nunquam fuiſſe diſtinctæ ſignificationis ab ipſa habitatione.* Quin & ut, quando *Prætorium* tandem etiam Prætorias cohortes, & nihil aliud quam eas, ſignificaſſe dixi, ſemper pene addiderim, *In ipſa Urbe*, aut *Rebus Urbanis*; inque iis inſuper nihil prorſus extitiſſe ante Imperatores, quod ea voce fuerit denotatum, ſæpius monuerim. Quæ ergo in omni hujus vocabuli ſignificatione per meam interpretationem oritur ſpecies mutationis, immo enormis adeo inverſionis in Re ſimul &

Voce factæ? An neſcit Vir Syſtematicus, ſeu mavult cluere Dialecticus, *diſtinguere* inter Auctam alicujus vocabuli ſignificationem, priori retenta; & mutatam *ac inverſam*, priori abolita? Certe enim ex mea ſententia, ut liquet ex ejus expoſitione heic iterum facta, non mutata eſt *Prætorii* ſignificatio, ſed aucta, ſicuti deſignatiotione *Villæ* in Agris, quæ item ſub Cæſaribus demum cœpit, ſic & *Prætoriarum cohortium* in Vrbe, in quam illæ ab Auguſto demum ſunt inductæ. Nam antea quidem etiam de Caſtrenſi hominum multitudine uſurpatum reperitur controverſum hocce vocabulum, ſed rarius, nunquam autem de ulla Re aut multitudine Vrbana: at poſtea ſæpius illud de re Vrbana adhibitum occurrit, æque ac exorta eodem demum tempore appellatio tum *Præfecti prætorio*, qui quando inſtitutus eſt, prætoriis illis cohortibus unice fuit præfectus, tum *Prætorii Caſtri* ſub Tiberio exſtructi, in quo cohortes illæ tendebant. Incaſſum itaque

que tam multa hoc Capite verba fun-
dit Vir Dialecticus, quando per ma-
nifeſtam Elenchi ignorationem refu-
are conatur, tanquam meam ſenten-
iam, quæ mea nunquam fuit, *Præ-
orium* poſt Auguſtum non amplius
ignificaſſe id, quod antea ſignificarat,
h. e. Locum vel Domum. Quin ipſe
e contrario *novationis* aliquam ſpe-
ciem in *Prætorii* ſignificationem in-
ducere videtur, dum aſſerit, illud in
Vrbe ſub Cæſaribus rem ſignificaſſe,
quam nunquam antea ſignificavit, &
quæ tamen jam antea in Vrbe fuit, ſe-
cus quam Prætoriæ cohortes; h. e.
ſignificaſſe etiam Domum illius in
Vrbe, cujus Tabernaculum in Caſtris
proprie dicebatur ac dici debebat *Præ-
torium*. Nam ſi quæ eſt ratio, in Ana-
logia (Vſus enim eſt plane nullus)
ſignificationis, quam V. A. huic vo-
cabulo in Vrbe tribuit, ut denotet iſtic
habitationem Cæſarum, quoniam illi
erant ſummi in Bellis Duces, eorum-
que Tabernaculum in Caſtris dictum
proinde fuit ex Veteri Vſu *Præto-*

 rium:

rium: neceſſario etiam Conſulum, ut jam antea dixi, habitatio in Vrbe debuiſſet *Prætorium* eſſe appellata, ſiquidem & illi erant in Bellis ſummi Romanorum Duces, & eorum Tabernaculum, æque ac Cæſarum, dici omnino debuit, & dictum revera fuit, *Prætorium*: idque tanto magis, quoniam præcipua iſtius appellationis cauſa, & origo unica, penes Conſules, non item penes Cæſares fuit. Conſules enim & olim in Vrbe, & ſemper in Caſtris ac provinciis, etiam *Prætores* (unde *Prætorium* nomen ſuum habet) fuerunt appellati. Cæſares contra nunquam, nec in Vrbe nec in Caſtris aut Provinciis. Sed tamen nuſquam Conſulum habitatio in Vrbe ita appellata occurrit, idque qui ſtatueret, ſtatueret rem nunquam auditam, & nuſquam lectam, neque apud Veteres, neque apud Recentiores. Sequitur ergo, ut V. A. vel *novationem* aliquam in iſtius vocabuli ſignificationem inducat, dum ex ejus ſententia ſub Auguſto demum ſignificare cœperit in Vrbe id, quod ab omni tempore

pore in ea jam extiterat; vel potius rem inauditam, & alienam ab omni Linguæ Latinæ Vſu aſſerat. Nam nihil ab Antiquæ Linguæ Vſu tam alienum dari poteſt, quod V. A. non aſſerere auſit; non quidem ex ullis iſtius Linguæ documentis aut exemplis, ſed ex ſuæ Dialecticæ ratiunculis. Præterea quum unum ſtatuat, debet neceſſario etiam alterum ſtatuere, quandoquidem utriusque eſt Vſus pariter nullus, & Analogia eadem, niſi quod in Conſulibus longe ſit potior, quam in Cæſaribus. Ceterum ipſam illam Analogiam, qua in Cæſarum habitatione Vrbana iſthoc vocabulo inſignienda niti debet, Vſu, ut dixi, deſtitutus, licet jam ſatis refutatam ad Caput VIII. dederim, heic tamen denuo eam omnium judicio exponam, quoniam hoc Capite a Viro A. licet ſatis obſcure & intricate, proponitur. Eſt ea hujuſmodi. *Prætorium etiam ſub Cæſaribus ſignificavit Tabernaculum ſummi Ducis. Ergo etiam in Vrbe ſignificavit Domum Vrbanam, ſeu Palatium Cæ-*

ſarum.

ſarum. Egregia ſane vis conſequentiæ & digna Viro Dialectico! Philologi tamen, ut ſunt illi Novæ iſtius Dialecticæ prorſus imperiti, dicerent laborare illius argumenti conſequentiam compluribus ἀνακολέθοις. Nam primo ex Veteri & Communi Dialectica opponerent; a Poſſe ad Eſſe, h.e. ab Analogia ad Vſum, nullam dari conſequentiam. Deinde vero ingererent, ſummos illos Duces proprie *Prætores* dictos in Caſtris, atque ea de cauſa ipſorum Tabernaculum quoque appellatum iſtic fuiſſe *Prætorium*, ſicuti & *Prætoria Navis, Cohors, Porta*, ab illis eadem ratione ſit denominata. At Cæſares in Vrbe, neque reſpectu Vrbis, neque ullius alterius rei, immo nunquam prorſus dictos fuiſſe *Prætores*; & proinde nullam eſſe rationem, quare Vrbana eorum habitatio ad exemplum Tabernaculi Caſtrenſium Ducum, contra Vſum Linguæ omnino *Prætorium* ſtatuatur appellata. Sed hanc difficultatem V. A. intactam remittit Philologis, ut refutatu indignam, ſcilicet. Denique obſtreperent iidem homines, alia eſſe rem,

ipſum *Tabernaculum* Caſtrenſe, & *Domum* Vrbanam. Nunquam enim, non dicam Cæſarum, ſed neque ullius Senatoris, aut cujuscunque locupletioris Civis domum, in qua ipſe habitaret, appellatam fuiſſe *Tabernaculum*, id quod tamen velle & aſſerere videtur V. A. dum ex JCtis, Vlpiano & Paulo, tradit, *Tabernas & Tabernacula declarare omne utile ad habitandum ædificium.* Id vero de *Taberna* tantum ſcribit Vlpianus, at Paulus nihil aliud, quam a *Taberna* derivari *Tabernaculum* & *Contubernales.* Quapropter ſit ſane ita, quod ad *Tabernam*, in vilioribus & ex infimo genere hominibus, veluti in Servis, Cauponibus, Opificibus, & iis, qui propalam per ſe negotiationem exercebant; nequaquam tamen ideo ita ſe res habuit etiam in aliis Civibus cujuſcunque Loci aut Ordinis. Atque hinc idem ille Vlpianus l. 185. D. de Verb. ſign. *Tabernam* ad *Negotiationem* reſtringit, dum *Tabernam inſtructam* explicat, *quæ & rebus & hominibus ad Negotiationem paratis conſtat.*
Sic

Sic ſane Philologi, homines ſimplices, & a ratiocinandi, ac omnia coloribus quibuſdam adulterandi arte remotiſſimi, opinarentur, nullamque clamarent eſſe Analogiam, ſicuti nullus eſt Vſus, iſtius ſignificationis, quam V. A. *Prætorio* in Vrbe tam confidenter tribuit. Quod de aliis *inſignibus domibus*, ut erant Præſidum in provinciis, repetit eas quoque dictas *Prætoria*, *imitatione Prætorii*, *quod habuerit Imperator in Vrbe*, idque *Verſari in omnium oculis*, falſiſſimum eſt. Et refutatum id clariſſime Diſſ. II. §. 5. quia V. A. jam Comm. I. de *Prætoriis* Provincialibus diſertius affirmaverat, ea ſic appellata *exemplo Prætorii Cæſarum in Vrbe*. Quid enim clarius ad refellendam ejusmodi ſententiam dari poteſt, quam quod ex Cicerone docui, Præſidum Provincialium habitationes jam dictas fuiſſe *Prætoria*, antequam imperium penes Cæſares fuit, adeoque Cæſarum *Prætorium* in Vrbe exiſtere potuit. Reſpondet V. A. *Verum eſſe, Ciceronem domum Verris in Sicilia*, *cui*

cui ille præerat, appellaſſe Prætorium. Sed & hoc, addit, *confirmat eandem Analogiam.* Quam quæſo? Nempe *Prætoria dicta eſſe Domos inſignes imitatione Prætorii, quod habuit Imperator.* At hoc, licet *in omnium oculis verſari* dicat, manifeſte tamen falſum eſt, ut dixi, ſiquidem *Prætoria*, quale illud Verris in Sicilia, fuerunt utique antiquioris Vſus & Appellationis, quam fuit illud, quod habuiſſe Cæſares ſeu Imperatores in Vrbe, & cujus *imitatione* iſta nomen ſuum accepiſſe cenſet V. A. Sed nihil profectò penſi habet, quid dicat, dummodo aliquid dicat, potius quam Veritati victas det manus. *Prætoria* porro in Agris traxiſſe appellationis ſuæ originem a *Prætorio* Caſtrenſi, quippe quod inter reliquorum militum & ducum Tabernacula eminebat, ita ut Agreſte illud inter alia Ruſticorum Tuguria & Caſas, longe eſt veriſimilius, quam traxiſſe eam ab Vrbana Cæſarum habitatione, ſi maxime illa etiam *Prætorium* fuiſſet appellata, quod non fuit.

fuit. Si enim ab Vrbe repetenda eſſet iſtius *Prætorii* agreſtis Analogia appellationis, haud dubie quoque Vrbano potiſſimum & proprio Vrbanæ habitationi vocabulo, ſcilicet *Palatii*, fuiſſet inſignitum. Sed & minime conveniens eſt, Villas in Agris privatorum hominum voluptati inſervientes, ſub ipſis Cæſaribus cœptas appellari eo vocabulo, quo proprie illorum Cæſarum Aula in Vrbe denotabatur; quum utique Majeſtas eorum jam a Tiberii tempore multis etiam longe minoris momenti rebus læſa haberetur. Quos denique allegat V. A. ex Noſtrorum Temporum Eruditis Auctores ſuæ Interpretationis, illos ſane ſine ullo cauſæ ſuæ diſpendio prætermiſiſſe potuiſſet. Agnoſco enim, pleroſque ex illis *Prætorium* in Vrbe de Palatio Cæſarum interpretari, immo jam in Diſſ. II. diſerte utique affirmavi, Virum A. omnia, quæ de iſto Prætorio contra me in Comm. I. diſputaverat, hauſiſſe ex Briſſonii Lexico, & quem ille Lectoribus ſeu Conſultoribus ſuis in hoc nego-

negotio commendarat, Fabro in Semeſtribus. Sed, ait, tu quoque laudas *Theſaurum Eruditionis Scholaſticæ.* Non tamen Ego, ut ejus auctoritate probem, meam Interpretationem eſſe Veram; ſed diſerte ea ſolum gratia, ut oſtendam, non eſſe adeo *Novam* & inauditam, ut quidem eam increpuit V. A. Ipſe vero nullas omnino habet rationes, quare Lexica & Interpretes ita oſtentet, niſi ſi eorum auctoritate ſuæ interpretationis veritatem probari & adſtrui velit. At Philologi adeo obtuſa geſtant pectora, æque ac in negotio religionis Proteſtantes, ut iſti auctoritati, ſi antiquitatis documentis ſit deſtituta, non adeo multum tribuant. Ceterum tria tamen velim obſervari in iſtis Interpretum Excerptis, quæ V. A. congeſſit. Primo quidem, nullum tamen eſſe in iis, qui *Prætorium* per Auditorium judiciale exponat, quod proprie ſeu potiſſimum vult V. A. ut ex ejus definitione *Prætorii* liquet. Deinde Budæum, quem præcipue & ſuo merito laudat, in eodem

tamen loco, paulo ante verba a Viro A. allata, dicere, *Præfectus Prætorii a Cohorte Prætoria dictus eſt. Apud antiquos enim cohors quædam erat, quæ Prætoria dicebatur, &c.* Quando quis ait, *Præfectum Prætorii dici a Prætoria cohorte*, is utique ſignificat clariſſime, ſua ex ſententia per *Prætorium*, a quo is Præfectus denominatur, deſignari proxime Prætoriam illam cohortem. Vt adeo videatur ſane Budæus in hujus vocabuli ſignificatione hæſitaſſe prorſus, vel ſaltem ſententiæ ſuæ fuiſſe parum certus. Denique Neminem ex illis, quos V. A. allegavit, ſuam interpretationem de Palatio vel Aula Cæſarum firmare ullo iſtius ſignificationis exemplo, ex Antiquis Scriptoribus petito. Quapropter non poteſt V. A. hanc conditionem recuſare, quin mihi in eadem re liceat veluti difflare & abjicere omnem illorum Interpretum auctoritatem iiſdem verbis, quibus ipſe, licet falſo, utitur adverſus Erud. Schol. Theſaurum: O Interpretes Antiquitatis, *qui nos erudiunt de*

de rebus Antiquis ſine Auctoribus Antiquis. Aequiſſima utique eſt hæc reſponſio, niſi alia ſit conditione V. A. in diſputando, ac Ego ſum, aut alia illi Interpretes in affirmando, ac Doctiſſimi Auctores iſtius Theſauri. Sed omnem ſuperat fidem, quod in hoc ipſoCapite,ubi illos Interpretes memorat, qui veriſſime, *De ſe, Nullo Veterum Fulti*, ex *Palatio* faciunt *Prætorium*, increpare tamen non veretur hiſce verbis *Theſaurum*, ut *qui de ſe, Nullo Veterum fultus, ex Cohortibus & Caſtris faciat Prætorium*, licet ille quidem *Veteres*, Suetonium ſcil. & Tacitum, in ſuæ expoſitionis probationem attulerit, iſti vero Interpretes nullum plane. Quæ, obſecro Te Lector, hæc eſt vel protervia, vel iniquitas, ita temere & oſcitanter inſultandi Doctorum hominum Laboribus, atque in iis falſo exagitandi, quod a te, & tuis ſuffragatoribus eodem tempore laudatis, vere admittitur?

CAP. XIII.

Quod Græci rerum Romanarum Scriptores Præfectum Prætorio ſæpe vocant Aulæ Præfectum, inde ſequi, Aulam eſſe Prætorium, remotis exceptionibus, probatur.

Hæc recentiores illi, pluresque, ſi libitum eſſet, ſine numero: Prætorium docent eſſe domum Imperatoris, Aulam, iidemque tamen Præfectum Prætorio vocant ideo, quod exercitui, quod cohortibus Prætorianis ſit præpoſitus. Nam quia Prætorio ſuberant illæ cohortes, Præfectura Prætorii ſimul & neceſſario cohortes ei ſubditas trahebat. Græci rerum Romanarum ſcriptores ita ſæpe diſerte, Ἔπαρχοι αὐλῆς, ὕπαρχοι αὐλῆς, Præfectum Aulæ, *ſub Rectorem* Aulæ *vocant Præfectum Prætorio, vertentes* Prætorium per Aulam, *ita ut Marcus in Evangelio,* ἔσω τῆς αὐλῆς, ὅ ἐστι Πραιτώριον; intra Aulam, hoc eſt Prætorium c. 15. v. 16. *Iidem Græci Præfectum eundem vocant* Στρατοπεδάρχην, Exercitus Præfectum; & ἄρχοντα τοῦ δορυφορικοῦ; *quia, ſicut*

ſicut Zoſimus, τὰ περὶ τὴν αὐλὴν τάγματα τῇ τούτων ᾠκονομεῖτο φροντίδι καὶ ἐξουσίᾳ; Cohortes, quæ circa Aulam erant, ipſius cura & poteſtate adminiſtrabantur. *Quid cohortes illæ circa Aulam? Dicat idem Zoſimus in* lib. 2. οἱ περὶ τὴν αὐλὴν Στρατιῶται, οὓς Πραιτωριανοὺς καλοῦσι. Milites qui circa Aulam erant, quos prætorianos vocant. *Prætoriani dicuntur a Prætorio, quemadmodum utrimque in confeſſo eſt; Imo ſunt Prætoriani, quia* περὶ τὴν αὐλὴν, circa Aulam *ſunt, ut Zoſimus. Aut igitur apud Aulam eſt Prætorium, aut nihil eſt, unde Prætoriani ſint & vocentur tales. Aula non eſt alia, dicent opinor, quam* Aulica domus, *ut Spartianus in Adriano; qua voce Græci Prætorium efferunt, ut in Marco videmus & cæteris, Plutarcho, Herodiano, Zoſimo, fatente ipſo Viro Cl. qui, dum præfectum* Prætorio *vertunt* Ἔπαρχον αὐλῆς, Aulæ Præfectum, *indicant, Prætorium ab Aula non eſſe ſeparatum; niſi quis duo diſtincta officia Præfecturam Aulæ & Præfectum Prætorii primo-*

morum tempore Cæſarum nobis excogitare velit. Vir Cl. huic argumento ſe opponit in forma ſtatus pag. 236. Ponamus in medio Præfectum Prætorio, *inquit*, Quæritur, cui rei proprie ſit Præfectus, ſeu quid iſtic Prætorium ſignificet. Adverſa Pars adfirmat ſignificare Palatium, Aulam. Ego Prætorias Cohortes. *Ego vero ſic; Præfectus Prætorio vocatur a Plutarcho in Galba, Herodiano, Zoſimo, Præfectus* Aulæ. *Prætorium igitur eſt Aula: Prætoriæ cohortes ita dicuntur, quia ſunt* περὶ τ' Αὐλὴν, circa Aulam, *id eſt*, Prætorium. *Ergo Prætorium eſt Aula, vel apud Aulam. Vir Cl. nihil reſpondet; Sed in* pag. 235. *adfirmat*, nullam eſſe in hoc argumento vim; quin ſi res ſibi eſſet cum alio, cujus minore duceretur reverentia! *Bene igitur mecum agitur, quod tantum erga me reverentiæ ſupereſt Viro Cl. ut hoc argumentum refellere non ſuſtinuerit. Sed tamen ne nihil agat, rurſus probatum it, præfectum Prætorio dictum etiam fuiſ-*

fuiſſe præfectum cohortibus Prætorianis, quas a Prætorio pendere ejuſque ſub imperio contineri cum antea, tum in pr. hujus cap. *dicere occupavimus. Interea tam prolixe, quod eſt in confeſſo, probat Vir Cl.* d. pag. 236. & ſeqq. *ut ſi qua vis in iſtis allegatis ineſſet, tot verbis obruta periret. Si tam contra me eſſet, præfectum Prætorii eſſe præfectum cohortium; quam adverſum eſt illi, quod præfectura Prætorii ſit eadem cum Aulæ præfectura, haberent, quo tenderent illæ recitationes. Nunc vero, cum mihi, præfectura Prætorii ſub ſe contineat Prætorii cohortes, non poteſt obſtare meæ ſententiæ, quod Præfectus Prætorio vocatur etiam a Prætoriis cohortibus. Verum a cohortibus prætoriis nunquam pependit aut ſub iis contenta fuit Aula Principis. Quando igitur Prætorio præfectus idem appellatur Aulæ Præfectus & Prætorium ſunt Cohortes Prætoriæ, ut Vir Cl. vult, tum vel Aula debet eſſe Acceſſio cohortium, quo nihil alienius; vel Aulæ præfe-*

ctura debet eſſe diſtinctum munus a Præfectura Prætorii; quod notitia Imperii nos adhuc non docuit. Et tamen ne ſic quidem, ſi diſtinctum munus eſſet, a Græcis ita κατὰ πόδας *verteretur, Præfectus Prætorio,* Ἔπαρχος αὐλῆς, Aulæ Præfectus. *Si durat Viro Cl. reverentia mei ſcilicet, poteſt hoc etiam tranſmittere iiſdem verbis*; nullam vim ineſſe huic argumento: *qualia* κρεσφύγετα *Juriſconſulti habent pro confeſſionibus teſtatis. Scio Cl. Virum multis paginis hunc articulum proſequi: ſed ego quidem nullum ejus argumentum ſilentio prætermittam; at eloquentia mihi nunquam inepta videtur, quam ubi argumentum non habet: Quicquid eſt, conſumpſimus. Vnum addo; dixiſſe me, Præfectum Prætorio vocatum eſſe* Ἔπαρχον αὐλῆς; *non unice, non abſolute, aut ſemper, verum* ſæpe ſimpliciter, *quod abunde probatum eſt.*

RESPONSIO
ad Cap. XIII.

Duobus omnino argumentis firmare in Comm. I. ſtuduit V. A. ſuam *Prætorii* interpretationem de Palatio, aut ejus Parte, ſeu Auditorio Iudiciali. Neque eſt, quod plura quis in Singulari hoc Libro repertum iri ſperet. Alterum eorum ex loco Dionis, Græci Scriptoris, petitum eſt, de quo Capp. ſeqq. Alterum ex eo, quod quidam Græci *Præfectum Prætorio* reddiderint ἔπαρχον Αὐλῆς. In hoc poſteriore *nullam* Ego *ineſſe vim* dixi Comm. II. §. 40. non tamen abſolute, verum ſub conditione, *Niſi Simpliciter, & Conſtanter, vel ſaltem Potiſſimum, Græci & quidem Antiquiſſimi quique ita verterint.* Cujus Ego contrarium ibidem docui, oſtendens, pleroſque, & quidem antiquiſſimos illos, aliter vertiſſe, veluti, ἔπαρχον τοῦ δορυφορικοῦ, τῶν στρατευμάτων, τῶν στρατοπέδων, ut & στρατοπε-

τοπεδάρχην, omnibus ex militia deſumptis appellationibus, meæque Interpretationi convenientibus: immo inſuper Latinos etiam, nunquam *Præfectum Aulæ*, aut *Palatio*, ſed ſæpe *Prætoriis cohortibus* aut *Prætorianis Militibus*, eum vocitaſſe. Queritur tamen V. A. me *hoc argumentum non ſuſtinuiſſe refellere*, prætextu reverentiæ cujuſdam ipſi imputatæ, & hujuſmodi reſponſiones (*nullam ineſſe vim in iſthoc argumento*) a JCtis *haberi ait pro confeſſionibus teſtatis*. Videamus ergo rem ipſam denuo, & quidem iterum *in forma ſtatus*, quem a me jam ante propoſitum exhibet V. A. ſed nec refutat, nec ſequitur. Quæritur itaque inter nos, quid in Vrbe ſignificet *Prætorium*, & proprie etiam in illa appellatione *Præfecti Prætorio*. V. A. interpretatur de Palatio Cæſarum, vel potius de ejus Auditorio Iudiciali. Ego de Prætoriis Cohortibus. Loca ille nulla adfert, nec adferre poteſt, in & ex quibus *Prætorium* unquam pro Palatio poſitum pateat. Ego quamplurima, in quibus

in

in ſenſum Prætoriarum cohortium determinatur, ſeu ita adhibetur, ut ei, ſine ulla acceſſione aut imminutione totius Sententiæ, *Prætoriæ cohortes* ſubſtitui poſſint. Utitur ergo ille hocce argumento, quod tamen *Præfectus prætorii* a Græcis quibuſdam appelletur ἔπαρχος αὐλῆς, h. e. *Præfectus Aulæ*. Ego vero contra docui, ab aliis Græcis, & quidem longe potioris, quam illi, in hoc negotio auctoritatis, deſignari Præfectum hunc multis aliis appellationibus, iiſque, quæ in ſignificationem ipſorum Militum Prætorianorum, aut Caſtri Prætorii conveniunt omnes: immo & a Latinis, ſi alia, quam iſta *Præfecti prætorio*, appellatione deſignetur, nunquam tamen dici *Præfectum Aulæ*, aut *Palatio*, ſed ſemper *Præfectum prætoriis cohortibus*, aut *Prætorianis Militibus*. Jam vero, rogo te, Benevole Lector, quæ ergo vis probationis in iſthoc Viri A. argumento eſſe poſſit, aut quare magis ex τῷ Ἔπαρχος Αὐλῆς concludi debeat, *Præfectum Prætorio* ſignificare *Præfectum*

Pa-

Palatio, quam ex τῷ Ἔπαρχος τοῦ Δορυφορικοῦ, ſignificare *Præfectum Corpori Militum Prætorianorum*, vel ex τῷ Ἔπαρχος τοῦ στρατοπέδου aut στρατοπεδάρχης, ſignificare *Præfectum prætorii Caſtri*? Immo annon multo major in illa *Præfecti Prætorio* interpretatione per alias locutiones, vis probationis ſit pro mea, quam pro Viri A. ſententia, ſiquidem non tantum Latini meæ faveant: ſed & Græci, qui Ἔπαρχον Αὐλῆς vocitant, ſint ætate poſteriores, immo nullus, quod ſciam, præter Plutarchum ante tempora Conſtantini (quando & Imperatores non amplius habitarunt Romæ, & Caſtrum Prætorium una cum Militibus Prætorianis ex ea Urbe eſt ſublatum) ita vocitet. Nam Herodianum, neſcio quo caſu factum, ut inter illos, qui *Præfectum prætorio* ſic reddiderint, retulerim. Vir A. me ſecutus, adverſus me idemtidem eum allegat, licet nullum habeat iſtius teſtimonii vel auctoritatis firmamentum, niſi meæ vel memoriæ vel calami lapſum. Nam certum mihi jam eſt, nuſ-

nuſquam apud Herodianum occurrere ἔπαρχον αὐλῆς. Sed & Plutarchus conjunctim ἔπαρχον αὐλῆς καὶ τῶν δορυφόρων, h. e. *Præfectum Aulæ & Prætorianorum Militum* dicit. Contra vero alii antiquiores, immo omnes alii ante Conſtantinum, meam interpretationem ſuæ verſionis auctoritate firmant. Quæ quum ita ſint, Ego certe, quando quæritur, quid rei Vrbanæ apud Romanos ſignificaverit *Prætorium* in illa *Præfecti prætorio* appellatione, antequam illud munus tempore Conſtantini mutatum eſt ex Vrbano in Provinciale, & ex Militari in Politicum, (Vide Vales. ad Amm. Marcell. lib. XIV.) putem ſane, longe potiorem habendam eſſe fidem Latinis primum, ſeu Romanis, *Præfecturam Prætorii* alia locutione veluti interpretantibus, quam Græcis; porro inter Græcos potius iſtis, qui eo tempore vixerunt & ſcripſerunt, quando illud Vrbanum adhuc fuit munus, immo quando inſtitutum paulo ante fuerat, & hanc appellationem rebus ad ſe pertinentibus tunc haud dubie

bie congruam acceperat; quam illis, qui vixere, quum jam nihil priſtini; niſi ſolum nomen, haberet, quum jam Milites Prætoriani, & Prætorium Caſtrum, quin & ipſum hoc munus ex Vrbe eſſet ſublatum & abolitum, atque idcirco non amplius a Græcis illius temporis exponi poſſet per *Præfecturam prætoriarum cohortium*, ſicuti factum erat ab antiquioribus: immo quum jam ignorari facile poſſet, maxime a Græcis, quid vere Latina iſtius muneris appellatio olim ſignificaſſet. Sed & neminem alium arbitror, qui modo ſit extra partium ſtudia, heic hæſitaturum, quam in partem ferenda ſit ſententia; & mecum non agniturum, nullam ergo prorſus ineſſe vim conſequentiæ in hocce nexu; *Prætorium denotaſſe temporibus Neronianis Palatium, eo quod Græci quidam, imprimis poſt Conſtantini tempora, Præfectum Prætorii vocarint* ἔπαρχον Αὐλῆς. E contrario multam ineſſe in eo, *Prætorium ſine dubio ſignificaſſe Prætorias cohortes, vel Prætorium Caſtrum, quoniam Latini omnes*,

nes,

nes, *& Græci ante Conſtantinum vix aliter Pr. Prætorii exponant, quam, Præfectum Prætoriis cohortibus*, ἔπαρχον τ̃ δορυφορικȣ̃, *vel* τȣ̃ στρατοπέδȣ.

Sed excipit V. A. *Præfectum Prætorio*, licet proprie ſit Præfectus Aulæ, dici quidem etiam *Præfectum Prætoriis cohortibus*: at non alia ratione, quam quia *Prætoriæ Cohortes ſuberant Aulæ*, & ad Aulam pertinebant, id quod adeo fecerint, ut etiam Milites earum Cohortium a *Prætorio*, h. e. Aula, dicti proinde fuerint *Prætoriani*. Nam quod *Prætoriani dicti fuerint a Prætorio*, id *eſſe utrimque in confeſſo*: Porro autem, *Prætorianos* eſſe τὰς περὶ τ̃ αὐλὴν στρατεύοντας, *Milites circa Aulam*, tradere Zoſimum. Reſpondebo ad ſingula, & nullam V. A. rationem ſilentio prætermittam, longe verius, quam ille id pollicetur in extremo Capitis, quum pleraque reliquerit intacta, quæ Ego hiſce illius rationibus jam repoſueram. Primum omnium, ſi *Præfectura Prætorii* fuiſſet proprie & primitus nihil aliud, quam Præfectura

Au-

Aulæ, haud dubie ita aliquando appellata fuiſſet a Latinis Scriptoribus, quippe quum tritiſſima ceteroqui ſint, & obvia paſſim vocabula, *Palatium* & *Aula*. Nunquam vero id fieri certum eſt, immo neque a Græcis, niſi poſterioribus, & uno inſuper Plutarcho. Deinde, fuiſſet etiam munus illud a prima ſui origine proprie vel Politicum, vel Iudiciale, vel Oeconomicum, non autem Militare. At contra fuiſſe prorſus Militare: atque idcirco ab ipſis JCtis Pomponio, & Aur. Arcadio comparari cum Tribunatu Celerum, & Magiſterio Equitum ad Militiam omnium conſenſu pertinentibus: ſed & ad eandem referri ab aliis quoque Auctoribus, dum illud deſignant per *jus Militum*, *Curam & Regimen Prætoriarum cohortium*, nunquam per ſimilem *Palatii* aut *Judiciorum* mentionem: immo ipſos Præfectos non tantum dici ſæpe *Præfectos prætoriis cohortibus*, ſed & paſſim, quando agitur de Prætorianis Militibus, ſimpliciter *Præfectos*: hæc omnia, inquam, ita ſe habere,

bere, jam docui Diſſ. II. §. 41. & ex iis aliiſque probavi, ni fallor, clariſſime, primum & proprium munus Præfecti prætorio fuiſſe, ut præeſſet *Prætoriis cohortibus*, neutiquam vero, ut *Aulæ.*

Quare ergo, dicet quis, a quibuſdam tamen Græcis *Præfectus Aulæ* appellatur? Nempe quia ex modicis initiis potentia & cura hujus muneris majorem in modum paulatim fuit aucta, adeo ut tandem omnia Cæſarum per illos Præfectos adminiſtrarentur. Oſtendimus enim ipſis Auctorum verbis Diſſ. II. §. 43. *Modicam* primo fuiſſe hanc poteſtatem, ſed dein Sejanum eam *intendiſſe*, h. e. auxiſſe & extuliſſe. At quomodo? Nempe adſumpta aliarum quoque rerum Cura. Nam qui antea, Præfectus Prætorii factus, dicitur ſimpliciter *Collega Patri* in iſthoc munere *datus regendis prætoriis cohortibus*: Idem *Mox* non tantum *Militiæ*, ſed & *Urbis munia ſimul obiiſſe* traditur apud Tacitum. Et ſimiliter plane Dio Lib. LVII. *Ille*

ergo Sejanus aliquandiu cum Patre ſuo præfuit Prætorianis Militibus: Poſtquam vero ſolus præfecturam eorum habuit, & alia illorum ordinavit, & cohortes antea diſperſas in unum conduxit Caſtrum. Deinde vero, *Hunc Tiberius tum Prætoriis ornamentis ornavit, (quod ante illum accidit nemini ſimilium) tum* σύμβουλον καὶ ὑπηρέτην πρὸς πάντα ἐποιεῖτο, *Conſiliarium & Miniſtrum ad omnia conſtituit.* Quid clarius, quam ad ſimplicem & *modicam* illam Prætoriarum Cohortium Præfecturam acceſſiſſe poſtea hocce *Miniſterium in omnia?* Addit quidem Dio, adſumptum a Tiberio Sejanum in illud Miniſterium *propter ſimilitudinem morum.* Sed haud dubie fuit & alia longe potior cauſa. Nimirum quod Tiberius, ſenex prudentiſſimus, & omnia tuta timens, ſatis ſuperque perſpectum habuerit, quanta vis potentiæ ineſſet in illa prætoriarum cohortium Præfectura: & propterea cenſuerit, illius potiſſimum Præfecti conſilio & auxilio ſibi in omnibus utendum

dum, cui tantæ potentiæ munus commiſerat, quicunque tandem is eſſet. Certe Ioſephus *maximam* Sejano *potentiam* tribuit, XVIII. 8. tantum *propterea, quod præeſſet Militibus* ſeu *Cobortibus*, δύναμιν ἐν τῷ τότε μεγίστην ἔχοντος, διὰ τὸ τῶν στρατευμάτων εἶναι ἡγεμονίαν αὐτῷ. Sed & ſi percurremus hiſtorias, paſſim nobis occurret in rebus maximis immenſa illa eorum potentia, qui Prætorianis præerant. Certe enim, qui Sejano ſucceſſit, Macro tantum ſtatim poterat per cauſam illius muneris, ut Caligula, quum Tiberius jam eſſet morti propinquus, & ipſe ſucceſſionem in imperium meditaretur, omnia fecerit, quo ſe in Macronis gratiam inſinuaret, Sueton. Calig. 12. immo ut *Macronis odium haud minus validum, quam Sejani, ad exitia* illuſtrium Civium fuiſſe, Tacitus An. VI. 29. dixerit. Sic & quum Claudius rerum potiretur, ac punire vellet uxorem Meſſalinam, quæ ipſo inſcio nupſerat alteri, monitus ab Amicis fuit, *iret in Caſtra, firmaret Prætorias cohortes, Se-*

curitati ante, quam Vindictæ, conſuleret. Et trepidabatur a Cæſare. Cauſa erat, *quippe Getæ prætorii præfecto haud ſatis fidebat. Ergo Narciſſus non aliam ſpem Incolumitatis Cæſaris affirmat, quam ſi jus Militum uno illo die in aliquem Libertorum transferret*, apud Tacit. An. XI. 31. & 33. Similiter eidem Claudio quum Agrippina nupſiſſet, ac præterito ejus filio Britannico, ſuo Neroni aditum ad imperium patefacere conaretur, non tamen prius, ut ait idem Tac. An. XII. 42. *Summa moliri audebat*, quam *Prætoriarum cohortium cura exſolverentur* duo illi, qui tum prætorio præerant; & earum *cohortium Regimen transferretur ad Burrhum.* Quin immo Præfectura hæc apud Herodianum V. 1. dicitur *non multum inferior poteſtate ac potentia Imperatoris*, at quare? *Quia* ſcil. *& ipſe Imperator Præfectis cohortium ſeſe permittere debet, vel ſolet*, πεπίστευται. Quibus ex omnibus liquet ſatis illa pene infinita eorum, qui præt. Cohortibus præerant, po-

potentia, unde & factum, ut tandem vix quiſquam novus & novæ familiæ Imperator extiterit, niſi vel Præfectus ipſe, vel per Præfectos: & ut Imperatores haud facile quenquam iſthoc munere ornarent, niſi conjunctiſſimum & fidiſſimum ſibi Amicum, ne alius quiſquam hac tanta poteſtate adverſus ſe abuteretur, aut ea ſubnixus ad imperium adſpiraret, ut vel ſic tamen fecerunt quamplurimi. Curam & ſtudium id cavendi vide ſis in Commodo apud Herod. I. 9. Quia ergo tanta fuit potentia in ſimplice illa prætoriarum cohortium præfectura, & quia idcirco Cæſares ad eam non niſi fidiſſimos ſibi produxere, ac denique, quia, quæ volebant, omnia per eos potiſſimum debuerunt in Vrbe exſequi; nihil profecto mirum, ſi eos quoque potiſſimum adſumpſerint in longe præcipuos rerum ſuarum Adminiſtros & Conſiliarios, atque adeo illi præt. coh. Præfecti præfuerint ſic tandem omnibus pene rebus ad Imperatorem & Aulam pertinentibus, quin & appellari

etiam paulatim cœperint, ſicuti *Præfecti* ipſius *Imperatoris*, ut paſſim ſit in Latinis Hiſt. Aug. Scriptoribus, ſic & a Plutarcho, & ſæpius deinceps ab aliis poſt Conſtantinum, ἔπαρχοι αὐλῆς.

Sed ait V. A. Si *Prætorio Præfectus*, qui a Græcis quibuſdam appellatur ἔπαρχος αὐλῆς, non fuit ab ipſo initio, ſeu proprie & primitus *Præfectus Aulæ*, *tum vel Aula debet fuiſſe acceſſio cohortium, quo nihil alienius, vel Aulæ Præfectura debet fuiſſe diſtinctum munus a Præfectura prætorii, quod Notitia Imperii nos non docuit.* Immo neutiquam fuiſſe hæc ſub primis Imperatoribus (nam ſub Conſtantinopolitanis fuere, licet Præfectus Aulæ aliter tunc appellatus fuerit) diſtincta & diverſa munera, ſatis manifeſtum ex ſuperioribus. Nec enim ſub Auguſto & ſeqq. Impp. proprie ullus Aulæ Præfectus fuit. Quid ergo? an illud, cujus reſpectu Præfectus Præt. a poſterioribus Græcis appellatus eſt *Præfectus Aulæ*, acceſſio fuit ad prætoriarum cohortium curam & regimen?

Sic

Sic eſt omnino, etſi *eo nihil alienius* clamitet V. A. Nec dubitabit, opinor, qui ſuperiora diligenter examinare non gravabitur. Et ſit ſane *Præfectura Aulæ* nomine & appellatione ſpecioſior, longe contra amplior ac validior vi & potentia fuit *prætoriarum cohortium Præfectura*. Sed &, an neſcit V. A. id in quamplurimis accidiſſe muneribus, ut acceſſio, quæ poſtea ad illorum munerum initia fuit addita, longe tandem ea exſuperaverit tum ſpecie appellationis, tum ſæpe etiam vi ipſa potentiæ? An neſcit, ex quibus initiis in quantam potentiam excreverint in Vrbe Roma Tribuni pl. & deinceps in Aulis Principum ac Regum Comites Stabuli, & Majores Domus? Sed aliud, ſimilius huic noſtro, exemplum adferam. Nemo paulo humanior ignorat, *Cenſuram* fuiſſe primis temporibus *rem parvam*, & *magis neceſſariam, quam ſpecioſi miniſterii procurationem*: conſtitiſſe tantum in recenſendo populo, & bonis ſingulorum civium in cenſum accipiendis, immo

& per ſe cenſendis, ſi forte ab iis parum bona fide in cenſum deferrentur: Porro ab hoc cenſu agendo, *re operoſa*, & quæ a primis Conſulibus *minime Conſularis* exiſtimabatur, *Cenſores appellatos*, ſicuti & *Cenſi* dicebantur Cives, qui bona ſua apud Cenſorem profeſſi eſſent, actio vero ipſa, & æſtimatum ſingulorum patrimonium *Cenſus*. Sed nec minus certum eſt, *Cenſuram a parva origine ortam; deinde tanto incremento auctam eſſe*, (utor verbis ipſius Livii IV. 8. cujus etiam reliqua omnia ſunt, alio hic charactere exhibita) *ut morum diſciplinæque Romanæ penes eam regimen, Senatus Equitumque centuriæ, decoris dedecoriſque diſcrimen ſub ditione ejus Magiſtratus, &c. eſſent*. Quid? nonne longe amplior jam eſt hæc acceſſio, quam fuerunt initia iſtius muneris? Immo vero potiſſima ejus pars in iſta acceſſione prorſus tandem conſtitit, adeo ut Aſcon. Pedianus in Divin. Cicer. tantum *Regendis moribus Civitatis Cenſores quinto quoque anno creari ſolitos*

litos memoret, & addat, *Hoc triſte ſeverumque nomen Populus Rom. ſic oderat, ut intermiſſum eſſet per plurimos annos.* Vides integrum munus intermitti propter iſtam ejus acceſſionem. Tanti hæc erat in illo munere. Quid? quod & ipſi Cenſores tandem *Magiſtri* quoque *morum* fuerunt appellati? Sic Cicero Famil. III. 13. *Quum hæc ſcribebam, Cenſorem jam te eſſe ſperabam. Eo brevior eſt Epiſtola, &, ut adverſus morum Magiſtrum, modeſtior.* Denique nemo neſcit, etiam *Cenſoris* & *Cenſuræ* vocabula ſæpiſſime apud Latinos ſignificare alienorum morum reprehenſionem atque emendationem. Phædr. fab. 67. *Alii ſimul delinquunt, Cenſores ſumus.* Tac. Ann. II. 33. *Non id tempus Cenſuræ*, h. e. emendationis morum publicorum. Jam vero velim tibi proponas, Lector, Dialecticum quempiam, iiſdem, immo pluribus & validioribus argumentis, quam quibus V. A. ex *Præfecto prætorii* facit *Præfectum Aulæ*, autumantem, *Cenſores* non a cenſu populi

cenſendo, ſed ab illa morum præfectura, ſeu a cenſendis & regendis publicis moribus dictos, quia Cenſores etiam appellati fuerint *Morum Magiſtri*, itidem ut Præfecti præt. etiam ἔπαρχοι αὐλῆς; tum, quia *Cenſoris* & *Cenſuræ* vocabula illam quoque morum correctionem in Lingua Lat. denotant, quum contra *Prætorium* nuſquam Palatium ſignificaſſe reperiatur; Denique quia ceteroquin illa morum Præfectura, tam ſpecioſæ appellationis & tantæ dignitatis munus, fuiſſet acceſſio *rei parvæ*, h. e. cenſendi populi & pecuniæ ejus. Sed quemadmodum incaſſum quis ita argumentaretur adverſus diſertam auctoritatem Ciceronis, Varronis, Livii, & conſtantem ſententiam omnium, qui rerum Romanarum ſunt periti, ſic & manifeſtum ex iis eſt, nullam ergo ineſſe vim argumenti in iſtis ratiunculis, quibus V. A. contra omnem Hiſtoriam & Linguæ Vſum aſſerere conatur, *Præfectum prætorii* fuiſſe ab ipſo initio *Præfectum Aulæ*, idque ipſum iſta appellatione unice ſignificari.

Ce-

Ceterum hac objectione jam abjecta, & confutata, ni fallor, clariſſime, demonſtratoque, quomodo factum, ut Præfectus prætor. coh. tandem etiam ἔπαρχος αὐλῆς fuerit appellatus: nihil alicujus momenti in reliquis V. A. poſitionibus supereſt. Quæquæ enim de Prætoriis cohortibus, & earum Militibus, ut ad Aulam præcipue referendis, & proinde ab ea denominatis, commentatur, corruunt jam per ſe omnia, ſi maxime vera eſſent, quod neutiquam ſunt. Nec enim ex iis ſequeretur, Præfectum prætoriis cohortibus eſſe proprie *Præfectum Aulæ*, non magis quam *Præfectum ipſi Imperatori*, cui vere & unice ſuberant Prætoriæ illæ Cohortes, non Aulæ, vel Palatio: Plane quem admodum & in Caſtris, unde venerunt, non referebantur proprie ad Prætorium Tabernaculum, ſed ad ipſum Imperatorem ſeu Prætorem, a cujus latere etiam in acie non diſcedebant, & a quo nomen ſuum acceperunt. Atque hinc paſſim etiam a Græcis Prætoria-

ni hi milites dicebantur proprie Cæſarum σωματοφύλακες h. e. *Corporis Cuſtodes*, & περὶ ἀυτὰς δορυφόροι, *ſtipatores, qui circa eos erant*. Vide Herod. I. 3. & alibi. Immo II. 4. τὰς ἐν τῇ Ρώμῃ ςρατιώτας, ait, ὁι δορυφορεῖν ειώθασι τὰς βασιλέας, *Milites in Vrbe R. qui ſatellitum munus præſtare ſolent Regibus*, h. e. Imperatoribus. Similiter Prætoriani illi, qui Pertinacem interemerant, & a Severo deinceps exauctorati ſunt, dicuntur apud Eund. II. 13. acceſſiſſe ad Severum, ὡς μέλλοντες τ̃ Σεβῆρον δορυφορήσειν, *tanquam ſi etiam Severo futuri eſſent Milites Prætoriani*. Ad Imperatores ergo ipſos, ſive intra Aulam eſſent, ſive extra, pertinebant unice hi Milites. Sed tamen quia Imperatorum habitatio erat Aula, debuerunt illi utique, ut Imperatores ſuos cuſtodirent, ad Aulam excubias & ſtationem agere, atque idcirco quidem non male appellati fuerunt a Zoſimo, τὰ περὶ τ̃ Αυλὴν τάγματα, vel ὁι περὶ τ̃ Αυλὴν ςρατιῶται; immo Αυλικοὶ, ut ſemel factum a Plu-

a Plutarcho. Verum non alia ratione, quam qua iidem Milites dicuntur etiam εἶναι δορυφόροι τῆς βασιλείας, h. e. *ſtipatores ipſius Imperii*, Herod. II. 14. & δορυφόροι, οἱ τὴν βασίλειον φρουροῦσιν ἀρχὴν, *ſtipatores, qui cuſtodiunt & tuentur Cæſarum Imperium*. VIII. 7. Sicuti autem hinc non ſequitur, Prætorianos, quia dicuntur cuſtodiviſſe etiam vel muniviſſe ipſum *imperium*, nomen ſuum accepiſſe ab illo imperio ſeu poteſtate; ſic neque ex eo, quod dicuntur eſſe, vel excubare, circa *Aulam*, ſequitur, nominatos proinde omnino ab ipſa Aula, ſeu Aulam deſignari voce *Prætorii*, & ab hac porro voce iſtius ſignificationis dictos *Prætorianos*. Neq; etiam Zoſimus ait, Milites hoſce *eſſe* vel *dici Prætorianos, QVIA circa Aulam eſſent*, ut bis tamen affirmat V. A. & ut dicere debuiſſet Zoſimus, ſi quicquam ab eo juvari poſſet Viri A. ratiocinatio; ſed ſimpliciter refert, Maxentium adjutum a *Militibus circa Aulam, quos Prætorianos vocitent*, τοὺς περὶ τὴν αὐλὴν στρατιώτας, οὓς πραιτωριανοὺς καλοῦσιν. Plane ut iterum

rum Herod. V. 4. ἐμάχοντο ὑπὲρ τοῦ Μακρίνου οἱ σωματοφύλακες καὶ δορυφόροι, οὓς δὴ πραιτωριανοὺς καλοῦσιν: *Pugnarunt pro Macrino Corporis Cuſtodes & ſatellites, quos Prætorianos vulgo appellant.* Ridiculus mihi ipſe viderer, ſi ex ejuſmodi verbis colligere & adſtruere vellem, *Prætorianos* ſic proxime ab ipſo Imperatore dictos; ſed æque ridiculum eſt, ex ſimilibus plane Zoſimi verbis aſſerere, *Prætorianos* ita dictos ab ipſa Aula, & proinde quia *Prætorianorum* vocabulum a *Prætorio* ſit formatum, *Prætorium* ſignificaſſe ipſam Aulam.

Sed &, quod *utrimque in confeſſo eſſe* ait, *Prætorianos dici a Prætorio*, locum ſignificante, id neque mihi in confeſſo unquam fuit, neque verum eſt. Non quod nullo modo potuerint hi milites a Loco, vel etiam Aula denominari, quum utique apud Plutarchum dicantur *Aulici*; ſed quod, ut ad Cap. IX. oſtendi, non modo Hiſtoria illorum, in Vrbem ex Caſtris venientium, & ibi jam *Prætoriarum cohortium* nomine ornato-

torum, impediat, quo minus ab Vrbana re illud nomen accepiſſe credantur, ſed & conſtanter huic ſententiæ repugnet Analogia derivationum apud Latinos, quippe quæ a nominibus Locorum in terminationem puram exeuntibus format Adjectiva in INVS deſinentia, a nominibus vero Hominum vel Multitudinis, in IANVS. Sic enim a Palatio, Capitolio, Eſquiliis, *Palatinus*, *Capitolinus*, *Eſquilinus*, a Dyrrachio, Spoletio, Lanuvio, Aretio, Alexandria &c. *Dyrrachini*, *Spoletini*, *Lanuvini*, *Aretini*, *Alexandrini* &c. Quin ſi eam terminationem non ita commode ferret vocabulum, aut ſi κακοφωνία quædam ex eadem Syllaba bis repetenda in iſthac forma eſſet metuenda, maluere tunc Romani ad longe aliam potius, quam ad illam ꝙ IANVS, decurrere, ut proinde a Bononia, Tarquiniis, Lavinio, Iconio &c. quoniam κακόφωνον erat *Bononini*, &c. non tamen dixerint *Bononiani*, ſed potius *Bononienſes*, *Tarquinienſes*, *Lavinienſes*, *Iconienſes*, &c.

&c. Contra vero, quæ ab aliis hominibus aut cœtu hominum formata, terminationem ꝰ IANVS, in illis rejectam, paſſim præferunt; veluti a Magiſtratibus, *Præfectiani*, apparitores Præfecti præt. in Codice; a Gentibus ſeu Familiis, *Aemiliani*, *Octaviani*, qui ex Aemilia vel Octavia gente adoptati: a Tribubus, quæ erant poſtremis temporibus ſimpliciter partes quædam civium Romanorum, *Fabiani*, homines tribus Fabiæ, apud Sueton. Aug. Sed inprimis hæc appellationis forma in Militibus invaluit, & omnem obtinuit uſum, adeo ut quicunque ea inſigniuntur, ſemper vel a Duce ſuo, vel ab aliquo Militum corpore traxiſſe eam reperiantur. Sic *Cæſariani*, & *Pompejani*, a Ducibus ſuis. Sic omnium Legionum Milites vix unquam aliter, quam *Primani*, *Decumani*, *Viceſimani*, *Martiani*, h. e. Milites Primæ, Decimæ, Viceſimæ, Martiæ &c. Legionis. Sic *Vrbaniciani*, *Illyriciani*, *Germaniciani*, Milites Vrbani, Illyrici, Germanici exercitus.

tus. Ad hunc ergo modum etiam *Prætoriani* dicti ſunt haud dubie, vel a *Prætoriis cohortibus*, ut recte cenſuit Magnus ille Voſſius, vel a *Prætorio*, corpus militum Prætorianorum ſignificante. Vide plura de hac derivatione ad Cap. IX. pag. 503. & ſeqq.

CAP. XIV.

Nos aliud nihil adſerere, quam quod ab antiquo certum eſt, Prætorium eſſe Tabernaculum Imperatoris & Prætorianos cuſtodiiſſe Prætorium, quod apud Aulam factum eſſe conſtat: non incumbere nobis aliud probandum, quam quod in Aula ſit Prætorium; Id etſi jam probatum ſit, denuo probatur ex Dione Caſſio, cujus locum mirifice implicare diſſentientem.

N*ihil adhuc eſſe probatum, quo temere dictum a nobis ſit*, ingenti inopia veri opus eſſe *ad exprimendam e Pauli verbis, quibus innocentiam vinculorum ſuorum in* Prætorio *manifeſtam ſe reddidiſſe nuntiat, hujuſmodi interpretationem, ut non in Cæſaris Aula, verum in Caſtris extra urbem habita ſit Apologia Apoſtolica, ſatis demonſtratum eſt. Vir*

Cl. incepti ad probandum, quod Caſtra fuerint Prætorium, irritus, urget nos viciſſim, ut probemus, Palatium eſſe Prætorium, & Aulam Principis ita dictam eſſe. Id quidem multis modis, rationibus locisque jam factum eſt: Etſi a nobis probatio non poterat exigi, ſecundum Leges diſputandi. Nos enim nihil, quam quod eſt in confeſſo, adſerimus; Prætorium eſſe Tabernaculum Imperatoris, & milites Prætorianos eſſe, qui Prætorium cuſtodiunt. Hanc apud Latinos Scriptores ſignificationem eſſe indubitatam, pars adverſa (hoc meum nomen eſt unicum Viro Cl.) fatetur ubique. Qui mutatum vocabuli uſum adfirmat, ei mutatio probanda eſt. Ego qui nihil novi adſero, nihil probandum habeo. Dico, Prætorium eſſe Tabernaculum Imperatoris, Prætorianos eſſe milites, qui Prætorium cuſtodiunt. Cuſtodiverunt Aulam, & ſtationem habuerunt in parte Aulæ; Illic igitur, non alibi, quærendum eſt Prætorium: ibi fuerit oportet, aut

aut falſum eſt, milites Prætorianos id cuſtodiviſſe, falſumque eſt Prætorium eſſe Tabernaculum Imperatoris: quod tamen ſi falſum eſt, nihil ex hiſtoria verum eſſe poteſt. Scilicet tamen ex Dione Caſſio, Prætorium fuiſſe apud Palatium antea demonſtraveram: non primus, ait Vir Cl. Petrus Faber id ante te vidit, illum Briſſonius, Briſſonium tu vidiſti. Anguſtus & invidiæ miſer animus! Sed Dionis verba videamus ex libro 53, Καλεῖται δὲ τὰ βασίλεια παλάτιον, ὅτι ἔν τε τῷ παλατίῳ ὁ καῖσαρ ᾤκει, καὶ τὸ στρατήγιον εἶχε. Imperatoris ædes vocantur Palatium, quoniam & Cæſar in Palatio habitabat, atque ibi habebat Prætorium, *ut unice verti debet ac poteſt, quemadmodum Leunclavius, Sylburgius, uterque Stephanus, aliique omnes acceperunt, atque verterunt. Nam* στρατηγὸς *eſt Prætor, nec aliter unquam a Græcis Romanæ rei Scriptoribus, ut puto, appellatur. Unde* στρατήγιον, Prætorium *derivatione facillima & neceſſaria. Vir Cl. concedit*

dit etiam vertendum eſſe Prætorium pag. 229. *Subſiſtat velim uno momento Lector. Adhuc Prætorium habuimus, Caſtra, corpus militum Prætorianorum, nunc id habemus in Palatio & apud Aulam; bene habet; appropinquamus. Verum ſine captione* Omnino intellexit heic, ait Vir Cl. Dio ſtationem Prætorianarum cohortium, quæ ſemper erat in Palatio ad Aulam. *Mira transformatio, Vetus Prætorium fuit Tabernaculum Imperatoris; poſt Cæſares Caſtrum, ideſt, corpus militum Prætorianorum: Nunc eſt Statio militum apud Aulam. Sed qua auctoritate? de Caſtris habuimus Tacitum & Suetonium, ut ipſe volebat, acceptos. Sed quis ait eſſe Stationem? Nemo profertur; niſi quod ex Suida neſcio quid molitur. Vir Cl,* mihi ſufficit abunde, *inquit pag.* 233. quod Suidas ςρατήγιον etiam pro Caſtris ſumi apud veteres probat. *Quid hoc? modo* Στρατήγιον *eſt Statio militum, nunc ut approbetur hoc, ſufficit apud Suidam* Στρατήγιον *poni pro Caſtris?*

Caſtris? An apud Aulam Imperatoris Caſtra ponentur, ut Στρατήγιον *ſimul Statio militum, Caſtra, Prætorium, omnia apud Aulam ſint? magis ac magis intonat Dialecticæ Noſter; ſed audiamus ipſum Suidam, quem Vir Cl. jactat, non exhibet.*

RESPONSIO
ad Cap. XIV.

Non miror ſane, ſi quos facile tædium capiat hujusmodi controverſiarum, quæ inter Eruditos agitari ſolent. Nam & inter hos plerique non tam Veritatis, quam unico Vincendi ſtudio ducuntur, atque idcirco, etiamſi cauſa ſint longe inferiores, id tamen ſedulo ubique agunt, ut Lectoribus ſuis quoquo modo perſuadeant, penes ſe eſſe Victoriam. Recte quidem illud, ſi id facerent rationibus & argumentis, quibus oportebat, & quibus ſolis Veritas vere ſuperior evadit. Sed e contrario, non niſi magnifi-

cis verbis ſeſe jactando & efferendo, ſpeciem quandam demonſtratæ ſic ſatis cauſæ, abjectique prorſus Adverſarii, præbere conantur, & ita, ut, dùm ipſi pleraque, ad quæ nihil reſpondere valent, prætereunt, nihilominus tamen Adverſariis ſuis *inopiam Veri* magno faſtu identidem objicere non vereantur, immo nihil plane penſi habeant, quid pro vero Lectoribus ſuis obtrudant, freti hoc in negotio ea ſpe, quod pauci ſint harum rerum periti & æqui judices, pauciores, qui utramque partem audiant vel legant, pauciſſimi, qui argumenta argumentis conferant, id quod facere tamen debebant, qui juſtum ac certum ferre volunt judicium. Ne temere hæc præfatus videar, in promptu eſt exemplum A. Viri, qui omnia facit & molitur, immo qui nihil non pro lubitu affirmat & negat, tantum, ut ipſe rem bene geſſiſſe videatur, ego perdidiſſe: ſeu potius, ut inſerviat non Veritati, ſed ſuæ Exiſtimationi apud eos, qui ipſius ſcripta tantum legent. Ex hoc enim conſilio oritur haud dubie, quod omnibus

bus pene Capitibus mihi & pariter univerſæ *Philologorum* genti abjudicat inclementi ſupercilio omnem *Dialecticam*; quod falſo, vel ſaltem re ſibi neutiquam comperta, aſſeverare non dubitat, *nemini Eruditorum in mentem veniſſe, Prætorium Paulinum aliter, quam de Palatio, vel quam poſitum in Palatio, interpretari;* quod inter illos ſpeciatim, ſeu nominatim citat, tum *Diodatum*, ut mihi quoque adverſantem, licet is ad controverſum Pauli locum meam quoque interpretationem adferat, immo vulgatæ præferre videatur: tum *Chryſoſtomum*, ut qui exponat Paulum ad Philipp. remque *in Prætorio* geſtam, de *prima Apologia*, quæ memoratur in poſter. Ep. ad Timotheum: idque etiam contra diſerta Chryſoſtomi in iis, quæ ipſe V. A. allegat, verba, & factam ab eodem Auctore utriusque Rei & Loci prolixam ſatis diſtinctionem; quod in Fabri Theſaurum *Prætorium* ita, ut a me ſit, interpretantem, invehi non veretur, ut

qui de rebus Antiquis nos erudiat ſine Auctoribus Antiquis, licet Taciti & Suetonii loca interpretationi huic probandæ adſcripta iſtic compareant; quod contra me paſſim & pluribus diſputat, tanquam qui ſentiam, *Veterem Prætorii ſignificationem ſub Auguſto mutatam, ac Prætorium ex Vrbe R. in Caſtra Prætoria tranſlatum*, quibus nihil eſt a mea ſententia alienius. Sed vel maxime huc pertinent, quæ in hocce Capite, cujus dimidiam pene partem hujuſmodi Thraſonica præfatione conſumit, inaniſſima oſtentatione crepat: *Nihil adhuc a me probatum, quo minus vere dictum a ſe ſit, ingenti inopia veri opus eſſe*, ad Prætorium Vrbanum, quale in Pauli verbis memoratur, de Prætoriis cohortibus (quæ proprie mea eſt ſententia. Nam de *Apologia Pauli in Caſtris habita* nihil me unquam affirmaſſe, immo ex mea ſententia nullam Judicialem Apologiam iſtis Pauli verbis deſignari, ſatis ſuperque docui in ſuperioribus) interpretandum: *Me*

irri-

irritum incepti ad id probandum, veluti ex deſperatione *viciſſim jam urgere ipſum*, *ut ſuam interpretationem probet : Id vero a ſe jam factum eſſe multis modis*, *Rationibus* ſcil. *& Locis*. Tuam fidem, Ampliſſime Hubere! Vllumne, ullumne, inquam, attuliſti *Locum* ex tot Scriptoribus Antiquis, in quo *Prætorium* in ullius Vrbanæ rei, nedum in Palatii, ſignificationem definitum ullis circumſtantiis occurrat? Vllamne proferre valuiſti auctoritatem, qua liqueat *Prætorii* & *Palatii* appellationem conveniſſe olim in unum idemque ædificium? Ego contra, nonne quam plurima ad Tuam *nauſeam usque* citavi *Loca*, in quibus *Prætorium* de re Vrbana adhibitum legitur, & ita, ut, quod ad ſenſum, tum in Taciti Loco ſecundum Tuam ipſius confeſſionem, tum in aliis Omnibus, idem plane ſit, ſive *Prætorium* iſtic legatur, ſive *Prætoriæ cohortes*? Quæ, obſecro Te, ex hiſce præmiſſis, Dialectice Vir,

 ſequi

ſequi debebat concluſio? immo quæ inde, quod nullum omnino adfers *Locum*, in quo, non dicam iterum, promiſcue, quod ad ſenſum, poni poſſent *Prætorium* & *Palatium*, ſed in quo ſaltem *Prætorium* & *Prætoriæ Cohortes* NON promiſcue adhiberi, aut ſibi invicem ſubſtitui ſalvo Auctoris ſenſu queant? Sequitur minimum, nullum te ejuſmodi *Locum* habere, qui vel faveat Tuæ, vel meæ adverſetur Interpretationi. Quæ ergo, per Deum, eſt vanitas, crepare *Loca*, quibus jam probaveris *Palatium eſſe Prætorium*, quæ nulla attuliſti, nulla etiam habes? Hoccine decet Virum Gravem, Eruditum, & apud quem locus aut pretium aliquod conſtat Veritati? Sed jam iterum eo decurrit, *a ſe probationem non poſſe exigi, ſe enim nihil Novi, nihil, quam quod in confeſſo eſt, aſſerere.* Immo vero non modo *Novi*, & Inauditi quid illis, qui tantum ex Veteribus ſapiunt de rebus Antiquis, ſed & plane falſum quid aſſerit, dum ait *Prætorium* ſignificaſſe

caſſe Palatium Cæſarum,& proprie ejus Palatii Auditorium judiciale. De *Prætorio* Caſtrenſi nulla eſt inter nos controverſia. Aliud enim in Caſtris, aliud in Provincialibus oppidis, aliud in Agris, aliud in Vrbe Roma ſignificavit *Prætorium.* Vir A. qui omnem ſibi & ſuæ ſectæ hominibus Diſtinguendi peritiam arrogat, videtur heic conſulto & de induſtria nullam *diſtinctionem*, ut ſibi neutiquam faventem, velle agnoſcere, dum eam ita perpetuo ſilentio involvit, licet toties a me inculcatam. Quod ſi vel tantillum ſuæ interpretationi confideret,aut quicquam ei probandæ idoneum haberet, deſineret, opinor, tandem aliquando, ad ravim & nauſeam uſque unum illud ingeminare, quod a me non negatur nec controverſum eſt, *Prætorium* in Caſtris ſignificaſſe Tabernaculum ſummi Ducis ſeu Imperatoris Caſtrenſis. Quin oſtenderet potius, ut debebat, Vſum *Prætorii* in re Vrbana, ſeu factis ipſis id adhibitum unquam in ſignificationem Habitatio-

nis

nis Vrbanæ Cæſarum, aut ejus Auditorii Iudicialis, quod nego & pernego; Vel, ſi Vſum oſtendere non poſſet, probaret ſaltem Analogiam ſignificationis, h. e. *Prætorium* in re Vrbana explicandum omnino de Habitatione Vrbana Cæſarum, & proprie ejus Auditorio, quia in Caſtris ſignificet Tabernaculum Summi Ducis. Nam & hanc ego rationem ſemper negavi, nec ſufficere ajo, quod aſſeverat, *Niſi Prætorium Vrbanum fuerit in Aula, falſum eſſe, Prætorium fuiſſe in Caſtris Tabernaculum Imperatoris* Caſtrenſis. Nullam enim in eo nexu ineſſe vim conſequentiæ oſtendimus ſupra, immo nulla parte meliorem, ac ſi quis diſſereret: Niſi, quandocunque *Prætoris* vocabulum in Vrbanis Hiſtoriis tempore Cæſarum occurrit, id accipiendum ſit de Cæſaribus, tum falſum eſt, in Caſtris Imperatores ſeu ſummos Duces dictos fuiſſe *Prætores*. At enim Poſterius hoc, quod nempe illi in Caſtris ſic dicti fuerint, cer-

tiſſimum eſt, nec negabit Vir A. Et tamen Prius, Cæſares ſcil. a Civibus ſuis in Vrbe appellatos *Prætores*, aut hoc vocabulum in Vrbanis Hiſtoriis pro Cæſaribus poſitum unquam fuiſſe, falſiſſimum eſt, nec affirmabit opinor Vir A. Verum ſi ita, tum corruit utique, deſtructa plane per rem ſimillimam, illius argumentatio, ſeu conſequentia, a Prætorio Caſtrenſi ad Habitationem Vrbanam Cæſarum ducta, in qua tamen veluti ſerio triumphat, tanbuamre bene geſta. Ejuſdem porro momenti eſt, quod ait de *Prætorianis*. Nec enim illi dicti ſunt, quod *Prætorium* Caſtrenſe cuſtodierint, ſed quod *Prætorem*, a cujus proinde latere, teſte Feſto, non diſcedebant. Neque illud fuit munus eorum, ſed hoc. Verumtamen, dum *Prætorem* cuſtodiebant, neceſſario etiam Prætorium, in quo ille manebat ac tendebat, cuſtodivere. An ergo, quia *ex Caſtris* Prætoriani milites in Vrbem ſunt inducti, ut eſſent iſtic perpetui Cæſarum σωματοφύλακες, *Corporis cuſtodes*,

ſtodes, & quia, dum Cæſarem cuſtodiebant, ad ejus quoque habitationem debuerunt excubare, an, inquam, idcirco Vrbana illa Cæſarum habitatio, quam jam ante Milites in Vrbem inductos habuerunt, appellata omnino fuit in promiſcuo ſermone, *Caſtrenſi* vocabulo, *Prætorium?* Si ita, multo certe magis Cæſares ipſi, quorum corpus milites illi tuebantur, debuiſſent etiam appellati vulgo fuiſſe a Civibus *Prætores*. Sed falſiſſimum hoc, ergo eadem ratione & ſuperius. Vides Lector, quam nihili argumentis nitatur & ſeſe efferat Glorioſa Viri A. Dialectica. Sed neque in eo quicquam rationis video, quod mihi adſcribit *Anguſtum & invidiæ miſerum animum*, quia, quum ab eo tanta cum animi vehementia ſimul & contemptu oppugnatus eſſem Philologus in re Philologica, Linguæ Latinæ Profeſſor in conſtituenda Latini vocabuli ſignificatione, quia ergo obſervaſſe me ac deprehendiſſe dixi, nihil Virum A. ex ſua

penu

penu protuliſſe, ſed omnia, quæ attulit contra me, ex Briſſonii Lexico hauſiſſe. Quid, quæſo, heic in Viro A. *invidendum*, ſed & in me quid hic eſt, quod ullam *Invidiæ* ſpeciem præferat. Immo quis eſt, qui non videat, omnes me adverſus Virum A. *invidiæ*, quæ inter pares ætate vel dignitate ſolet oriri & exiſtere, cauſas procul habere. quum, quod ad ætatem compoſitus cum eo, paſſim ab ipſo per contemptum *Iuvenis* vocer, quod ad dignitatem, facile me, ut debeo, inferiorem illo agnoſcam.

Sed jam tempus, ut progrediamur tandem ad ipſum Dionis locum, ubi is ait, Auguſti habitationem appellatam *Palatium*, quia ille in *monte Palatino habitabat* ſimul, & *habebat* τὸ ςρατήγιον *Prætorium*, quod explicamus Ego de Prætoriæ cohortis Statione, quæ iſtic ſub Cæſaribus fuit, vel Loco ei deſtinato: Vir A. de Auditorio Judiciali. Ceterum heic ego merito ſane ac lubens agnoſco Viri A. in diſputando ſeu peritiam ſeu calli-

dita-

ditatem, quam ut & Tu, Lector, perſpicias, dabo operam. Atque idcirco velim animadvertas, Primum, in hocce Dionis loco τὸ ϛρατήγιον, *Prætorium*, de quo ambigimus, non determinari ullis circumſtantiis in certam alicujus rei ſignificationem, & proinde neque in Viri A. interpretationem, neque in meam, quamvis tamen ſint iſtic, quæ meæ aliquantum faveant. Deinde Græcum hoc vocabulum de re Vrbana iſthoc in loco uſurpatum, eſſe ἐκ τ͂ ἅπαξ λεγομένων, ſeu nuſquam alibi, neque apud Dionem, neque apud alios, quod quidem ſciamus uterque, adhiberi ad denotandam rem Vrbanam: adeoque ejus ſignificationem, non modo in hoc loco nulla deſcriptione eſſe definitam, ſed neque ex aliis locis illuſtrari poſſe aut probari. Supereſt ergo nihil, niſi ut ex Veriſimili, ſeu Analogia quadam, interpretemur apud Dionem controverſum illud ϛρατήγιον de re, quam conſtet ad habitationem Cæſarum, & potiſſimum Auguſti, exſtitiſſe.

tiſſe. Sed quia in ejuſmodi Locis, eorumque Interpretationibus facilius longe & ſpecioſius ſemper refutari poteſt alterius ſententia, quam ſua firmari, aſtute Vir A. non id heic agit, ut ſuam probet, & ab objectis a me difficultatibus vindicet, quod tamen vel maxime debebat, quoniam hic locus non a me, ſed ab ipſo adfertur, & quidem unicus, in ſui *Prætorii* probationem: verum illud ſolummodo agit, ut meam exagitet & cavilletur hoc præcipue argumento, quod *Nemo* Veterum a me *proferatur*, qui ϛρατήγιον adhibuerit eo Senſu, quo heic a me exponitur: quaſi vero illud non eſſet mihi cum ipſo commune, ſeu quaſi ipſe Veteres protuliſſet, qui ea voce, non dicam Auditorium Judiciale, ſed generatim quamcunque ſaltem Vrbanam rem deſignaverint. Ego vero hanc diſputandi calliditatem ſuo Auctori relinquam; & potius utriuſque Interpretationem, ſibi invicem oppoſitam, Lectorum judicio ſimul ſubmittam, ut ſic rectius judicare queant, uter noſtrum veriſimi-

lius, & Dionis loco ac rebus Romanis convenientius, illud ἅπαξ λεγόμενον in re Vrbana expoſuerit. Sed prius ſciendum, agi in loco Dionis de honoribus in habitationem Auguſti a Senatu Rom. collatis: Veluti, collocatas ad eam eſſe duas laurus, & appenſam superne coronam civicam, ad honorandas ejus Victorias. Dein diſtingui iſtic τὸ στρατήγιον ab ipſa *Domo* Auguſti, ut proinde neutiquam Aulam ipſam ſignificare iſtic queat, ſed tamen aliquid ſignificare debeat, quod fuerit apud Aulam, & pertinuerit ad Imperatorem. Porro τὸ στρατήγιον Græcum reſpondere prorſus Latino *Prætorii* vocabulo, & a Græcis rerum Romanarum Scriptoribus ad hoc exprimendum adhiberi. Denique de Auguſto ſolo, neque de ullo deinceps alio, dici apud Dionem, habuiſſe eum in Palatino monte τὸ στρατήγιον. Adeo vera ſunt hæc omnia, ut in controverſiam vocari nequeant. Jam vero mea Interpretatio, juxta quam denotatur controverſa voce Prætoriæ cohortis ſtatio, cum omnibus

iſtis

iſtis plane convenit. Nam vel maxime ſtatio iſthæc ad honorem Imperatoris pertinebat, unde & Suetonio dicitur *Vis & Species Dominationis*. Dein fuit res quidem diverſa ab ipſa Aula; ſed ita, ut tamen ad, ſeu apud Aulam fuerit; & ad Imperatorem proprie pertinuerit, unde & Tacitus eam *Excubias Aulæ* vocat. Vt adeo jam ex his liqueat, non ſine cauſa Cæſarum habitationem appellatam *Palatium* ex eo, *quod in Palatio* ſeu Palatino monte ſimul *habitarent*, & ſimul *vim* illam *ac ſpeciem dominationis* ſuæ, h. e. ſtationem illam Prætoriæ Cohortis, iſtic *haberent*. Porro jam *Prætorii* vocabulo apud Latinos denotari in rebus Vrbanis corpus Prætorianorum militum, oſtendimus abunde in ſuperioribus. Quapropter cum ei reſpondeat apud Græcos τὸ ϛρατήγιον, videtur ſane Dio hac voce heic uſus, ut exprimeret in rebus Vrbanis eam, quæ *Prætorii* vocabulo apud Latinos deſignabatur, quæque in palatio ad Aulam, ubi heic τὸ ϛρατήγιον

 fuiſ-

fuiſſe dicitur, revera erat, immo iſtic potiſſimum fuiſſe temporibus Auguſti, dici vere poterat. Etenim ſub eo Principe nusquam erat alibi uno in loco corpus aliquod Prætorianæ militiæ, niſi in hac ſtatione Prætoriæ cohortis ad Aulam. At ſub ſeqq. Principibus erant omnes Prætoriæ cohortes in unum corpus & locum conjunctæ in Prætorio Caſtro. Quocirca etiam ſub iis non ita commode amplius dici poterat, *Prætorium*, ſeu ϛρατήγιον, ſeu Corpus Prætorianæ Militiæ eſſe in Palatio, cum alibi eſſet totum iſtius militiæ corpus ſeu *Prætorium*. Quæ etiam ratio, quare nec a Dione deinceps, nec a quoquam alio, dictum reperiatur, fuiſſe τὸ ϛρατήγιον ſub aliis etiam Principibus ad Aulam. Sed dicet forſan aliquis, quomodo tamen ϛρατήγιον, quod ſignificat proprie Tabernaculum τȣ̃ ϛρατηγȣ̃, *Prætoris Caſtrenſis*, poteſt denotare etiam ipſos Milites *Prætorianos*, τȣ̀ς ϛρατηγικȣ̀ς. Nempe eadem ratione qua *Prætorium* apud Latinos, cujus item Analogiam in hac ſignificatione ſu-

pra

pra pag. 483. ex Caſtris *a Prætorio*, h. e. Tabernaculo Prætoris, deduximus, ut adeo etiam hoc reſpectu nihil mirum ſit, Græcum illud ϛρατήγιον apud Dionem de re Vrbana ſemel adhibitum denotare eadem ſignificationis Analogia idem, quod in re Vrbana *Prætorium* denotabat, cui apud Græcos in rebus Romanis reſpondere ſolet.

Hæc mea fuit Interpretatio iſtius ἅπαξ λεγομένϐ. Cum ea vero velim jam conferatur illa, quam Vir A. proponit & urget. Exponit ille Dioneum hoc ϛρατήγιον de publico & ſtato Principum in Aula Auditorio, ſeu Conclavi judiciis exercendis perpetim iſtic deſtinato: Sed quod negavi, atque etiamnum pernego, in Palatio ad Aulam fuiſſe toto minimum ſeculo Auguſteo. Vir A. qui id probare debebat, nullum ex Veteribus neque Locum, ubi tale publicum & ſtatum Auditorium in Aula fuiſſe memoretur, neque ullius rei iſtic geſtæ exemplum profert, licet, cum ſint quampluri-mi rerum illo ſeculo geſtarum Scrip-

 tores,

tores, & omnes de Principibus, quid illi in judicando egerint, memorent, talia exempla deberent ceteroqui paſſim eſſe obvia, æque ac ſunt exempla judiciorum in Senatu & Foro exercitorum. Deinde nunquam non modo στρατήγιον, ſed neque *Prætorium* ſignificavit in ſpecie locum aliquem judicii, vel partem ædium qualemcunque ab habitatione ipſa diſcretam. Non in *Caſtris*, ubi denotavit integrum Prætoris Tabernaculum, æque ac *Quæſtorium* integrum Tabernaculum Quæſtoris. Neque *in provinciis* & *oppidis provincialibus*, ubi ſignificavit integram Domum Prætoris vel Præſidis provinciæ, ipſam ejus *Aulam*, ut exponitur a Marco; Vnde & Cicero in Verrinis diſerte *Prætorium* explicat per *Prætoris* & *Prætoriam domum*, ac diſtinguit a Loco, ubi jus dicebatur. Vide Diſſert. II. §. 25. Qua ergo ratione, qua Analogia, ex quocunque ſive Græci ſive Latini vocabuli Vſu ducta, illud στρατήγιον in re Vrbana de Auditorio judiciali ab Habitatione diſtin-

diſtincto interpretatur, & quidem in unico Scriptoris loco, ubi nulla additur circumſtantia, quæ huic alieniſſimæ interpretationi vel tantillum faveat? Nullâ omnino. Atque idcirco rogatus jam antea a me Vir A. *quibus fidiculis* ex iſthoc Dionis Loco, aut aliunde, *extorqueri* queat, τὸ ϛρατήγιον ſignificare iſtic proprie *judiciariam partem Domus*, nihil ad id reſpondet in tribus hiſce Capitibus; tantum me Lectoremque differt, quaſi *de eo nondum quæratur*, & *deinde cis breve id eſſemus viſuri*. Sed id *deinde* eſt ad Kalendas Græcas. Certe enim non videbimus in *Singulari* hoc *Libro*, Virum A. oſtendere vel Vſum vel Analogiam iſtius Interpretationis.

Tu vero jam judica, Mi Lector, utrius noſtrum Interpretatio iſtius ἅπαξ λεγομένȣ, ſeu Græci illius vocabuli, quod ſemel tantum de re Vrbana adhibetur, ſit veriſimilior aut verior. Nam quod in extremo Capitis V. A. veluti ridet & exagitat meam in conſtituenda *Prætorii* ſignificatione inconſtantiam, id

non mirandum in Viro, qui omnes artes conquirit, omniaque ſuæ Dialecticæ ſacra movet & excutit, ut inanibus argutiarum & cavillationum floſculis me aſpergat, &, ſi poſſet, Lectoribus exſibilandum præbeat, tanquam prorſus veri inopem. Nam ceteroqui facillima ſane eſt reſponſio ſine ulla vel minima inconſtantiæ alicujus ſpecie. Etenim in Caſtris non modo *Vetus*, ſed Cujuſcunque Temporis, *Prætorium* ex mea ſententia ſignificavit Tabernaculum ipſum & integrum Prætoris: aliquando etiam per figuram homines in eo Tabernaculo verſari ſolitos, ſicuti frequentiſſimum hoc eſt in Linguis pleriſque, ut una eademque voce & Locus, & Homines iſti Loco veluti proprii, denotentur. In Vrbe vero ſub Cæſaribus probavi ſignificare Corpus Prætorianorum Militum e Caſtrenſi Prætorio in Vrbem inductorum, vel etiam Prætorium Caſtrum ad Vrbem, in quo illi Milipariter tendebant. Atque hinc jam, quia ſub Auguſto nondum exſtitit

Præ-

Prætorium illud Caſtrum, & ſub eo tamen in Palatio ad & præter habitationem ejus dicitur a Dione fuiſſe τὸ ϛρατήγιον ſeu *Prætorium*, proximum & convenientiſſimum ceteris hujus vocabuli ſignificationibus cenſui, id iſtic interpretari de Prætoriæ cohortis Statione, quæ revera illic erat: aut ejus ſtationis Loco, quo ſolo tunc aliquod veluti corpus prætorianæ militiæ continebatur. Quæ jam in his occaſio tam ineptarum cavillationum, quibus eludere conatur, non refutat, meam Interpretationem Vir A? Ad locum Suidæ reſpondebimus Cap. ſeq. & videbimus ſimul deſultoriam plane Viri A. in ſua Dionei loci expoſitione inconſtantiam, quippe qui profitetur iſtic, *ſe non valde laboraturum de Loco judiciis agendis proprio*, immo *ſe contentum* fore, ſi τὸ ϛρατήγιον *apud Dionem fiat habitatio Imperatoris*: Immemor, ut videtur, diſtingui apertiſſime in iſthoc Dionis loco τὸ ϛρατήγιον ab Imperatoris habitatione ſeu ipſa Domo, ſed & ipſum ſe ita definiviſſe *Præto-*

 rium,

rium, ut fuerit proprie *pars Palatii, in qua ſit Auditorium* Judiciale.

CAP. XV.

Locus Suidæ περὶ Στρατηγίου cum Dionis loco περὶ Στρατηγίου, de Prætorio, quod fuit in Palatio, confertur, nec aliud eſſe quam Tabernaculum Imperatoris demonſtratur.

Ita Suidas ad vocem, Στρατήγιον. Στρατήγιον, Τὸ στρατόπεδον ἀττικῶς. Σοφοκλῆς μέσον δὲ προσμολὼν στρατήγιον. Στρατήγιον, ὁ τόπος τοῦ στρατοῦ. Οἱ μὲν ἡγεμόνες πρὸς τὸ στρατήγιον, ἡ δὲ πληθὺς πρὸς τὰς ἰδίας σκηνὰς ἔθεον. *Hæc Latine ſic erunt.* Strategion, Attice Caſtra. *Sophocles.* Medium progreſſus in Strategium. *Rurſus* Strategium, locus exercitus. Duces quidem ad Strategium, multitudo ad propria tabernacula ſe recipiebant. *Hæc Suidas, ut eſt editus.* Στρατήγιον *eſt Prætorium, ut omnes fatemur. Non tamen ſi* Στρατήγιον *Attice Caſtra ſunt, Prætorium Latine eſt idem; Hoc e Latio, non ex Attica probandum. Sed Attica illa* τοῦ Στρατηγίου *ſignificatio, non convenit Dioni; qui ſcribit* στρατήγιον *fuiſſe*

in

in Palatio, domi Cæſaris Auguſti, ubi nunquam Caſtra fuerunt: nam cohortes Prætoriæ primo per urbem diffuſæ, dein extra pomœrium in caſtris collocatæ ſunt: Denique in Palatio fuiſſe Caſtra inſanum dictu eſt. Ergo Στρατήγιον *Attice non intelligitur Dioni; maxime cum Caſtra ſint* ὁ τόπος τοῦ Στρατοῦ *locus exercitus. Hoccene vero ſufficiat Viro Cl. qui modo voluit, Prætorium eſſe corpus militum Prætorianorum, modo ait eſſe Stationem apud Aulam? Suidas ait eſſe* τόπον τοῦ ςρατοῦ, *locum exercitus, non milites ipſos, nedum partem eorum. Verum ſi eſt* τόπος τοῦ ςρατοῦ, & ὁ ςρατὸς *eſt Statio, ut ille vult: ergo Prætorium eſt locus Stationis, quæ fuit in Aula, domi Cæſaris; Prætorium igitur locus in Aula, domi Cæſaris, non corpus hominum, qua re parum abeſſe quin contenti eſſe debeamus, res facile monſtrat. Sed Vir Cl. mendam in Suida agnoſcit manifeſtam, non ſine aſpero morſu mei;* quem ita rem gerere ſolere narrat pag. 232. ac ſi id mihi negotii præcipue crederem

derem datum, ut Criticorum emendationes irrideam & explodam. *Verius dicam, Virum Cl. id agere pridem nullo meo merito, ut me Criticæ nationis odio exponat; quibus nihil unquam detraxi, quam parem in Juris libris, ac in aliis exercent, licentiam: dixi nuper in Præfatione Digreſſionum. Nunc addam, me qualem Vir Cl. heic refert, emendationes ſine rationibus, ubique averſari; ſed qnalem Lipſius in hoc loco Suidæ tradidit, ne quidem in Jure negare in ipſum textum admittendas. Vir Cl. ait pro* στρατȣ̃ *eſſe legendum* στρατηγȣ̃ *: verba ex quibus id evidentiſſime patet, non adjecit, quia validiſſime ipſi adverſantur. Ait Suidas, ut vulgo habet.,* Στρατήγιον eſſe τόπον τȣ̃ στρατȣ̃; *Idque firmat inductione;* Duces, *inquit*, ad στρατήγιον, Gregarii milites ad privata tabernacula ſe recipiunt. *Opponit* Στρατήγιον tabernaculis militum privatis: *atque hoc ait eſſe* Ducis *tabernaculum. Hinc manifeſtiſſimum eſt,* στρατήγιον *ipſi eſſe* τόπον στρατηγȣ̃, locum *Ducis, & legendum eſſe* στρατηγȣ̃

pro

pro στρατȣ̃; *talis eſt locus, qualia ſunt tentoria militum; Ergo idem quod ſemper fuit, Tabernaculum Imperatoris. Dionis igitur* Στρατήγιον, *quod ab eo domi Cæſaris collocatur, non eſt aliud, quam illud ipſum, quod ſemper & ab antiquo fuit, Habitaculum Imperatoris. Agnoſcit hoc tandem Vir Cl.* Ex quo tamen ipſo etiam apparet, *inquit*, Suidam certe non agnoviſſe aliam τȣ̃ στρατηγίȣ ſignificationem, quam ſimpliciter τόπȣ, habitationis, ſed nullam loci judiciarii ſeorſim ab habitatione conſiderati. *Fiat modo habitatio Imperatoris* στρατήγιον *apud Dionem, ſumus contenti hactenus, ut faceſſat Caſtrorum & Stationis interpretatio. Nihil adhuc aliud quam ut* Στρατήγιον Prætorium, *ſit Tabernaculum, Habitaculum Principis contendimus. Si hoc obtineri poteſt, ut debet, de loco judiciis agendis proprio non valde laborabimus.*

RE-

RESPONSIO
ad Cap. XV.

Locum Dionis, de quo cœpimus agere, non Ego, ſed V. A. attulit in ſuæ ſententiæ firmamentum: atque idcirco etiam ipſi unice incumbit, ut probet ſuam iſtius loci expoſitionem. Mihi enim ſufficere poteſt, oſtendiſſe, neutiquam eo ſignificari, quod ille vult, ſeu neutiquam juvari eo loco ipſius in hac controverſia ſententiam. Id vero ut oſtenderem, quum ejus ſententia ſit, *Prætorium* Latinæ Linguæ vocabulum, denotare in re vrbana vel Aulam ipſam Cæſarum, vel potius Iudiciale in Aula Auditorium, idque probari Græca στρατηγίου voce apud Dionem occurrente, docui ea propter Ego e contrario, Primum, voce iſta apud Dionem neutiquam ſignificari Aulam ſeu Domum Imperatoris, quoniam diſerte iſtic ab ea diſtinguitur, dum dicitur, *Imperatoriam Do-*

mum

mum dictam Palatium, quia Cæſar in monte Palatino, tum habitabat, ᾤκει, tum habebat τὸ στρατήγιον; Prætorium, quod *Prætorium* proinde debuit neceſſario fuiſſe diverſum ab ipſa *habitatione*, οἴκῳ. Deinde, neque ſignificari iſtic ea voce proprie Auditorium aliquod judiciale, quia neque in iſthoc loco Controverſa illa vox ulla circumſtantia in talem ſignificationem determinatur, neque uſquam alibi, ſive Græcum στρατήγιον, ſive Latinum *Prætorium*, tale quid denotaſſe reperitur, non in Caſtris, non in Provinciis, non in Vrbe. Nihil ad hæc, ut dixi, reſpondet V. A. Quin immo ait, *ſi hoc*, στρατήγιον ſcil. ſeu *Prætorium eſſe Tabernaculum, Habitaculum Principis, obtineri poteſt, de loco judiciis agendis proprio non valde laborabimus*. Quod quid eſt aliud, quam deſtituere non modo *Prætorium*, ſeu *Auditorium Præfecti*, quod unice ſe *fulturum* in Comm. 1. & prima noſtræ controverſiæ explicatione promiſerat, ſed & ſuam ipſius definitionem *Prætorii*,
quod

quod utique tradit fuiſſe proprie *partem Palatii, in qua fuerit Auditorium;* idque tanto magis, quoniam iſthæc *Prætorii* definitio nititur unico hoc Dionis loco, & proinde concidit plane, ſi Vir A. Dionis ϛρατήγιον expoſiturus, *non amplius laborabit de Loco judiciis agendis proprio.* Sed neque *obtineri poſſe*, τὸ ϛρατήγιον apud Dionem eſſe ipſum *Habitaculum Principis*, manifeſtiſſimum eſt ex eo, quod diſertiſſime iſtic ab *Habitaculo* diſtinguitur. Poteram ergo abunde his eſſe contentus. Sed tamen, ut certius demonſtrarem, fruſtra prorſus hunc locum a Viro A. adferri, & quia ille ſine fine modoque unum hoc inculcat, ϛρατήγιον ſignificare Tabernaculum τοῦ ϛρατηγοῦ, & quidem *ſemper*, idcirco volui inſuper oſtendere, vocabulum illud non unum hoc, ſed & quid aliud, apud Græcos revera ſignificaſſe: eaque gratia attuli Suidæ locum docentis, apud Græcos & quidem Atticos, etiam pro *Caſtris* ipſis poni. Non ergo id feci, quod Dionis locum

cum de *Caſtris* proprie dictis voluerim exponi, ſed tantum, ut liqueret falſum eſſe, quod V. A. ait, *Eſſe τὸ ϛρατήγιον idem, quod SEMPER fuit, Tabernaculum Imperatoris*: quamvis falſiſſimum eſſe illud *Semper*, non aliunde certius liquere queat, quam ex ipſo Dionis loco, qui apertiſſime, ut dixi, τὸ ϛρατήγιον ab Habitaculo, h. e. ut vult V. A. a Tabernaculo Vrbano Principis, excludit. Sed &, ſi maxime verum eſſet, adverſaretur vel ſic æque Viri A. Auditorio judiciali, ac meæ Cohortis Prætoriæ Stationi, quarum hanc tamen in Palatio fuiſſe his temporibus, in confeſſo eſt, illam fuiſſe, falſiſſimum eſt. Verum accidit in uno hoc ſatis exiguo ceteroqui Capite ſæpius Viro A. quod malæ cauſæ Patronis accidere ſolet, ut ſuæ ſententiæ vel cauſæ adverſa identidem effutiant. Cujus generis certe & illud eſt, quod initio Capitis ait; *Non tamen, ſi* ϛρατήγιον *Attice Caſtra ſunt, Prætorium Latine eſt idem. Hoc e Latio, non ex Attica probandum.* Hoccine

 enim

enim mihi, qui illud neutiquam volui, obſtrepere Virum A. qui me de Latini Vocabuli ſignificatione aggreſſus, ne unicum quidem ex tot Latinis Scriptoribus locum adfert, ubi id occurrat, ſed tantum ex Græco Scriptore, & Græcis verbis, ſuam iſtius Latini vocabuli interpretationem probare nititur. Quid ergo poſſum aliter, quam ut V. A. ſua ipſius ſententia, vel ſuo ſibi gladio repellam. *Nec enim, ſi maxime* στρατήγιον *Græce ſignificaret, quod non facit, Palatium Cæſaris, vel ejus Auditorium judiciale*, Prætorium *Latine eſt idem. Hoc e Latio, non e Græcia probandum erat.* Ceterum illud inſuper MIHI objicere Virum A. redolet ſummam ſane oſcitantiam vel ἀβλεψίαν, quum utique Suidæ locum neutiquam Ego attulerim, ut ex eo declararem, quid *Prætorium* Latine ſignificet, ſed ut, quid στρατήγιον Græce, ſeu, στρατήγιον, dum etiam *Caſtra* ſignificat, non *Semper* ergo Tabernaculum ſeu Habitaculum Imperatoris denotare. Et hoc eſt, quod *Suffi-*

cere

cere mihi dixi adverſus τὸ *Semper* Viri A. Ut adeo ipſe parum ſe *dialecticum* probet, quando me rogat, an ergo *Caſtra apud Aulam Imperatoris ponentur*, & *Caſtra in Palatio fuiſſe*, *inſanum dictu* jactat, quum me illud *Inſanum dicere*, aut *dixiſſe*, nullo prorſus verbo ex ſuperioribus Diſſertationibus oſtendere queat, utpote a mea ſententia alienum plane. Tantum enim Ego per comparationem quandam illam *Caſtrorum* ſignificationem a Suida allatam applicui ad meam controverſi vocabuli in Dione interpretationem, ita, ut dixerim, *nullam ergo eſſe rationem, quo minus & Dio recte cenſeatur hoc vocabulum adhibuiſſe*, non quidem pro *Caſtris*, ſed *pro Loco Stationis Prætorianæ*. Vide ſupra pag. 293. Etenim ſi ϛρατήγιον ſignificat Attice etiam ϛρατόπεδον, h. e. Locum exercitus, quidni ergo, quum τὸ ϛρατήγιον Dionis in Urbe ab ipſa *habitatione* Principis manifeſtiſſime ſeparetur, & ceteroqui nihil aliud in rebus Græcorum ſignificet, ex quo alia, quam militaris, ſeu *Caſtris* proxima, ſignifi-

catio in re Vrbana per ſimilitudinem quandam elici poſſit, quidni, inquam, apud Dionem quoque notare queat Locum numeroſæ Stationis, & quaſi parvi exercitus in Vrbe & Palatio, τόπον τȣ̃ ϛρατηγικȣ̃, vel τȣ̃ ϛρατεύματος, quod vocabulum etiam de Prætoriana militia in Vrbe ſæpiſſime adhibetur. Idque tanto magis, quoniam Latinum *Prætorii* vocabulum, cui ϛρατήγιον illud reſpondet, & ad quod exprimendum a Dione eſt adhibitum, iſtam Prætorianæ Militiæ, vel Loci, ubi illa tendebat, ſignificationem habeat, ut abunde probavimus. Vides itaque, Lector, quam alienum abs re ſit, jactare hic ita odioſe illud *Inſanum dictu*, *Caſtra*, inquam, proprie dicta. Debuiſſet V. A. rationes potius rationibus opponere, & ita Lectoribus ſuis controverſiæ noſtræ arbitrium permittere. Videtur tamen aliquid rationis vel præſidii ſibi quærere in eo, quod Suidas ait, Ἀττικῶς τὸ ϛρατήγιον ſignificare *Caſtra*, ergo non *Communiter*. At quis eſt, qui neſciat, *Atticam* Dialectum fuiſſe ut elegantiſſi-

tiſſimam, ita præ aliis receptiſſimam, adeo ut, poſterioribus certe temporibus, ſeu illis, quibus ſcripſit Dio, nulla alia æque fuerit Communiter uſurpata. Sed &, dico iterum, *ſufficït mihi abunde*, Atticos præcipuos Græcæ Linguæ Auctores τὸ ϛρατήγιον uſurpaſſe etiam in ſignificatione τȣ̃ ϛρατοπέδȣ *Caſtrorum*, ut liqueat, illud non *Semper* aut unice ſignificaſſe Tabernaculum Prætoris, & poſſe proinde etiam apud Dionem in re Vrbana ſatis commode accipi pro Loco, ubi tendebant Milites Prætoriani, vel ipſa eorum cohorte, maxime quum id apud Latinos vox *Prætorium* in Vrbe certo ſignificaverit. Porro frivolum plane & ridiculum eſt, quod ait, *me Suidam jactare, non exhibere: verba non adjicere, quia validiſſime mihi adverſentur*. At quare? Nimirum quia Suidas exponat ϛρατήγιον etiam per τόπον τȣ̃ ϛρατηγȣ̃ h. e. *Tabernaculum Ducis Caſtrenſis*. Illud vero an mihi adverſatur, qui tantum volo etiam aliud quid ſignificaſſe? Immo illud an usquam a me negatum? Nus-

quam certe, nec magis, quam etiam *Prætorium* Latinis ſignificare Tabernaculum illud, quod utique non eſſe inter nos controverſum, ipſe Vir A. paſſim agnoſcit. Sed &, quod στρατήγιον Græcis idem, & quidem primitus ſignificet, diſerte teſtatus ſum Diſſ. II. pag. 230. his verbis: στρατήγιον *primo quidem & proprie ſignificat Tabernaculum illud Caſtrenſe*. Quin, ſi iſthæc ſignificatio mihi validiſſime adverſaretur, non jactaſſem ultro, nec laudaſſem Lipſii emendationem, quippe per quam demum illa interpretatio Suidæ reſtituitur. Vides etiam hinc, Lector, quam inania & vana captet undique Vir A. Ejusdem momenti eſt & ponderis, quod tradit, *agnoſcere me tandem* στρατήγιον *Semper & ab antiquo fuiſſe Habitaculum Imperatoris*. Quare autem hoc? Scilicet, quia dixi, *Suidam certe non agnoviſſe aliam* τοῦ στρατηγίου *ſignificationem, quam ſimpliciter* τόπου, *habitationis, nullam Loci judiciarii, ſeorſim ab Habitatione conſiderati*. At vero quis non videt, hæc a me dicta
unice

unice adverſus Viri A. ſententiam, qui ſine ullo Vſu, Exemplo, Analogia, Figura, immo ſine ulla veriſimilitudine τὸ ϛρατήγιον apud Dionem, & ex eo ſolo deinceps Latinum *Prætorii* vocabulum, proprie de Auditorio judiciali interpretatur, quod toties a me negatum, nunquam & nuſquam a V. A. probatum eſt. Ceterum quod etiam Criticis heic ſe excuſat, mihique impingit atrox conſilium *exponendi eum odio Criticæ nationis*, illud ſane miror, quum utique eos ceteroquin in Orationibus, Dialogis, Præfationibus, Corollariis, omni occaſione non oblata, ſed quæſita, ſtudioſe & de induſtria publice exagitandos ſibi & exſibilandos proponat. Nec opus, ut id probem aliunde, quum in hac ipſa Viri A. excuſatione graviſſima inſit accuſatio, dum *Nihil ſe Criticis detraxiſſe* ait, *quam parem in juris Libris, ac in aliis exercent Licentiam.* Nam quæ quæſo iſthæc *Licentia*? Quod ſcil. ut alibi loquitur, tanquam *Chirurgi urant & ſecent, ubi nulla*

Gangræna. Nempe hæc eſt clementia Viri A. quando ita opinatur de integro hominum Genere, quod Priſcis certe Libris utiliſſimum fuiſſe negare nemo poteſt. Si quæ ſunt Vitia Singulorum, ut ſunt in omnibus Artibus ac diſciplinis homines, qui iis abutuntur, non erant illa generatim adſcribenda omnibus iis, qui hac quoque parte ſtuduerunt rerum Antiquarum diſciplinis prodeſſe. Certe plerique, ut nunc ſunt, Critici in ipſo Veterum Textu ex ingenio vel conjectura vix tantam ſibi *Licentiam* vindicarent, quantam ipſe V. A. etiam *in Jure in ipſum Textum*, ſecundum ſuam ipſius profeſſionem, eſſet exerciturus.

CAP, XVI.

Locus Dionis ad præſentem Quæſtionem rurſus inducitur & ab exceptionibus adſeritur.

QVando igitur Dio ſcribit, Auguſtum habuiſſe in Palatio Στρατήγιον, *neceſſe eſt hoc de* στρατόπεδῳ,

πέδῳ, Caſtris, *loco, ubi eſt exercitus, vel de Tabernaculo Imperatoris intelligamus, has enim duas ſignificationes, poſteriorem vulgus, Attici uſus alteram vidimus tradentem Suidam. De Caſtris non poſſe capi verbum ex dictis manifeſtum eſt. Etiam ex eo, quod hic ſenſus vocis ſit rariſſimus, Atticæ dialecti proprius, quæ non eſt Dionis præcipua, quam Suidas ex Poeta Tragico probat, & forte nuſquam alibi in univerſa Græcia antiqua reperitur. Alter ſenſus ſolitus, planus & neceſſarius, ut demonſtratum eſt. Ergo* Στρατήγιον *eſt Tabernaculum Imperatoris, nihil aliud reliquum eſſe palam eſt. Repetamus jam verba Dionis*, Καλεῖται δὲ τὰ βασίλεια Παλάτιον (οὐχ᾽ ὅτι καὶ ἔδοξε ποτὲ οὕτως αὐτὸ ὀνομάζεσθαι) ἀλλ᾽ ὅτι ἔν τε τῷ Παλατίῳ ὁ Καῖσαρ ᾤκει, καὶ ἐκεῖ τὸ στρατήγιον εἶχε. Vocatur autem Regia Palatium (non quod ita aliquando Senatus conſulto appellata eſt) ſed quia Cæſar & in Palatio habitabat, atque illic habebat Prætorium. *Sunt autem tria in his verbis notanda.*

tanda, Primum, *quod Prætorium fuerit in Palatio*; Secundum, *quod domus Cæſaris etiam nomen ſuum acceperit inde, quod ibi erat Prætorium.* Tertium, *quod tamen nomen domus Cæſareæ non fuit Prætorium, ſed Palatium. Ad hæc Vir Cl.* pag. 223. Tranſeant hæc omnia, modo recte & ut debent explicita. *Quomodo? ſi Prætorium pro ſtatione militum capiamus? Aliud nihil ei ſupereſt, poſtquam perpetuo vel Caſtrum, vel corpus militum Prætorianorum ea voce deſignari pugnavit. Milites paucos ſtationem habentes eſſe Prætorium nullo vel probavit loco, vel contendit dicto, priuſquam ad Dionis locum pervenit, nec tamen ibi quicquam ſimile probationi. Nos porro inde collegimus*, Prætorium fuiſſe domum, vel ejus partem, quia palatium Imperatoria domus fuit, non tantum ob habitationem, ſed etiam quia Prætorum illic erat. *Hanc collectionem* inanem & veri caſſam ac inopem pronuntiare, non vereri ſe, ſcribit *Vir*

Vir Cl. pag. 224. *Pergit*; Quæ λογικὴ, quæ naturalis imo philoſophia in legendis & intelligendis Auctoribus priſcis ex his verbis hanc conſequentiam eliciendam docet? Quæ ratio jubet ςρατήγιον ſeu Prætorium hic magis ſignificare domum ſeu partem domus, quam Stationem Prætorianorum militum ad Aulam? *Videtur Vir Cl. cum dialectica in gratiam redire velle? Sed mea Ratio pridem inculcata eſt, tam foris illata, quam ex ipſis Dionis verbis elicita. Foris hæc; Quo ſenſu nuſquam vox reperitur, eo nec in hoc loco eſt accipienda: Atqui pro ſtatione militum nuſquam accipitur Græce vox* ςρατήγιον; *nec ullus adhuc locus, ex quo id probatum Vir Cl. videri velit, vel in ſpeciem productus eſt. Ergo. E verbis Dionis hæc eſt ratio, Quod ab omni antiquitate ſignificavit* τὸ τόπον τοῦ ςρατηγοῦ, *Locum in quo Imperator degit; hoc palatio cauſam dans, ut domus Imperatoria diceretur, eſt habitatio Imperatoris, vel pars ejus. Atqui* Στρατήγιον, Præ-

Prætorium *ab omni antiquitate ſignificavit locum, in quo degit Imperator, atque a Dione pro cauſa ponitur, quod palatium domus Imperatoria dictum eſt. Ergo* Σϱαλίγιον *apud Dionem ſignificat habitationem Cæſaris, aut ejus partem. Quur hoc* de parte, *velim adjectum, inferius ediſſeram. Nunc habitatione ſum contentus, nec reſpondebo ad id quod Vir Cl. excipit* pag. 225. Si maxime Dionis hoc ϛϱαλήγιον ſignificaret domum vel partem ejus, quibus iterum fidiculis inde extorquebimus, ſignificare judiciariam partem domus &c. *De eo nondum quæritur: Hoc modo conſtet.* τὸ Σlϱατήγιον *Dionis non eſſe Caſtra, non ſtationem militum; ſed locum ubi degit Imperator; de judicio & ejus loco deinde cis breve videbimus.*

RESPONSIO
ad Cap. XVI.

Vir A. in exponendo Dionis loco partes, quæ meæ erant, ubique agit, negligit ſuas. *Mihi ſufficere* poterat refutare tantum Viri A. expoſitionem, atque ita oſtendere, nihil prorſus iſthoc loco juvari illius ſententiam: Ille contra ſuam iſtius loci interpretationem, remotis, quæ a me objectæ erant, difficultatibus, defendere ante omnia ac firmare debebat: quoniam Ego non Dionis, ſed aliorum, & quidem Latinæ Linguæ Scriptorum, loca quamplurima attuli, iiſque meam *Prætorii* ſignificationem abunde probavi: at V. A. unico hoc Dionis loco nititur & utitur. Et tamen ille, omiſſa ſuæ interpretationis defenſione ſuæque ſententiæ ex eo loco probatione, id tantum agit, ut meam interpretationem excludat: ſuamque deinceps non alia ratione munit adverſus tot diffi-

difficultates, quam, quod, mea excluſa, *nihil aliud reliquum ſit.* Sed extra ambages, Vir A. Quin aperto Marte agimus; ut decet: & neque dolis, neque artibus quibusdam animum Lectoris, remque ipſam implicamus potius, quam expedimus. Tua utique hæc eſt ſententia, *Prætorium in Urbe denotare vel Aulam ipſam, ſeu Domum integram Cæſarum, vel potius proprie partem ejus, ſeu Auditorium judiciale.* Quin igitur oſtendis, Vir A. ſi locus Dionis a te prolatus quid facit ad tuam ſententiam, quæ uno hoc tibicine fulta eſt, quid in eo inſit ad iſtam *Prætorii* explicationem juvandam. Negavi Ego utrumque Tuæ ſententiæ membrum, etiam ex Dione. Neque enim ſignificari iſtic Græca illa voce, quæ Latinæ *Prætorii* reſpondet, *Aulam* vel *Habitationem* ipſam, quia diſertiſſime ab ea diſtinguitur, dum, quare Cæſaris domus appellata fuerit *Palatium*, duæ hæ, tanquam diverſæ, redduntur cauſæ: nempe quia ſimul *in Palatio*, h. e. Palatino monte *habitave-*

taverit, ᾤκει, & ibidem *Prætorium habuerit*, τὸ ϛρατήγιον εἶχε. Jam ſi diverſa iſtic ſunt οἰκεῖν, & ϛρατήγιον ἔχειν, etiam diverſa omnino ſunt apud Dionem οἶκος *domus* ipſa Cæſaris, & ϛρατήγιον *Prætorium* ejus. Sed quid multa? Res eſt adeo manifeſta, ut ipſe V. A. in Comm. I. (Vide ſupra pag. 81.) ex hoc Dionis loco collegerit, *Habitationem Cæſaris fuiſſe diſtinctam a Prætorio, licet utrumque fuerit in Palatio.* Viderit ergo, qua jam conſtantia in Singulari hoc Libro identidem τὸ ϛρατήγιον per ipſam *Habitationem* vel *Habitaculum Principis* in Vrbe ac Palatio exponat: Veluti, quum ait ſup. Cap. *Dionis igitur* ϛρατήγιον *non eſt aliud, quam illud ipſum, quod ſemper & ab antiquo fuit, Habitaculum Imperatoris.* Et, *ſi hoc obtineri poteſt, de loco judiciis agendis proprio non valde laborabimus.* Verum ita loqui oportebat, quoniam conſtantiſſime pernegavi etiam alterum Huberianæ ſententiæ membrum, ſignificari ſcil. apud Dionem, vel uſquam alibi,

alibi, voce ϛρατηγὶυ *partem Domus*, ſeu proprie *Auditorium* Judiciale: & dein, quoniam ipſe id nulla ratione, nulloque documento, immo nulla ſaltem ſpecie probare aut ornare poteſt. Liquet id clariſſime ex hoc ipſo capite, ubi me V. A. rogitantem inducit, *Quibus fidiculis ex loco Dionis, ſi maxime* ϛρατήγιον *ſignificaret domum Urbanam vel partem domus, extorquere poſſimus, ſignificare Judiciariam partem domus magis, quam aliam partem.* Ita me, inquam, inducit rogantem, ſed nihil reſpondet ad id probandum. Tantum, *de eo*, ait, *nondum quæritur. Hoc modo conſtet*, ϛρατήγιον *eſſe locum, ubi degit Imperator. Atqui* ϛρατήγιον non eſſe Dioni *locum ubi Degebat Imperator*, ᾤκει, ſed aliud quid, luce meridiana eſt clarius. Deinde vero, ſi ϛρατήγιον proprie notat *Locum ubi Degit Imp.* tum non ſignificat proprie partem iſtius Loci ſeu Domus Judiciariam, quæ tamen proprie tua eſt, Vir A. ſententia, quippe qui non modo ipſe, ut dixi, ex hoc

hoc Dionis loco *Habitationem Cæſarum diſtinxiſti á Prætorio*, ſeu Στρατηγίῳ, ſed & diſerte (Vide Comm. I. p. 92.) ϛρατήγιον ſeu *Prætorium* per partem Palatii, vel Auditorium ejus judiciale, explicuiſti. Prætorium, *id eſt*, *Auditorium Cæſaris, ejusque Præfecti, manſit apud* Palatium, *quod nomen de Cæſarea domo populariter notum, Partis ejus, id eſt*, Prætorii *appellationem abſorpſit*. Recognoſce ex his, Vir A. tuam ſententiam, antequam a me poſtulatum fuit, ut probares, ſive in loco Dionis, ſive alibi uſquam, voce Στρατηγίȣ apud Græcos, *Prætorii* apud Latinos, olim talem partem Domus, ſeu Auditorium aliquod Judiciale, fuiſſe ſignificatum. Id non differendum erat, & dein ſilentio involvendum, ſed probandum confeſtim, inprimis quando agitur de Dionis loco, quo unico hæc tua ſententia nititur; tantoque magis, quoniam ad illum Dionis locum tam confidenter id & conſtanter eſt a me negatum. Quid ergo fruſtraris & eludis Lectorem, tanquam

ſi *nondum quæratur de eo*, de quo cum maxime quæritur. Dicis, *de judicio & ejus Loco cis breve videbimus*. At, mi Hubere, non id proprie aut præcipue inter nos quæritur, utrum fuerit ſimpliciter in Aula Cæſarum Auditorium aliquod Judiciale, ſed an illud voce *Prætorii* aut ϛρατηγία uſquam apud Veteres, & proprie apud Dionem, ſignificatum fuerit. Hoc eſt vere τὸ κρινόμενον, ſeu præcipuum caput tuæ ſententiæ. Nam fuerit ſane Auditorium tale in Aula Cæſarum, quod tamen non fuit Auguſteo vel Neroniano ſeculo: ſed fuerit ſane, fuit etiam Culina, ac Triclinium, an idcirco hæc quoque deſignata fuere voce ϛρατηγία? Vides ergo probandum tibi omnino fuiſſe, *judiciariam* proprie partem Aulæ apud Dionem ea voce denotari. Sed incaſſum Ego hoc denuo flagito, jam antea Diſſ. II. toties a me inculcatum. Nam vel ſic nihil minus egit V. A. in tribus hiſce Capitibus, in quibus locum Dionis pertractat,

immo

immo neque in ſeqq. ubi de Auditorio diſputat. Quod, rogo Te, Lector, annon eſt vere vadimonium deſerere, & cauſam ſuam derelinquere, juſtamque, ſive meam, ſive tuam exſpectationem deſtituere. Ne tamen hoc quilibet Lector ſtatim animadvertat, & ut hæc culpa diſſimuletur, magnifica ſane verba V. A. jactare non deſinit, meamque Dionis interpretationem cavillationibus quibuſdam eludere. Hoc ergo ut agat, ſic argumentatur; *ϛρατήγιον illud Dionis neceſſe eſt, vel de Caſtris, ϛρατοπέδῳ, vel de Tabernaculo Imperatoris intelligamus. De Caſtris non poſſe capi verbum, ex dictis manifeſtum eſt.* Ergo *ϛρατήγιον eſt Tabernaculum Imperatoris*, nam *aliud nihil reliquum eſt.* At primo, nullum eſt dubium, quin ſimpliciter per illud *Tabernaculum Imperatoris* in Vrbe, debeat ſecundum Viri A. ſententiam intelligi ejus Domus Vrbana. Atqui falſiſſimum eſt, illam intelligi à Dione per vocabulum ϛρατηγίου, ſiquidem, ut ſæpe dictum, hoc ϛρατήγιον

 diſtin-

diſtinguitur clariſſime ab οἴκῳ, *Domo* Imperatoris. Ex quo liquet, etiam nondum conſideratis præmiſſis, falſiſſimum vel alieniſſimum eſſe illud Viri A. argumentum. Deinde duplex, illa ϛρατηγίȣ ſignificatio proprie in Caſtris & militia obtinet, non in Vrbe, ubi nec proprie dicta *Caſtra* ſunt, nec proprie dicta *Tabernacula*. Quod ſi tamen Vir A. ϛρατηγίȣ Vrbani ſignificationem apud Dionem proxime ex Caſtris & ex Militia omnino arceſſendam cenſet, quidni tum potius ea voce intelligatur res, quæ ex Caſtris in Vrbem devenit, h. e. Prætoriani milites, aut eorum aliquod corpus in unam Stationem conjunctum, ejuſve Stationis Locus: quam Res mere & ab initio ſuo ſemper Vrbana, h. e. Vrbana Domus Cæſaris? Idque hac Analogia, quoniam Suidas docet τὸ ϛρατήγιον ipſis Atticis ſignificaſſe τὸ ϛρατόπεδον: ϛρατόπεδον autem nihil aliud proprie eſt, quam τόπος τȣ̃ ϛρατȣ̃, ſeu ϛρατεύματος, locus in quo tendit exercitus, ſeu magnus, ſeu parvus, qualis

lis ſic ſatis erat ſtatio mille Militum. Denique quia ϛράτευμα & ϛρατόπεδον, paſſim apud Herodianum & alios, Vrbana hæc Prætorianorum militia, eorumque Locus appellabatur, immo ipſe Prætorii præfectus frequentiſſime ἔπαρχος τοῦ ϛρατοπέδου, vel τῶν ϛρατοπέδων. Contra nunquam Imperator in Vrbe dictus fuit ϛρατηγὸς, aut ejus Aula ϛρατήγιον, vel *Prætorium*, vel Tabernaculum, aut ullo Caſtrenſi vocabulo. Hæc ad *minorem* argumenti Huberiani. Sed accedit his, quod in rebus Romanis Græca vocabula ſæpiſſime recedunt ab ea proprie ſignificatione, quam in Græcis habent, prout Latini vocabuli, cui reſpondent & ad quod exprimendum adhiberi ſolent, ſignificatio augetur. Non opus, ut id aliis probemus exemplis, quum clariſſimum ſuppeditet hoc ipſum ϛρατηγὸς, quod in Græcis notat unice *Ductorem exercitus*: quippe formatum παρὰ τοῦ ἄγειν τὸν ϛρατὸν h. e. *ducere exercitum*. Hoc ipſum vero quia in Lingua Latina notavit vocabulum *Prætor* quaſi

Prætorium *ab omni antiquitate ſignificavit locum, in quo degit Imperator, atque a Dione pro cauſa ponitur, quod palatium domus Imperatoria dictum eſt. Ergo* Σϱαλίγιον *apud Dionem ſignificat habitationem Cæſaris, aut ejus partem. Quur hoc* de parte, *velim adjectum, inferius ediſſeram. Nunc habitatione ſum contentus, nec reſpondebo ad id quod Vir Cl. excipit* pag. 225. Si maxime Dionis hoc ϛϱαλήγιον ſignificaret domum vel partem ejus, quibus iterum fidiculis inde extorquebimus, ſignificare judiciariam partem domus &c. *De eo nondum quæritur: Hoc modo conſtet.* τὸ Σλϱατήγιον *Dionis non eſſe Caſtra, non ſtationem militum; ſed locum ubi degit Imperator; de judicio & ejus loco deinde cis breve videbimus.*

RE-

RESPONSIO
ad Cap. XVI.

Vir A. in exponendo Dionis loco partes, quæ meæ erant, ubique agit, negligit ſuas. *Mihi ſufficere* poterat refutare tantum Viri A. expoſitionem, atque ita oſtendere, nihil prorſus iſthoc loco juvari illius ſententiam: Ille contra ſuam iſtius loci interpretationem, remotis, quæ a me objectæ erant, difficultatibus, defendere ante omnia ac firmare debebat: quoniam Ego non Dionis, ſed aliorum, & quidem Latinæ Linguæ Scriptorum, loca quamplurima attuli, iiſque meam *Prætorii* ſignificationem abunde probavi: at V. A. unico hoc Dionis loco nititur & utitur. Et tamen ille, omiſſa ſuæ interpretationis defenſione ſuæque ſententiæ ex eo loco probatione, id tantum agit, ut meam interpretationem excludat: ſuamque deinceps non alia ratione munit adverſus tot diffi-

difficultates, quam, quod, mea excluſa, *nihil aliud reliquum ſit.* Sed extra ambages, Vir A. Quin aperto Marte agimus; ut decet: & neque dolis, neque artibus quibusdam animum Lectoris, remque ipſam implicamus potius, quam expedimus. Tua utique hæc eſt ſententia, *Prætorium in Vrbe denotare vel Aulam ipſam, ſeu Domum integram Cæſarum, vel potius proprie partem ejus, ſeu Auditorium judiciale.* Quin igitur oſtendis, Vir A. ſi locus Dionis a te prolatus quid facit ad tuam ſententiam, quæ uno hoc tibicine fulta eſt, quid in eo inſit ad iſtam *Prætorii* explicationem juvandam. Negavi Ego utrumque Tuæ ſententiæ membrum, etiam ex Dione. Neque enim ſignificari iſtic Græca illa voce, quæ Latinæ *Prætorii* reſpondet, *Aulam* vel *Habitationem* ipſam, quia diſertiſſime ab ea diſtinguitur, dum, quare Cæſaris domus appellata fuerit *Palatium*, duæ hæ, tanquam diverſæ, redduntur cauſæ: nempe quia ſimul *in Palatio*, h. e. Palatino monte *habitave-*

taverit, ᾤκει, & ibidem *Prætorium habuerit*, τὸ ϛρατήγιον εἶχε. Jam ſi diverſa iſtic ſunt οἰκεῖν, & ϛρατήγιον ἔχειν, etiam diverſa omnino ſunt apud Dionem οἶκ☉ *domus* ipſa Cæſaris, & ϛρατήγιον *Prætorium* ejus. Sed quid multa? Res eſt adeo manifeſta, ut ipſe V. A. in Comm. I. (Vide ſupra pag. 81.) ex hoc Dionis loco collegerit, *Habitationem Cæſaris fuiſſe diſtinctam a Prætorio, licet utrumque fuerit in Palatio.* Viderit ergo, qua jam conſtantia in Singulari hoc Libro identidem τὸ ϛρατήγιον per ipſam *Habitationem* vel *Habitaculum Principis* in Vrbe ac Palatio exponat: Veluti, quum ait ſup. Cap. *Dionis igitur* ϛρατήγιον *non eſt aliud, quam illud ipſum, quod ſemper & ab antiquo fuit, Habitaculum Imperatoris.* Et, *ſi hoc obtineri poteſt, de loco judiciis agendis proprio non valde laborabimus.* Verum ita loqui oportebat, quoniam conſtantiſſime pernegavi etiam alterum Huberianæ ſententiæ membrum, ſignificari ſcil. apud Dionem, vel uſquam alibi,

alibi, voce *ςρατηγἰα partem Domus*, ſeu proprie *Auditorium* Judiciale: & dein, quoniam ipſe id nulla ratione, nulloque documento, immo nulla ſaltem ſpecie probare aut ornare poteſt. Liquet id clariſſime ex hoc ipſo capite, ubi me V. A. rogitantem inducit, *Quibus fidiculis ex loco Dionis, ſi maxime ςρατήγιον ſignificaret domum Urbanam vel partem domus, extorquere poſſimus, ſignificare Judiciariam partem domus magis, quam aliam partem.* Ita me, inquam, inducit rogantem, ſed nihil reſpondet ad id probandum. Tantum, *de eo*, ait, *nondum quæritur. Hoc modo conſtet, ςρατήγιον eſſe locum, ubi degit Imperator. Atqui ςρατήγιον* non eſſe Dioni *locum ubi Degebat Imperator*, ᾤκει, ſed aliud quid, luce meridiana eſt clarius. Deinde vero, ſi ςρατήγιον proprie notat *Locum ubi Degit Imp.* tum non ſignificat proprie partem iſtius Loci ſeu Domus Judiciariam, quæ tamen proprie tua eſt, Vir A. ſententia, quippe qui non modo ipſe, ut dixi, ex hoc

hoc Dionis loco *Habitationem Cæſarum diſtinxiſti a Prætorio*, ſeu Στρατηγίῳ, ſed & diſerte (Vide Comm. I. p. 92.) ϛρατήγιον ſeu *Prætorium* per partem Patii, vel Auditorium ejus judiciale, explicuiſti. Prætorium, *id eſt, Auditorium Cæſaris, ejusque Præfecti, manſit apud* Palatium; *quod nomen de Cæſarea domo populariter notum, Partis ejus, id eſt*, Prætorii *appellationem abſorpſit*. Recognoſce ex his, Vir A. tuam ſententiam, antequam a me poſtulatum fuit, ut probares, ſive in loco Dionis, ſive alibi uſquam, voce Στρατηγίȣ apud Græcos, *Prætorii* apud Latinos, olim talem partem Domus, ſeu Auditorium aliquod Judiciale, fuiſſe ſignificatum. Id non differendum erat, & dein ſilentio involvendum, ſed probandum confeſtim, inprimis quando agitur de Dionis loco, quo unico hæc tua ſententia nititur; tantoque magis, quoniam ad illum Dionis locum tam confidenter id & conſtanter eſt a me negatum. Quid ergo fruſtraris & eludis Lectorem, tanquam

ſi *nondum quæratur de eo*, de quo cum maxime quæritur. Dicis, *de judicio & ejus Loco cis breve videbimus*. At, mi Hubere, non id proprie aut præcipue inter nos quæritur, utrum fuerit ſimpliciter in Aula Cæſarum Auditorium aliquod Judiciale, ſed an illud voce *Prætorii* aut στρατηγίου uſquam apud Veteres, & proprie apud Dionem, ſignificatum fuerit. Hoc eſt vere τὸ κρινόμενον, ſeu præcipuum caput tuæ ſententiæ. Nam fuerit ſane Auditorium tale in Aula Cæſarum, quod tamen non fuit Auguſteo vel Neroniano ſeculo: ſed fuerit ſane, fuit etiam Culina, ac Triclinium, an idcirco hæc quoque deſignata fuere voce στρατηγίου? Vides ergo probandum tibi omnino fuiſſe, *judiciariam* proprie partem Aulæ apud Dionem ea voce denotari. Sed incaſſum Ego hoc denuo flagito, jam antea Diſſ. II. toties a me inculcatum. Nam vel ſic nihil minus egit V. A. in tribus hiſce Capitibus, in quibus locum Dionis pertractat, immo

immo neque in ſeqq. ubi de Auditorio diſputat. Quod, rogo Te, Lector, annon eſt vere vadimonium deſerere, & cauſam ſuam derelinquere, juſtamque, ſive meam, ſive tuam exſpectationem deſtituere. Ne tamen hoc quilibet Lector ſtatim animadvertat, & ut hæc culpa diſſimuletur, magnifica ſane verba V. A. jactare non deſinit, meamque Dionis interpretationem cavillationibus quibuſdam eludere. Hoc ergo ut agat, ſic argumentatur; *ϛρατήγιον illud Dionis neceſſe eſt, vel de Caſtris, ϛρατοπέδῳ, vel de Tabernaculo Imperatoris intelligamus. De Caſtris non poſſe capi verbum, ex dictis manifeſtum eſt.* Ergo *ϛρατήγιον eſt Tabernaculum Imperatoris*, nam *aliud nihil reliquum eſt.* At primo, nullum eſt dubium, quin ſimpliciter per illud *Tabernaculum Imperatoris* in Vrbe, debeat ſecundum Viri A. ſententiam intelligi ejus Domus Vrbana. Atqui falſiſſimum eſt, illam intelligi à Dione per vocabulum ϛρατηγίȣ, ſiquidem, ut ſæpe dictum, hoc ϛρατήγιον
 diſtin-

lis ſic ſatis erat ſtatio mille Militum. Denique quia στράτευμα & στρατόπεδον, paſſim apud Herodianum & alios, Vrbana hæc Prætorianorum militia, eorumque Locus appellabatur, immo ipſe Prætorii præfectus frequentiſſime ἔπαρχος τοῦ στρατοπέδου, vel τῶν στρατοπέδων. Contra nunquam Imperator in Vrbe dictus fuit στρατηγὸς, aut ejus Aula στρατήγιον, vel *Prætorium*, vel Tabernaculum, aut ullo Caſtrenſi vocabulo. Hæc ad *minorem* argumenti Huberiani. Sed accedit his, quod in rebus Romanis Græca vocabula ſæpiſſime recedunt ab ea proprie ſignificatione, quam in Græcis habent, prout Latini vocabuli, cui reſpondent & ad quod exprimendum adhiberi ſolent, ſignificatio augetur. Non opus, ut id aliis probemus exemplis, quum clariſſimum ſuppeditet hoc ipſum στρατηγὸς, quod in Græcis notat unice *Ductorem exercitus*: quippe formatum παρὰ τοῦ ἄγειν τὸν στρατὸν h. e. *ducere exercitum*. Hoc ipſum vero quia in Lingua Latina notavit vocabulum *Prætor* quaſi

Præitor, hinc apud Græcos in rebus Romanorum vocabulo *Prætoris* reſpondet τὸ ϛρατηγὸς: idque ita, ut deinceps etiam receperit in rebus Romanis illam ſignificationem, quam receperat apud Romanos τὸ *Prætor*, licet longe diverſam ab ea, quam in rebus Græcorum habebat; nempe, ut notarit una cum derivatis veluti ϛρατηγία & ϛρατηγικὸς, etiam Magiſtratum Vrbanum, juri dicundo proprie præfectum. Similiter ergo, quum τὸ ϛρατήγιον apud Dionem occurrat de re Vrbana adhibitum, & tantum ſemel tali ſenſu poſitum reperiatur, & porro reſpondere in rebus Romanorum ſoleat *Prætorio*, neutiquam ſignificatio ejus in iis rebus coerceri poteſt intra Vſum, quem habet in rebus Græcorum: ſeu neutiquam ex Suida, qui tantum memorat, quid proprie apud Græcos in Caſtris & militia notet τὸ ϛρατήγιον, poteſt inferri, *neceſſe eſſe*; ut etiam apud Dionem in re Urbana alterutrum ſignificet ejus, quod ille memorat in Caſtris ſignificare: aut excludi illa ſignificatio, quam in re

Vrba-

Vrbana recipit ex Latino *Prætorio*, cui in rebus Romanorum unice reſpondet. Sic apparet falſam eſſe etiam *Majorem* argumenti Huberiani, quin & nullam eſſe cauſam, quominus τὸ ϛρατήγιον apud Dionem de re Vrbana adhibitum interpretemur de Corpore, ſeu Cohorte, vel Statione Prætorianæ militiæ, aut Loco, ubi illa tunc tendebat, æque ac *Prætorium* illo ſenſu apud Latinos adhibitum ſæpius occurrit.

Eandem vero vim obtinent reliqua Viri διαλεκτικωτάτȣ argumenta. Veluti quum colligit ex eo, quod *Domus Cæſarum* in Vrbe Roma appelletur *Palatium*, quia Cæſares *in Palatino monte* non tantum *habitaverint*, ſed & illic *habuerint Prætorium*, Prætorium ergo fuiſſe *Domum vel ejus partem*. Negavi Ego prorſus hanc conſequentiam, & per me licet, concurrant omnes Augures & Haruſpices, ut oſtendant, qua ratione in illo nexu *Prætorium* magis debeat notare *Domum*, a qua diſertisſime apud Dio-

nem

nem diſtinguitur, quam *Stationem Prætoriæ cohortis*, quæ ſane erat ad Aulam in Palatio, pertinebat proprie ad ipſos Cæſares, erat *Vis & Species Dominationis* eorum, atque ita, dum in perpetuum poſita erat in Palatio ad illam Cæſarum Domum, declarabat eam eſſe proprium ac fixum Cæſarum domicilium. Sed probaviſſe ſe ait V. A. iſtam *Rationem*, tum *Foris*, tum *Ex ipſis Dionis Verbis*. *Foris* hoc modo. *Quo ſenſu nuſquam Vox reperitur, eo nec in hoc loco eſt accipienda: Atqui pro ſtatione Militum nusquam accipitur Græca Vox* στρατήγιον. *Ergo*. Hoc vero an eſt *probare* iſtam conſequentiam, iſtamve *Rationem*, cujus probatio hic unice a me exigebatur? immo annon potius eſt, velle refutare meam Interpretationem, quamvis ita, ut ſimul ſuam ipſius refutet Vir Dialecticus? Nam quæ cauſa, quominus & Ego ſimiliter ac veriſſime aſſumam: *Atqui pro Domo Vrbana Cæſarum, aut proprie ejus Auditorio judiciali, nuſquam accipitur*

tur Græca vox στρατήγιον. Sed & dixi ſæpius, nusquam alibi, quod ſciam, adhiberi στρατήγιον de re Vrbana, atque idcirco nihil mirum, nusquam alibi eo proprie ſenſu vocem iſtam reperiri, quo heic debet exponi. Conquirat V. A. ſi meam interpretationem ita, ut oportebat, refutare vult, prius loca, in quibus rem Vrbanam notet illud vocabulum, eaque ubi habuerit, & quidem ſuæ interpretationi faventia, meæ adverſa, tum demum utatur talibus argumentis. Ceteroquin enim rectius, opinor, ſuæ exiſtimationi conſulet, ſi talibus æque adverſus ſe, ac me, facientibus abſtineat, ne æquis rerum arbitris ridiculum ſe præbeat, ac parum Dialecticum. *E verbis Dionis quam rationem inculcat*, abunde ea eſt refutata in ſuperioribus, neque quicquam Novi continet. Falſum enim eſſe, jam oſtendimus paulo ante, *τὸ στρατήγιον ab omni Antiquitate ſignificaſſe* τόπον τοῦ στρατηγοῦ, *Locum, ubi Degit Imperator*, quum etiam στρατόπεδον, *Caſtra*, ſignificaverit, & apud Dionem de re

 Vrba-

Vrbana adhibeatur, in qua non eſt τόπος τȣ̃ ϛρατηγȣ̃, niſi Domus Prætoris, qui juri dicundo præerat: certe enim Cæſares in Vrbe non appellabantur ϛρατηγοὶ. Falſum etiam docuimus, ϛρατήγιον apud Dionem notare *habitationem Cæſarum, aut ejus partem*, quum diſerte iſtic ab *habitatione* ſeparetur, etiam ex ſententia Viri A. alibi expoſita. Nullam denique eſſe rationem diximus, quia *Prætorium* præter & juxta Domum Cæſaris in Palatino monte conſtitutum, *pro cauſa a Dione ponitur, quod Palatium Domus Imperatoria dictum eſt*, idcirco *Prætorium apud Dionem ſignificare habitationem Cæſaris, aut ejus partem*: quum Prætoriæ Cohortis Statio ad Aulam longe potiori jure cauſam iſtam præbuerit, quippe quæ, ut dixi, erat Vis & Species dominationis Cæſarum, atque ideo eum locum, in quo erat poſita, demonſtrabat eſſe veluti proprium Cæſaribus. Ceterum *Ratio* iſthæc Viri A. non ita ſimpliciter debuiſſet repeti ſolummodò, ſed

pro-

probari etiam & firmari *ex verbis Dionis*, quod promiſerat; & quod, vellem, præſtitiſſet. Supereſt unum hoc, ut breviter expediamus, quomodo *Tria*, quæ *in Verbis Dionis notanda* V. A. cenſet, Ego admittere potuerim, *modo recte, & ut debent explicita:* h. e. ut *Prætorium pro ſtatione Militum capiatur*. Veriſſime enim ex mea illa ſententia dici poteſt, *Primum*, quod Prætoriæ Cohortis ſtatio *fuerit in Palatio. Secundum, quod Domus Cæſaris etiam nomen ſuum acceperit inde, quod ibi erat* Vis illa ac Species Dominationis; quippe quæ ex re demonſtrabatur, eſſe iſtic, & habitare Cæſarem. *Tertium* denique, *quod tamen nomen Domus Cæſareæ non fuerit* Prætorium, *ſed* Palatium: id quod toties a me urgetur contra Virum A. utpote ſententiæ ejus plane adverſum.

CAP.

CAP. XVII.

Cur, cum in Caſtris Prætoriis omnia Caſtris ſolita fuerint, Prætorium ſive Tabernaculum Imperatoris, quod uſque ad Tiberii ætatem eodem modo deſignatum eſt, illic non fuerit: Cauſam eſſe nullam, quam quod Prætorium erat, ubi degebat Imperator.

Priuſquam id exponatur, non poteſt intactum relinqui, quod antehac a nobis obſervatum eſt, quandoquidem Prætorium *& Prætoriani milites ſunt res perpetuo correlatæ, minime abſurdum fore, ſi quis ita putaret; poſtquam cohortes Prætoriæ ſub Tiberio, auctore Sejano, unum in locum extra urbem contractæ ſunt, & in Caſtris egerunt,* Prætorium *quoque in Caſtra fuiſſe tranſlatum. Neque profecto, ſi* Prætorium *alibi non fuiſſet, quam* ὅπου ὁ Καῖσαρ ᾤκει, ubi Imperator habitabat, *non potuiſſet aliter fieri, quin Prætorium in Caſtris haberetur. Nulla unquam ante Cæſares Caſtra ſine Prætorio fuerunt, neque monſtrum rei Tiberius Caſtra ſine Prætorio conſtituiſ-*

ſtituiſſet, niſi Auguſtus τὸ Στρατήγιον, Prætorium, *illic, ubi degebat* ὁ Στρατηγὸς, *in Palatio conſtituiſſet. Bene igitur, qui Prætorium in Urbe non fuiſse credit, opinetur, ſi Prætorium in Caſtris extrà urbem redurendum putet. Verum fruſtra quærat; in Caſtris Prætorianis nullum fuit Prætorium aut Tabernaculum Imperatoris; Non Claudius, non Otho, non Galba cum Piſone, qui in Caſtris & apud Principia ſuarum rerum ſategerunt, leguntur unquam ingreſſi Prætorium aut Imperiale Tabernaculum. Caracalla quidem & Heliogabalus cum Alexandro Severo etiam in Caſtris Prætorianis pernoctarunt; ſed in Templo, quod erat illic, egerunt, nulla Prætorii aut Tabernaculi Imperialis mentio. Herodianus de his ultimis, milites, inquit,* ἀνοίξαντες τὰς πύλας τοῦ στρατοπέδου ἤγαγον· Apertis caſtrorum portis, receperunt eos in Templum Caſtrorum. *Ex mox,* Διανυκτερεύσας ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ στρατοπέδου. Cum pernoctaſſet in Templo Caſtrorum. *Quid cauſæ*

ſæ fuiſſe dicemus, quominus Prætorium in Caſtris fuerit conſtitutum? Aſconii tempore, ut ex ejus verbis intelleximus, Prætorium nihil fuit, quam Tabernaculum Imperatoris; fuit is Livii æqualis, ut Voſſius *probat, qui attigit Tiberii principatum. Unde tam ſubita mutatio, ut vivo adhuc Tiberio, liquefacta Prætorii in cohortes Prætorias ſignificatione, nullum amplius Prætorium ſupereſſet, Tabernaculum Imperatoris? nec quidem in Caſtris,* in quibus omnia erant eadem, quæ in aliis Caſtris reperiebantur, *ut more ſuo prolixe narrat Auctor novus* pag 216. *Vide tamen quo pacto ſe ab hoc argumento expediat.* Cæterum, licet in Caſtris, *ait*, his Prætoriis, nullus eſſet locus, qui appellari poſſet Prætorium, videtur tamen illic fuiſſe, certe fuit poſtea, qui omnem alium Prætorii uſum, præter præcipuum illum habitationis, haberet. Is vero erat templum illud &c. pag. 217. *Quid, o bone, reddes nobis cauſæ, cur, cum omnia fuerint in Caſtris illis, antiquitus in iis ſolita, quorum præcipuum*

uſque

uſque ad ipſa illa Tiberii tempora fuiſſe conſtat Tabernaculum Imperatoris, *quod* Prætorium *vocat Aſconius ejusdem temporis Scriptor & omnis antiquitas; Cur*, *cum* inſtar *Prætorii fuerit in iisdem Caſtris, eundem habens uſum, ut tibi videtur, quod tamen non liquet; Cur illud inſtar Prætorii, non habuit nomen, quod ſemper, habuit, PRÆTORII? Scio, quia cohortes Prætoriæ jam erant factæ Prætorium. Scilicet, quod nemo dixit, quod Aſconius & omnis vetuſtas ignorat, imo contra adfirmat: hoc an ſit probabilius, quam quod nos ex neceſſitate evidentiſſima colligimus; ideo non fuiſſe Prætorium in Caſtris, quia pridem illic erat, ubi Imperator habitabat in Palatio, nec ſalvis auſpiciis & majeſtate Imperatorum inde moveri poterat; hoc non ſecure Lectoris judicio committimus.*

RESPONSIO
ad Cap. XVII.

Quum Vir A. nullo prorſus modo docere poſſet, qua auctoritate, Analogia, vel ratione, ϛρατήγιον Dionis, & *Prætorium* Latinorum, accipi debeant proprie pro Auditorio judiciali; quumque, ut id doceret, ſerio & ſæpius a me flagitaretur, exſpectareturque haud dubie a Lectoribus; aſtu potius, quam bona & ſincera fide, rem ſibi gerendam cenſuit; atque idcirco, ne cogeretur fateri, ſe probare non poſſe id, quod vere eſt præcipuum noſtræ controverſiæ caput, quodque ipſe in ſua *Prætorii* definitione poſuit, ac ſe probaturum promiſit, Lectores primo differt, tanquam *cis breve id viſuros*, & dein prorſus fruſtratur. Sed ne & hoc animadverteretur, & ut abduceret Lectorum animos ab exigenda dictæ rei probatione, ideo haud dubie, antequam de Auditorio Judi-

Judiciali, quod fuerit in Palatio, ageret, poſt Dionei Loci pertractationem ſubjungit confeſtim quæſtionem ab iſthoc Loco plane alienam: Nempe, Vtrum etiam in Caſtris Prætoriis fuerit Prætorium Tabernaculum: Et, An etiam in iisdem Caſtris jus fuerit dictum. Nos, quibus unum hoc eſt conſilium, Virum A. κατὰ πόδα ſequi, & refutare, heic quoque ejus veſtigia legemus, licet ab inſtituto curſu aberrantia.

Omnis ejus diſputatio, quæ ſatis confuſa eſt & intricata in hoc Capite, huc tamen redire videtur; *Res eſſe perpetuo Correlatas, Prætorium, & Milites Prætorianos:* tum etiam, Prætorium & Caſtra, adeo ut *nulla ante Cæſares Caſtra fuerint ſine Prætorio;* atque idcirco *minus abſurdum* me fuiſſe futurum, ſi tradidiſſem, *quando a Tiberio Caſtra Prætorianorum Militum extra Vrbem ſunt conſtituta, Prætorium quoque in illa Caſtra fuiſſe translatum:* Sed tamen & hoc eſſe falſum, quoniam *in Caſtris Præto-*

  to-

toriis revera nullum fuerit Prætorium: ejusque rei hanc eſſe cauſam, quod *Auguſtus Prætorium in Palatio conſtituerit*. At pleraque hæc ſunt vere abſurda, falſa, & a rebus Romanis alieniſſima. Falſum primo eſt, *Prætorium, & Prætorianos Milites eſſe res perpetuo correlatas*. Nam nulla eſt eorum inter ſe relatio, ſed utriusque eadem cum *Prætore*. Nec enim *Prætorium* & *Prætoriani Milites* ſecundum ordinem & naturam rei concipi poſſunt abſque vel ante *Prætorem*. Ab eo denominationem, ab eo uſum, immo exiſtentiam ipſam accipiunt, ſicuti oſtendimus ad Cap. IX. & XIII. Deinde neutiquam etiam Relata ſunt *Prætorium* & ipſa *Caſtra*, vel Connexa adeo, ut *Monſtrum rei fuerint Caſtra ſine Prætorio*, quemadmodum V. A. ait. *Caſtra* enim ſi eſſe aliquamdiu poterant ſine *Prætore*, ſeu ſummi imperii Duce, poterant etiam eſſe, & erant tamdiu, ſine *Prætorio*: at *Prætor* ipſe in caſtris ſine eo eſſe non poterat, adeo ut ille proprie loquendo

quendo *Prætorii* appellationem ex uſu Linguæ ſecum traheret, prorſus & æque ac Claſſis poterat eſſe ſine *Prætoria Navi*, ſi eſſe poterat ſine tali ſummi Imperii Duce, qui ab illo ſummo Imperio *Prætor* appellabatur. Jam vero, quam rationem in Claſſe habet *Prætoria Navis*, eandem in Caſtris habet *Prætorium Tabernaculum*. Sicuti enim illa in Claſſe nihil eſt aliud, quam Navis, in qua vehitur Prætor, ſic *Prætorium* in Caſtris nihil eſt aliud, quam Tabernaculum, in quo tendit & veluti habitat Prætor. Proprie ergo non ad *Caſtra*, ſed ad *Prætorem* pertinebat, nec erat absque eo, ſicuti e contrario plura in unis iiſdemque Caſtris erant *Prætoria*, quando plures in iis eſſent *Prætores*. Certe quum Capua a Romanis obſideretur, quoniam huic obſidioni præerant duo Proconſules, & unus Proprætor, *tria* iſtic *Prætoria erecta* memorat Livius xxv. 22. Quin immo vivo Auguſto, quum Tiberius ad fratrem Druſum, morbo

ſuccumbentem in Germaniam veniſſet, Druſus apud Val. Max. V. 5. 3. præcepiſſe dicitur, *dextra in parte* ſui ſcil. Prætorii aliud *ſtatui Prætorium* Tiberio in Caſtra adventanti. Non fuerat ergo antea hocce Prætorium iis in Caſtris, ſed ex ſolo ejus, qui etiam ſummo & Conſulari imperio erat ornatus, adventu additum eſt priori, quod jam iſtic erat. Similiter quum C. Cl. Nero Caſtra, quæ in Apulia habebat Hannibali oppoſita, reliquiſſet, & Collegæ ſuo Livio Salinatori adverſus Hannibalis fratrem ſe conjunxiſſet, dicitur apud T. Livium XXVII. 44. Caſtra reliquiſſe *ſine Imperio, ſine Auſpicio,* licet in iis tamen Caſtris reliquerit maximam exercitus partem, & Q. Catium, qui iis præeſſet. Sed tamen quoniam ipſe aberat, idcirco aberat etiam *Imperium* κατ' ἐξοχὴν, aberat *auſpicium*, aberat proprie loquendo etiam *Prætorium*: quamvis tamen Milites illud Tabernaculum, quod fuerat Prætorium, & in quo tetenderat Nero, appellare forſan etiam in ejus abſentia *Prætorium* potue-

tuerint, ſcilicet quia fuerat, &, ut ſperabant, brevi iterum futurum erat ſummi ſui Ducis Tabernaculum. Ceteroquin enim proprie dictum Neronis *Prætorium* vere tunc erat in Caſtris Livii Salinatoris, unde & in iis *bis ſignum ceciniſſe* legitur, videlicet ad Prætorium Livii & Neronis.

Manifeſta jam ex his eſt vera ratio, quare Appellatio *Prætorii* non fuerit in Caſtris Prætoriarum Cohortium ad Vrbem, æque ac ceteroquin in aliis Caſtris, uſitata. Nempe quod Cæſar, qui erat veluti Prætor & Imperator horum Militum, in iis Caſtris neutiquam tenderet aut habitaret: non vero quod Auguſtus in Vrbe & Calatio caſtrenſe illud collocaviſſet *Prætorium*, ut hallucinatur Vir A. Neque etiam, quod *Prætoriæ cohortes jam factæ eſſent Prætorium*, quam rationem mihi affingit per σφάλμα διαλεκτικὸν ſatis ineptum. Nam licet Ego ſentiam, *Prætorium* in Vrbanis rebus denotare Prætorias *Pæ*ſarum cohortes in Vrbem receptas, neutiquam inde ſequitur, vocabulum illud

non retinere priſtinam ſignificationem in Caſtris & Provinciis, non magis, quam ex eo, quod juxta ipſius Viri A. ſententiam ſub Cæſaribus quoque demum cœpit denotare in agris Villam voluptati opulentorum hominum deſtinatam. Et vel fallitur Vir A. vel potius fallit graviſſime, quando primum ex mea ſententia extorquet *tam ſubitam mutationem, ut vivo adhuc Tiberio, nullum amplius Linguæ Latinæ Prætorium ſupereſſet, quam in Prætoriis cohortibus*, quod jam refutatum dedimus, & a mea ſententia alienum probavimus, Cap. VIII. & XII. Deinde etiam, quando ex eo, quod Aſconius de *Prætore* agens, inde formatum dixerat *Prætorium*, & id proinde proprie eſſe *Tabernaculum ejus*, obtrudit Lectoribus ſuis, *Prætorium Aſconii tempore, & ex ejus verbis NIHIL fuiſſe, quam Tabernaculum Imperatoris*, quum etiam ex ipſius Viri A. ſententia fuerit tunc etiam Villa, & Aula Præſidum, vel Prætorum in Oppidis Provincialibus. Aliud longe eſt, *a Præ-*

 tore

tore dici Prætorium, *Tabernaculum ejus*, quæ verba ſunt Aſconii: aliud, *Prætorium NIHIL fuiſſe, quam Tabernaculum Imperatoris.*

Sed & quamvis proprie appellatio *Prætorii* Tabernaculi nulla in Caſtris Prætoriis fuerit, res ipſa tamen fuit, ſi tollas unam illam partem, a qua ſola *appellatio* iſta *Prætorii* dependet, h. e. habitationem & manſionem ipſam Imperatoris. Ea vero res, ſive is Locus tunc appellabatur *Templum* a potiſſima parte reliqui Uſus, quem *Prætorium* in aliis Caſtris habebat. Etenim in Prætorio Caſtrenſi erant Augurale, & alia Templis convenientia, ut docuit Lipſius de Mil. Rom. Dial. V. 2. Servabantur iſtic Dii Caſtrenſes, Aquilæ, & Signa Militaria. Quin & ipſum illud Prætorium erat extructum in formam Templi: atque hinc ναῷ παραπλήσιον appellat Joſephus, immo abſolute *Templum* Florus II. 12. Quem enim Livius dicit a Paulo Macedonico introductum comiter in Prætorium Tabernaculum, eum ille

in Templum ait *receptum. Nec reverentior*, inquit, *captæ Majeſtatis alius Paulo fuit. Quum in conſpectum veniſſet hoſtis, in Templum recepit, & conviviis adhibuit. Templum* hoc, ut ex Livio oportet, de *Prætorio* interpretantur Gruterus, Rupertus, Gronovius & Grævius. Jam vero quum in Caſtris Prætoriis reperiatur fuiſſe *Templum*, in quo ſervabantur, & adorabantur τὰ σημεῖα, καὶ ἀγάλματα τοῦ στρατοπέδου h. e. *ſigna & effigies Caſtrenſes*, immo in quo & ipſe Imperator, quando ita veniebat uſus, ut manere vellet in Caſtris, eſſe & pernoctare ſolebat, quis dubitet, quin *Templum* hoc habuerit iis in Caſtris eundum plane Vſum, quem in aliis *Prætorium*, ſed non appellatum ita, quia unica iſtius *appellationis* cauſa a Templo hoc aberat, h. e. habitatio Prætoris ſeu Imperatoris. Vir A. ſi in alia erat ſententia, docere nos debuiſſet, cui ceteroqui rei Caſtrenſi ſucceſſerit, ſeu cum qua alia re in aliis Caſtris comparari debeat hocce *Templum*, quod in

Præ-

Prætoriis Caſtris fuiſſe memoratur, & quidem ſimpliciter ſub hac appellatione, ὁ νεὼς, vel τὸ ἱερὸν τοῦ στρατοπέδου *Templum Caſtrorum.* Ceterum appellatio illa *Prætorii* neutiquam, certe non magis, quam habitatio Imperatoris, erat Caſtris illis neceſſaria, maxime quum iis maneret reliquus *Prætorii* uſus per illud *Templum.* Ex quo etiam liquet, neutiquam eſſe opus, fingere ſine ulla auctoritate, aut ſpecie, *Prætorium ab Auguſto in Vrbe collocatum*, ut facit V. A. Quorſum enim illud tantæ invidiæ facinus, & quidem in Auguſto, qui ceteroqui ſtudioſiſſime cavit, ne quam invidiam in iſtis Monarchiæ initiis ſuæ dominationi conciliaret, aut civibus ſuam ſervitutem ulla oſtentatione exprobaret? At vero, ſi ille ſuam mere Vrbanam habitationem appellari voluiſſet Caſtrenſi vocabulo *Prætorium*, vel Prætorium Caſtrenſe ex Caſtris in mediam Vrbem ſine ulla neceſſitate tranſtuliſſet, non aliter ſane accipi id potuiſſet a Civibus, quam quaſi ea re voluiſſet declarare, ſe in Vrbe haberi

beri velle & metui, ut Imperatorem in Caſtris, ſeque Cives ipſos coerciturum imperio plane Caſtrenſi & militari, quod durius multo & atrocius erat Vrbano, atque idcirco Vrbi ſemper inviſum, adeo ut in libera Rep. immo etiam ſub primis Cæſaribus, nemini cum militari Imperio Vrbem intrare liceret, & Auguſti ſucceſſor Tiberius, hac ratione & cauſa motus, diſerte & vere ſe *Civium*, non *Imperatorem*, ſed *Principem*, *Imperatorem* vero, non *Civium*, ſed *Militum* diceret. Conciliet ergo Vir A. hanc tranſlationem *Prætorii* ex Caſtris in Vrbem ad rem prorſus Vrbanam, ſine ulla cauſa aut neceſſitate factam vel fictam, cum illis σοφίσμασι πολιτικοῖς, quæ ipſe agnoſcit fuiſſe frequentia *Auguſto & primis Imperatoribus* Comm. I. §. 9. adeo ut ſoliti *ſint, quicquid auribus Vrbanis inſolens erat, etſi rem tenerent, verbis tamen diſſimulare.* Quod vero me minus abſurdum fore arbitratur, ſi *putarem Prætorium ex Vrbe a Tiberio in Caſtra prætoria tranſlatum*, ego vero me

ro me abſurdiſſimum fore crediderim, ſi id traderem, aut ſentirem, quum illud nunquam in Vrbe fuerit. Si iſtic fuiſſe exiſtimat Vir A. operæ feciſſet pretium, ſi ulla id auctoritate probaſſet. Sed certus ſum, nunquam eum id facturum.

CAP. XVIII.

In Caſtris judicia fuiſſe acta, nullo exemplo probari; ſed in habitaculo Imperatoris, ut olim, ita deinceps in Palatio fuiſſe locum agendi cauſas.

Sed moleſte fert Vir Cl. quod judicia de rebus non tantum militaribus ſed etiam civilibus & Religioſis, quæ expediret ei in Caſtris acta fuiſſe, melius probare non poteſt, quam inſtituit. Dolet, non fuiſſe diligentes priſcos Scriptores in annotandis judiciorum iſtic exercitorum exemplis: quia fuerunt illa militum & proinde minoris momenti, nec ſatis digna notatu in Annalibus aut Hiſtoriis, quæ ſatis ſuperque implebant res Senatoriæ iſtorum temporum pag. 220. *Quæ verba*

ve-

velim cuſtodiat Lector; uſu forte an inferius ventura. Cauſas militum in Prætorio fuiſſe diſceptatas, ipſe novus Anctor in priori diſſertatione *ſua probavit* th. 21. *ubi concludit*, unde conſequens eſt, diſceptatas quoque illic eſſe, *in Prætorio dixerat*, militum cauſas. *Sed Prætorium eſt habitaculum Imperatoris, & hoc fuit in Palatio; Concludimus igitur:* Vnde conſequens eſt, diſceptatas quoque illic fuiſſe militum cauſas. *Vetus ille mos fuit, ut in Tabernaculo Imperatoris ſive Prætorio, quod fuit in Palatio, inquam, diſceptarentur, ubi milites omnes die verſabantur, ad quod pertinebant, unde nominabantur; in quo Præfectus eorum habebat Auditorium ſuum, ut mox videbimus. Non eſt, quod probemus rem, quæ aliter ſe habere non poteſt. Novus Auctor Caſtrenſia quærat judicia; Et eſt in eo ſedulus. De Caractaco & ejus Spectaculo vidimus antea, nunc aliud, Silii profertur, qui in Caſtris neci datus ab Imperatore, cædem uxoris &*

tot

tot illuſtrium Virorum ſine Præſidio militum non auſo. Quin Vir Cl. in hortis Lucullianis acta fuiſſe judicia contendat, quod ibi Meſſallina eodem mipetu ſit interfecta, referente ibidem *Tacito. Vellem Vir Cl. eodem oculos advertiſſet, quomodo Tacitus,* Getam Prætorianis impoſitum, firmaret Prætorias cohortes, Cohortium clamor, aliaque, *nunquam* Prætorium *ingeminet. Infra videbimus, an non mihi juſtior ſit cauſa, quare Palatium vulgo,* Prætorium *Romæ non fuerit appellatum, quam Viro Cl. cur corpus militum Prætorianorum non dicantur Prætorium. Ille quidem nihil uſquam protulit. Meas rationes in locum proprium reſervo. Sed alterum exemplum, cujus argumento judicia in Caſtris acta fuiſſe probat, eſt Severi,* qui Romam veniens, Prætorianos juſſit ſibi cum ſubarmalibus inermes occurrere, eoſdem ſic ad Tribunal vocavit, dein ingreſſus eſt Romam, referente Spartiano cap. 6. *Quod hoc genus, inopia Veri, profer-*

fertur, non eſt mirum; Sed quod inde ſerio contenditur, Imperatores in caſtris Prætorianis revera jus dixiſſe, *quod facit Auctor novus* pag. 219. *in eo judicium ſanæ conſecutionis requiro. Hiſtoria multo copioſius refertur ab Herodiano* in lib. 2. *Severum perſuaſiſſe militibus Prætorianis* τὰ μὲν ὅπλα καταλιπεῖν ἐν τῷ στρατοπέδῳ, πάντας δὲ ἐξελθεῖν εἰρηνικῷ σχήματι; ut armis in Caſtris relictis omnes pacato habitu exirent: *quod illi cum feciſſent, laureati obviam proceſſerunt.* Ἐπεὶ δὲ ἠγγέλθησαν ἀφικόμενοι εἰς τὸ πεδίον, Cum nuntiatum eos ad exercitum Severi perveniſſe, *dato repente ſigno comprehenſi ſunt, & captos Severus exauctoravit, pœnaque capitis impoſita, centum milliaribus ab Vrbe Roma abeſſe juſſit. Hæc eſt illa diſceptatio cauſæ in Caſtris Prætorianis: Nam ita rem narrat Vir Cl. quaſi illic res geſta eſſet, cum procul ab illis, in caſtris Illyrici exercitus urbi appropinquantibus res geſta fuerit, nihilque ſimile judiciali diſceptationi habuerit.*

He-

Herodianum non viderit hac parte, an pro argumento, quod ille refert, diſſimulandum putaverit, nihil attinet ambigere. Sed dialecticam, Mi Lector, vim judicii quæſo conſideres, quid hoc ſit, ejuſmodi ratiocinatiunculis μετὰ πολλῆς φαντασίας *jactitandis, probatum ire, quod a re, de qua loquuntur Auctores citati, eſt alieniſſimum.*

RESPONSIO

Ad Cap. XVIII.

Vir A. in Comm. I. ſæpius me rogat, ubi putem Paulum ſuam egiſſe cauſam, aut ubi Præfectum prætorii jus dixiſſe, ſi non habuerit in Aula Auditorium aliquod judiciale. Reſpondi identidem, nihil ad me, aut ad noſtram attinere controverſiam, ubi proprie Paulus fuerit auditus: quum in controverſo Pauli loco neutiquam de judiciali ejus Apologia agatur: credere me tamen, ſi auditus fuerit a Præfecto prætorii, antequam a Cæſare audiretur, fuiſſe privatim, non publice, audi-

ditum, & haud dubie, in primis ſi publice, in Caſtris Prætoriis. Certe ibi ſub primis Cæſaribus, Præfectos prætorii jus dixiſſe, immo & ipſos Cæſares. Probavi illud Diſſ. II. §. 34. 35. 36. tum ratione ipſa, tum diſertis Auctorum verbis, immo exemplis ex Hiſtoria Rom. petitis. Id vero refutaturus in hoc Capite Vir A. eandem, quam in ſuperioribus, adhibet diſputandi rationem ac fidem. Ea enim, quæ nullis artibus labefactari, nulliſve adulterari coloribus queunt, ſilentio prorſus involvit, in aliis multus eſt, & mirifice ſe effert.

Primo docueram ipſis Poetæ, qui exeunte primo Cæſarum ſeculo vixit, verbis, *Legibus antiquis Caſtrorum*, ſuo adhuc tempore, id *ſervari, ut Miles non litiget extra Vallum* Caſtrorum, *Nec procul a Signis* militaribus, quæ juxta Prætorium in Principiis Caſtrorum, ubi jus dici ſolebat, figebantur, & in Prætoriis Caſtris in Templo illo, quod iis erat loco Prætorii in eorum Principiis, ſervabantur. Addideram,

pro-

proprie de Prætoriis Caſtris iſthæc Poetæ verba explicuiſſe Veterem Scholiaſten. Nihil vero, ne γρύ quidem, ad hæc reſpondet Vir A. Porro autem inde collegeram, veriſimillimum ergo eſſe, immo certum, etiam Prætorianis Militibus intra Vallum ſuorum Caſtrorum, & apud ſua Signa jus fuiſſe dictum ab eorum Præfecto; Idque hâc inſuper ratione firmaram; fuiſſe ſcil. in eorum quoque Caſtris omnia judiciis Caſtrenſibus ſolita: fuiſſe *Principia*, locum, qui nullum alium in Caſtris habebat uſum, quam ut milites iſtic in Concione conſiſterent, & ut ita Duces pro Concione judicia iſtic exercere vel quacunque de cauſa eos alloqui poſſent: Fuiſſe item *Tribunal*, judiciis pene proprium: Fuiſſe etiam Tabernaculum, ſeu *Templum*, quod nullius rei, niſi *Prætorii*, uſum iſthic exhibuit, licet, quia non tendebat in eo, ut nec in ipſis illis Caſtris, Prætor Caſtrenſis, *Prætorium* appellatum non fuerit, nec appellari ſatis commode potuerit. Ni-

hil quoque huic rationi reponit Vir A. quamvis §. 49. denuo a me inculcata fuerit.

Subjeceram deinde exempla duo, expoſita ratione, quare complura ejus generis a Priſcis Scriptoribus non fuerint annotata; quoniam ſcil. eſſent Militum & levioris momenti, ſecus quam Vrbana, & Illuſtrium Civium ac Cauſarum judicia, quæ proinde in Hiſtoriis frequentiora occurrant. Heic vero *dolere* me ait, & *moleſte ferre, quod judicia in Caſtris acta melius probare non poſſim.* Falſa profecta eſt hæc exprobratio; neque enim ullam ego *Doloris* ſpeciem præ me tuli. Ferenda tamen utcunque foret, ſi Vir A. ulla ipſe haberet exempla judicii inter Prætorianos alio loco exerciti, aut ſi quicquam adferre potuiſſet contra datam a me deficientium in hac re exemplorum rationem. Nunc cui non ridiculum accidat, quod mihi, qui tamen exempla attuli, inſultat quaſi querenti de eorum penuria, quum ipſe nulla prorſus in contrariam partem adfer-

adferre, neque ullam aliam iſtius penuriæ rationem, quam quæ eſt a me allata, dare queat. Quando a Prætorio Caſtrenſi iterum argumentatur, ad Habitationem Vrbanam Cæſarum, ineptiſſima utitur petitione Principii, dum pro certis ponit, quæ falſiſſima ſunt, & a me diſertiſſime ſemper negata. *Sed*, ait, *Prætorium eſt Habitaculum Imperatoris, & hoc fuit in Palatio. Ergo* &c. Ego vero nego illud, & falſiſſimum pronuncio, *Prætorium* fuiſſe unquam Latinis Vrbanum Cæſaris Habitaculum. Corruit ergo Concluſio. Ludit inepte Vir A. in ambiguitate vocabulorum, *Habitaculum Imperatoris*, ſiquidem Prætor Caſtrenſis, unde *Prætorium*, etiam appellabatur *Imperator*, & Tabernaculum Caſtrenſe erat in Caſtris, veluti *Habitaculum* iſtius Prætoris. Sed nihil hæc ad Vrbanam Cæſarum habitationem. Pergit: *Vetus ille mos fuit, ut diſceptarentur militum cauſæ in Prætorio, quod fuit in Palatio, in quo & Præfectus eorum habebat Au-*

ditorium. Mirum ſane, ſi *vetus ille mos* fuit, non poſſe hunc *morem* ullo exemplo aut documento probari. Sed *non opus eſt, quod probet rem, quæ aliter ſe habere non poteſt.* Egregie vero. Gladius hic eſt Alexandri, Vir A. quo omnes nodos facile ſecare poteris. Verum tamen ſolent ejuſmodi res, *quæ aliter ſe habere non poſſunt*, eſſe manifeſtiſſimæ, & probatu facillimæ. Quid ergo cauſæ, quum a me toties inculcetur Lectoribus, noſtræ controverſiæ arbitris, falſisſimum eſſe, quod hoc tempore Auditorium judiciale, & quidem ſub nomine *Prætorii*, fuerit in Palatio, quodque ibi diſceptatæ fuerint militum lites; quum porro alium ego Locum oſtenderim, ubi judicia illorum militum fuerint exercita, idque probaverim verbis & exemplis Veterum: quid ergo cauſæ, inquam, quod nullum, ſi non in meam, ſaltem in Lectorum gratiam, adferas & ipſe exemplum aut documentum iſtius rei, *quam aliter ſe habere non poſſe* jactas, idque tanto magis, quo-

quoniam me jubes *Caſtrenſia quærere judicia.* Patere, ſis, æquo igitur animo, quamdiu nullo plane documento probare poteris, quod affirmas, niſi hôcce, *Res illa aliter ſe habere non poteſt*, regeri Tibi, Lectoribus te imponere magnificis iſtis locutionibus, & obtrudere pro certis, quæ ipſe ſcias probari a Te non poſſe.

Sed & in allatis a me exemplis, prius eorum quam ſciens volenſq; eludat alieniſſimis cavillationibus, quum refutare non poſſit, res eſt clariſſima. Attuleram ex Tacito judicium a Claudio in Caſtris Prætoriis exercitum adverſus Silium & reliquos Meſſalinæ adulteros, atque adulterii miniſtros; ubi Reus in *concione militum* dicitur *admotus Tribunali.* Quorſum? niſi ut accuſationem audiret, & cauſam ſuam ageret, ſicuti in judiciis fit. Sed ille, quum certus eſſet damnationis, dicitur porro, nequidem *tentaviſſe defenſionem*, precatus tantum, ut mors acceleraretur. Quæ conſtantia fecerit & alios *maturæ necis cupidos*, dum ſcil. non ſtu-

 debant

debant ulla *defenſionis* mora, cujus ceteroqui copia ipſis dabatur, uſuram hujus lucis ac vitæ in longius ſpatium protrahere. Deinde vero alii iſtic referuntur *tracti ad ſupplicium*, quidam *confeſſi*, quidam *ulterius indicium offerentes*; denique aliorum, qui cauſam dixere, *defenſio non recepta*, aliis *mors remiſſa*. Quid? Nonne in hoc facto omnia, formulæ loquendi, res memoratæ, ipſum Tribunal, & concio Tribunali adſtantium, declarant judicium vere iſtic exercitum? Res adeo manifeſta, ut Vir A. nil niſi ineptias meras reponat. Scilicet, quaſi iſtic loci nihil aliud diceretur, & ex eo nihil aliud a me urgeretur, quam *Silium in Caſtris neci datum ab Imperatore*, jubet me etiam *judicia quærere in hortis Lucullianis*; *quoniam ibi Meſſalina fuerit interfecta*. At, o Bone, ulla ne iſtic ſpecies judicii, qualis in Caſtris exhibetur? An iſtic *Cæſar*, ut judex, pro *Tribunali* ſedens? An reus *Tribunali admotus*; an *Defenſio cujusquam recepta* ſeu approbata occurrunt?

runt? Aeque porro ineptum eſt, quod monet, memorari in hac Hiſtoria *Cohortes*, *Prætorias cohortes*; Dici *Getam Prætorianis impoſitum*; Nunquam *Prætorium* iſtoc ſenſu. Quaſi non aliis ex locis eam *Prætorii* ſignificationem abunde probaverim, aut quaſi rarior alicujus vocabuli uſus ubique poſſit aut debeat reperiri, aut denique, quaſi ipſe *Prætorium* pro Palatio poſitum uſquam docuerit, licet innumeris pene in locis Palatii vel Aulæ Cæſarum fiat mentio, immo quaſi ipſam illam rem, quam proprie denotari vult *Prætorii* voce, Auditorium ſcil. Judiciale, ullo documento oſtenderit, iſtis temporibus fuiſſe in Aula Cæſarum, quum exemplis quam plurimis, eos alibi jus pro Tribunali dixiſſe, declarari queat. Sed tamen vel ſic occurrit utique in hac ipſa Hiſtoria *Prætorii* vocabulum *Prætorianis militibus* manifeſte reſpondens tanquam ſynonymon. Nam idem ille Geta, quem Vir A. oſtentat iſtic dici *Prætorianis impoſitum*, mox ibidem

Præ-

Prætorii Præfectus dicitur, diverſa appellatione, ſed eadem prorſus, ut liquet, ſignificatione. Verum nihil omnino iſthæc pertinebant ad refutationem judicii Caſtrenſis a me allati. Quæ cauſa, quare illud Silii exemplum, quod multo certius omnem judicii ſpeciem præfert, quam alterum a me allatum, in quo tantum *Prætoriani* dicuntur *ad Tribunal vocati*, & ſic *exauctorati*, non tamen eodem modo refutetur, quo hoc alterum? Nempe quia illud nulla ratione potuit, hoc potuit. Recte enim a Te Vir A. refutatum eſſe hoc ex Spartiano exemplum, oſtenſumque non accidiſſe id in Caſtris Prætoriis, ut ego nuper cenſebam, agnoſco palam. Quo ipſo vides, non eſſe me tuæ indolis, ut contra manifeſtam veritatem argutari, aut cavillari velim. Nulla tamen vel ſic cauſa erat juſta ſatis, ejuſmodi vana & glorioſa epiphonemata huic victoriæ, quæ non in ſumma Rei, aut in Re ipſa, ſed in uno Scriptoris Loco conſiſtit, ſubjungendi. Nam primum Res ipſa, quod in Caſtris

ſtris Prætoriis revera jus fuerit dictum, manet ex aliis Exemplis, & Locis, & Rationibus certiſſima, ut proinde incaſſum heic *Veri* ſatis copioſe probati *inopia* mihi objiciatur. Deinde vero Spartiani locus ſeorſim, ut fuerat, conſideratus, videri ſane potuiſſet etiam aliis, meæ ſententiæ favere, ſiquidem iſtic a Sept. Severo Romam appropinquante dicuntur *Prætoriani ad Tribunal vocati*, & *exauctorati*, & *dein* ipſe *ingreſſus eſſe Romam*. Manifeſtum enim vocatos ad Tribunal, ut judicarentur, & quidem extra Vrbem, ac paulo antequam eam ingrederetur Imperator: Ergo in Caſtris. Sed & quum ageretur de Prætorianis, & hi haberent ſua Caſtra, extra, ſed prope Vrbem, neque ulla alia deſignarentur a Spartiano Caſtra, quid quæſo erat propius, aut probabilioris conjecturæ, quam ut res illa in Caſtris Prætorianorum facta crederetur? Neque refutat V. A. hanc interpretationem ex ipſo Spartiano, ſed ex Herodiano, quem Ego hac parte non adhibue-

hibueram, aut inſpexeram. Et vel ſic nihil prorſus ex hoc loco aliter expoſito juvatur Viri A. ſententia, quippe quum exemplum præbeat juris inter Milites, non utique in Vrbe, nedum in Auditorio Palatino, ſed in Caſtris dicti, non quidem Prætoriis, verum Illyricis. Te vero, mi Lector, rogo jam judices, quo jure tanta heic ἀκρισία mihi exprobretur, exemplum hoc præter alia adferenti. Etenim vel contuli Herodianum cum Spartiano, vel non. Si illud, & tamen diſſimulavi, tradi ab Herodiano, aliter vel in aliis Caſtris rem factam, improbitas hæc eſt & mala fides, nulla ἀκρισία. Si non contuli, & Spartiani tantum verba conſideravi, qui Prætorianos memorat judicatos ab Imperatore in Caſtris, non addito, quibus: & continuo huic rei ſubjungit, *Dein ingreſſus eſt Romam*, quaſi ſignificare vellet, hoc judicium exercitum eſſe non longe ab Vrbe, ſed ad Vrbem; quæ iterum rogo, cauſa *requirendi judicium ſanæ conſecutionis*, ac *Dialecticam vim judicii*

dicii in eo, quod illud de Prætorianorum Caſtris ad Vrbem poſitis interpretatus ſum? Eſſet tamen aliquid, ſi ex uno hoc loco voluiſſem probare rem ceteroquin incertam, nec aliis documentis aut exemplis ſubnixam. At vero quum longe ſecus ſe res habeat, quumq; hunc locum aliis, quibus rem controverſam jam probaveram, & quibus pleriſque nihil V. A. reſpondet, ſubjecerim, quæ, quæſo, in eo eſt ἀκρισία? Si qua hic mea culpa eſt, in eo conſiſtit, quod non contuli omnes iſtius ætatis Scriptores cum loco Spartiani. In qua ipſa tamen mihi exprobanda ne ſuperbe adeo ſe efferat, age, & nos viciſſim excutiamus, qua ille vel diligentia, vel peritia, vel judicio, ſua ſcribere ſoleat. Sed quia infinitum foret, talia ſeu tam levia velle conquirere, uno nunc (nam ſeq. Capite oſtendemus alia, ultro ſe iſtic oſterentia) erimus contenti, quod jam iterum, ſeu in utraque ejus *Digreſſionum Iuſtinianæarum* Editione comparet. Probaturus lib. II. c. 24. rem veriſſi-

veriſſimam, *Nobilitatem* ſcil. *per adoptionem quoque propagari*, exemplum adfert ex Tacito, ſed cui, quia in eo quid *captaturi* videbantur Lectores, ſubjicit hæc verba, *Exemplum in Cicerone INDVBITATVM, qui* Piſonum familiæ ſe nobilitandi cauſſa ſociavit per adoptionem, *ut ſcribit Trebell. Pollio in Tyran. c.* 20. Mirabar, quum hæc primum legerem, quæ eſſet illa adoptio, per quam Cicero eſſet nobilitatus. Nihil enim ejus memineram, & præterea obſtare ei videbatur manifeſtum in modum, quod Cicero ad extremum uſque vitæ tempus dictus fuerat *M. Tullius Cicero*, non *Calpurnius Piſo*, ut fieri debuerat, ſi adoptatus a Piſone fuiſſet, & ex ea adoptione nobilitatem ſibi comparaſſet. Proximum ergo erat, ut decurrerem ad ipſum Treb. Pollionem, ejuſque verba curatius conſiderarem. Heic vero non mirabar jam, ſed ſtupebam, quum viderem iſthæc vocabula *per adoptionem*, quæ a Viro A. tanquam ipſius Pollionis verba exhibentur, eoque charactere,

quo

quo & reliqua illius verba, & quo edi ſolent, quæ ex aliis Scriptoribus citantur, nulla apud illum comparere. Sic enim Trebellius; *Qui ex illa Piſonum familia ducere originem duceretur, cui ſe nobilitandi cauſa Cicero ſociaverat.* Vides, Lector, abeſſe illa *per adoptionem*, quibus tamen unice nititur *Indubitatum* illud Viri A. ſeu argumentum, ſeu exemplum. Accedit, quod cum illa abſint a Trebellio, debeat ergo is neceſſario ex Hiſtoria, ut ſit ab interpretibus, exponi de affinitate a Cicerone inita cum familia Piſonum, dum ipſe, Novus plane homo, filiam unicam dedit in matrimonium Calp. Piſoni, juveni nobiliſſimæ familiæ, ceteroquin ejus fortunæ, ut nihil in eo, niſi nobilitatem antiquam, moreſque, ſpectare potuerit. Ita vero corruit prorſus integrum illud Viri A. *indubitatum exemplum*, utpote alieniſſimum non modo a Trebellii verbis, ſed & eorum ſenſu, tum a Ciceronis Hiſtoria, denique a natura adoptionis. Iudica jam, Lector, annon

annon Vir A. heic coecus coecum ſecure prorſus fuerit ſecutus, & *Indubitatum* illud *exemplum* temere ex alio exſcripſerit, non explorata ejus exempli Hiſtoria, non inſpecto loco, ex quo dicebatur petitum; & proinde, an poſſit heic effugere culpam, non dicam, ut ille, ἀκρισίας, ſed incredibilis oſcitantiæ, & Hiſtoriarum, quibus utitur, imperitiæ, is qui adverſus me levis adeo culpæ tam glorioſum agit oſtentatorem.

CAP XIX.

Quod Vir Cl. negat, in Palatio ſub primis Cæſaribus fuiſſe locum juri dicundo deſtinatum, erroris convincitur.

P*ropius ad rem pertinet, quod Vir Cl. audacter negat, fuiſſe ſub primis* Imperatoribus certum aliquem ac peculiarem locum in Palatio, judiciis ibi exercendis, imo etiam cognoſcendis publice cauſis proprie & conſtanter deſtinatum pag. 181. *Nam ſi talis ad cauſas Reorum provincialium au-*

audiendas nullus fuerit locus, difficile eſt, Paulum ita exaudire, cum ſe in Prætorio *innocentiam declaraſſe prædicat ſuam, id ut in Palatio factum fuerit. Si vero talis locus demonſtrari poteſt, ſane quam proxime ad indubitatam Paulini loci interpretationem admoti videbimur, nihilque ſupererit, quam uti, qua ratione Paulus dixerit Prætorium, quod hac appellatione vulgo ita non celebratur, exponamus. Fuiſſe talem locum in Aula Principis, probaveram ex Vlpiano, qui tempore Severorum floruit, qui in* lib. XI. ad Edictum *ita ſcriptum reliquit*, Sin autem Princeps ſententiam dixit, perraro ſolet permittere reſtitutionem, & induci in AVDITORIVM SVVM eum, qui per imbecillitatem ætatis captum ſe dicat, dum ea quæ pro cauſa dicta ſunt, non allegat, vel ab Advocatis proditum queratur. Denique Glabrionem Acilium Divus Severus & Imperator Antoninus non audiverunt, incolorate reſtitui deſiderantem adverſus fratrem, poſt

ſpe-

ſpeciem *in Auditorio* eorum finitam l. 18. §. 1. d. minor. *Idem in* §. 2. *repetitur. Huic loco ſubjeceram ex Cymmacho probationem, quod provocationes cauſarum provincialium in* Auditorio ſacro, *id eſt, Principis, actæ fuerint; Ad hæc Vir Clariſſimus auctor novus, qui reverentiam mei, qua ſit indutus, mihi imputat, jubet me diſcere ex Jac.* Gotofredo, *ne ſemper ex uno Briſſonii Lexico ſapiam, Auditorium ſacrum vocari, quod eſt Præfecti Prætorio; maligne reticens, me ipſum jam tum addidiſſe e Codice Theodoſiano, Auditorium Præfecti Prætorio, dictum etiam fuiſſe,* Auditorium ſacrum Amplitudinis Præfectorianæ, *poſtquam ex eodem probaveram, Principis Auditorium imprimis* ſacrum *vocari. Si putarem ad meum dedecus pertinere inflatiſſimam juvenis inſolentiam, non deeſſet, quo rhapſodiam ejus, cui fere tot menſes, quot ego dies huic ſcripto, impendit, exagitarem: Sed fruatur ætatis ſuæ privilegio. Habuiſſe Principes Auditorium*

torium ad cauſas cognoſcendas in Palatio ſuo, non ideo probavi ex Symmacho, ut inde ad Pauli tempus argumentarer: ſed ut ultima cum primis convenire probarem. Regrediamur igitur ad priorum temporum memoriam & videamus, num quid ætate Symmachi mutationis, quod hac parte ſub Nerone nullo modo obtinuerit, invectum fuiſſe videatur. Juris Civilis non magis quam ſenſus communis eſt regula, Quod non eſt mutatum, cur ſtare prohibetur? *Fuit Auditorium Principis in Palatio Romano: probetur, quando primum cœperit, quando fuiſſe negetur. Hoc ubi non fit, ſtandum eſt axiomate, quod Mutatio non præſumatur. Tempore Maximini & Gordiani fuiſſe, Auditorium juris dicundi cauſa comparatum,* ὄικισκον τοῦ δικαστηρίου, *in Palatio, narrat ipſe ex Herod. novus Interpres* pag. 221. *Non fuit igitur ædificatum ordinatumve inter ætatem Maximini & Honorii ſatis ex ipſius verbis conſtat. Idem fuit tempore Alexandri Severi,*

 ut

ut teſtatur Paulus Adſeſſor Papiniani, qui fuit Præfectus Prætorio Alexandri iſtius in l. Lecta 40. ff. de reb. Cred. Lecta eſt in Auditorio Æmilii Papiniani Præfecti Prætorii cautio hujuſmodi. *Ante illum, de Severo & Antonino & illorum Auditorio intelleximus ex* l. 18. ff. de Minor. *Hos autem Principes eodem prope cum Nerone ſeculo floruiſſe conſtat. Altius ad Antoninum Pium, ſexaginta circiter annis Nerone juniorem, adſcendamus. Cognitionis ab illo habitæ in Palatio exemplum reliquit amicus ejus Ulpius Marcellus* in l. 3. D. de His quæ in Teſtam. del. ind. *digna memoratu*: Sententia Imperatoris Antonini Auguſti, Pudente & Pollione Conſulibus; Cum *Valerius Nepos* mutata voluntate & inciderit teſtamentum ſuum & heredum nomina induxerit: hereditas ejus ſecundum Divi Patris mei conſtitutionem, ad eos, qui ſcripti fuerunt, pertinere non videtur, Et Advocatus Fiſci dixit, *vos habetis judices veſtros. Vivius ZENO dixit*;

Rogo

Rogo, Domine Imperator, audias me patienter: *de legatis quid ſtatues? Antoninus CAESAR dixit;* Videtur tibi voluiſſe teſtamentum valere, qui nomina heredum induxit? *Cornelius PRISCVS Advocatus Leonis dixit.* Nomina heredum tantum induxit. *Cornelius LONGINVS Advocatus Fiſci dixit:* Non poteſt ullum teſtamentum valere, quod heredem non habet. *Priſcianus dixit*, Manumiſit quoſdam & legata dedit. *Antoninus CAESAR, REMOTIS OMNIBVS, CVM DELIBERASSET ET ADMITTI RVRSVS EOSDEM JVSSISSET, dixit*, Cauſa præſens admittere videtur humaniorem interpretationem &c. *Hanc cognitionem Cæſaris Antonini, dum partes in diverſas diætas ſecedere atque rurſus admitti videmus, alibi quam in Palatio habitam fuiſſe, neminem ſcio exiſtimaturum; niſi Vir Cl. in foro Tentorium veteris aut novitii moris diſtinctum variis diætis velit eſſe expanſum. Non eſſet hæc abſurdior con-*

jectura multis aliis ejus adſertionibus. Sed tu Lector cum hoc Antonini Cæſaris more confer ea, quæ Suetonius de Nerone cap 15. *ſcribit*: In Juriſdictione poſtulantibus, niſi ſequenti die & per libellos, non temere reſpondit. In cognoſcendo eum morem tenuit, ut continuis actionibus omiſſis, ſigillatim quæque per vices ageret. Quoties autem AD CONSVLTANDVM SECEDERET, neque in commune quicquam neque propalam deliberabat; Sed conſcriptas ab unoquoque ſententias tacitus ac ſecreto legens, quid ipſi libuiſſet, perinde atque pluribus idem videretur, pronuntiabat. *Antoninus partes ſecedere jubebat. Nero ipſe ſecedebat. Vterque mos Domum, non Forum, Vrbanam, non Caſtrenſem cognitionem; uterque mos habitaculum Cæſaris, quod eſt* Prætorium, *evidentiſſime demonſtrat: Etſi cur vulgo* Prætorium *non appelletur, ultima nos manet conſideratio. De Marci Imp. Auditorio vide* l. 22. in pr. D. Ad Sc. Trebell.

R E.

RESPONSIO
Ad Cap. XIX.

Diximus jam in ſuperioribus, non admodum ad noſtram pertinere controverſiam, certe nihil juvari eo Viri A. ſententiam, ſive Cæſares totius primi ſeculi habuerint in Palatio Auditoria, judiciis ibi exercendis perpetim deſtinata, ſive non habuerint: ſiquidem noſtra proprie diſceptatio in eo conſiſtit, utrum *Prætorium* Vrbanum denotarit Prætorias Cohortes, an vero tale Auditorium: id quod omnino cenſet V. A. ut ex ejus definitione *Prætorii* liquet. Atque idcirco, ſi maxime probare potuiſſet, quod tamen neutiquam potuit, neque ulla antiqui Scriptoris auctoritate, neque ullo rei iſtic geſtæ aut judicatæ exemplo, talia extitiſſe Principibus iſtis Auditoria, nihildum eviciſſet. Nec enim inde ſequeretur ulla rationis ſpecie, ea etiam *Prætorii* voce deſignata, quum utique iſta vox non modo nuſquam illo ſenſu oc-

digna relatu rejiciat. Repetit ergo Loca jam ante ex Pandectis allata, in quibus *ſpecies* quædam dicitur in *Auditorio Principum*, Severi ſcil. & Antonini, qui tertio demum ſeculo vixerunt, *finita: Cautio in Auditorio Præfecti præt.* iſtius quoque temporis *lecta:* &c. Reſpondi Ego in Diſſ. II. §. 26. Locutiones iſtas, ſi maxime iis publicum ac ſtatum in Aula juris dicundi Auditorium deſignaretur, nihil tamen ad noſtram hanc attinere quæſtionem, quoniam ſint ex tertii jam ſeculi Scriptoribus ſumptæ, & res illo ſeculo geſtas commemorent. Accidere enim in omnibus Civitatibus maximam ejusmodi rerum mutationem intra unius ſeculi ſpatium. Et revera longe aliam fuiſſe faciem & conſuetudinem rerum Romanarum ſub primi, aliam ſub tertii ſeculi Principibus. Illos reliquiſſe Civibus ſuis ſpeciem quandam Libertatis, Popularitatem aliquam præ ſe tuliſſe, adhibuiſſe πολιτικὰ σοφίσματα quam plurima, ut ſuam naſcentem adhuc, vel ſaltem recen-

tem, firmarent dominationem: Hos e contrario nullam omnino Senatus, nullam populi rationem habuiſſe, deſpoticum plane obtinuiſſe imperium, quippe jam iterum a Septimio Sev. armis occupatum, & militariter in ipſa Vrbe exercitum. Quæ & ratio; quod ab ejus tempore & deinceps SCta non amplius videantur Legis vim obtinuiſſe, certe nulla amplius de Privato jure facta reperiantur, ut obſervatum & monitum ab Eruditis; quum e contrario Imperatorum Conſtitutiones magis magiſque tunc invaleſcerent, quaſi jam ſolæ vim illam Legum obtinerent: qua porro ex re ortum haud dubie, quod, quum nullæ earum nobis ex primo Principum ſeculo in jure Civili exhibeantur, frequentiſſimæ ex ſeqq. occurrant. Quis præjudiis non occupatus vel ex uno hoc exemplo non agnoſcat, magnam profecto rerum mutationem neceſſario fuiſſe illatam in res Romanas tempore Severi, nullamque idcirco conſequentiam poſſe aut debere duci a poſte-

ſterioribus ſeculis ad primum, niſi ex hoc quoque res, de qua agitur, probari queat?

Quid vero ad hæc V. A? Nihil ſane, niſi quod lepida & faceta plane ratione eandem canat cantilenam. *Fuiſſe* ait ſub illis Principibus Auditorium ejuſmodi in Palatio. Ergo fuit etiam in Aula Neronis. Si quis neget hanc conſequentiam, regerit continuo: *Probetur* itaque *quando primum cœperit*, *aut quando fuiſſe negetur*, diſertis ſcil. Auctorum verbis; plane ſicut antea voluit oſtendi a me Scriptorem, qui diſerte item dicat, *Prætorium eſſe prætorias cohortes*. Pergit: *Hoc ubi non fit*, *ſtandum axiomate*, *quod mutatio non præſumatur*, nimirum ab exiſtentia rei poſterioribus ſeculis ad non exiſtentiam primo ſeculo. Videlicet hæc eſt illa Viri Syſtematici Dialectica: Hæ illæ ratiocinandi artes, quas tantopere jactat, & a quibus, ut & omni Syſtematica, inclementer adeo excludit Philologos, tanquam fungos, & ſtipites, & caudices. Nec mirum, quip-

pe qui nullam prorſus veræ conſequentiæ ſpeciem in ea ratione deprehendere queant. Sciunt enim, multa ſane hoc pacto ex ultimis temporibus retrahi poſſe ad initia Reip. quæ tamen nemo tunc jam exſtitiſſe credat. Exemplo ſit, quoniam agimus de Principibus, quod poſteriores inter reliqua ſuæ Majeſtatis inſignia habuerunt etiam Ignem, qui ipſis præferebatur, immo & Purpuram, unde eorum filii, ipſis jam Principibus nati, *Porphyrogeniti* dicebantur. Vir A. ex ſua jam Dialectica concludet, habuiſſe ergo ea etiam Auguſtum & Neronem. Si in dubium id vocet Philologus quiſpiam, ut facient omnes, injunget illi neceſſitatem proferendi diſerta loca, quæ vel doceant, quando aut quis Princeps iis primum cœperit inſigniri, vel clariſſime negent, iſtos quoque Principes ea habuiſſe, quod utrumque fieri nequit, nec unquam antea poſtulatum a quoquam fuit. Sufficere enim creditum, quod eorum inſignium nulla omnino mentio in Vitis & Hiſtoriis primorum Cæſarum

ſarum apud tot numero Scriptores exſtet. At vero quanta ſeges rerum Huberiano hoc argumento conficiendarum naſcetur Romanenſibus Eccleſiaſtica in Hiſtoria adverſus miſeros Proteſtantes, qui pleraque, quæ ex poſterioribus ſeculis obtrudunt illi, negant à primitiva Eccleſia fuiſſe vel recepta vel tradita, eo quod nemo illius Eccleſiæ eorum meminerit, etiam ubi maxime oportuna erat occaſio. Nec enim ſemper poſſunt docere, quando aut quo proprie decreto quæque res ſit conſtituta, vel a quo orta, nec adferre loca, quæ rem tunc temporis uſitatam aut factam fuiſſe, diſerte negent. Notiſſima eſt quæſtio de Petri Epiſcopatu Romano, quem aſſerunt Romanenſes, & ſecundum Huberianam ratiocinationem, quam rectiſſime. Nempe, creditum jam a Patribus ſeculi quarti, & deinceps, Petrum fuiſſe Vrbis Romæ Epiſcopum per multos ſane annos: ergo idem creditum eſt etiam ſeculo primo, & proinde verum. Negabunt id quidem Proteſtantes plerique

que. Sed reponent illi, *probetur* ergo, *quando aut a quo id fuerit confictum, aut quibus locis fuiſſe eum Rom. Vrbis Epiſcopum negetur. Hoc ubi fieri nequit, ſtandum axiomate, quod mutatio traditionis non præſumatur.* Vides, mi Lector, quorſum hæc ratiocinatio evadat. Sed nihil mirum, Viri A. Dialecticam favere Romanenſibus, ſiquidem eodem, quo illi, nititur fundamento, h. e. inveterata jam opinionum poſſeſſione, ut ſupra ad Cap. VIII. docuimus.

Alterum, quod reſpondi, fuit, non deſignari omnino voce *Auditorii*, immo nec iis locutionibus, quæ ex Pandectis adferuntur, conclave aliquod vel ædificium juri publice dicundo dicatum, quamvis tamen illud forſan exſtitiſſe poſt tempora Severi, largiri quidem velim. Verum quum omnes iſtæ JCtorum locutiones de cœtu hominum in Judiciis, etiam in Foro & ſub dio exercitis, accipi poſſint, nullam nobis eſſe rationem, ut iſtiusmodi Auditoria ſtata & ordinaria inducamus

camus in primum ſeculum, quo ea exſtitiſſe nullo exemplo rei iſtic geſtæ, nullove prorſus documento aut auctoritate doceri poteſt, immo in quo ea non exſtitiſſe multæ rationes, in quantum negans ſententia poteſt probari, declarant. Ita autem vere accipi eas locutiones poſſe, & acceptas à veteribus, variis exemplis & locis demonſtravimus, in quibus manifeſte de judiciis in Foro & ubique locorum exercitis, immo & de Arbitriis, uſurpantur. Veluti, quando *Arbitrorum Auditorium recipi* dicitur, h. e. eorum judicium, ubicunque tandem illi audiant litigantes: Aut quando corona populi in Foro vocatur *Auditorium publicum*, *Auditorium plenum & ſemper Novum, ex invidis & faventibus* conſtans, immo *Auditorium alicujus Oratoris*, qui ad ſe in publico judicio audiendum Auditores corrogaverat. Sed nihil magis huc pertinet, quam quod Aſconius in Divin. Ciceronis *Alienum*, quo vocabulo utitur iſtic Cicero, exponens, quum dixiſſet, a qui-

a quibuſdam id haberi nomen proprium, addit, *Alii* Alienum *non nomen proprium putant eſſe, ſed alienum & alterius judicii, & non ex AUDITORIO PRÆTORIS, majorumque cauſarum, ſed a ſubſelliis, h. e. non a Tribunalibus; ſunt enim ſubſellia Tribunorum, III. Virorum, & hujuſcemodi minora judicia exercentium, qui non in ſellis Curulibus, nec Tribunalibus, ſed in ſubſelliis conſidebant.* Quid clarius & certius dari poteſt ad meam iſtius locutionis interpretationem probandam? Certiſſimum utique Prætorem pro *Tribunali* & minores Magiſtratus ex ſubſelliis judicia publice exercuiſſe in *Foro.* Et tamen illud judicium heic *Auditorium Prætoris* vocatur. Quid igitur? Nonne inſulſum plane eſt & ineptum, ex iſthoc *Auditorii* vocabulo, vel tali Locutione, omnino probatum velle, Cæſares primi ſeculi habuiſſe in Palatio conclave, vel Aedificium cauſis publice diſceptandis perpetim & unice dicatum: quamvis ejus nec vola

nec

nec veſtigium in illorum vitis, non magis, quam in libera Rep. usquam occurrat: & e contrario demonſtratum a me ſit, aliis eos in locis jus dixiſſe, immo etiam ægrotos *lectica* tamen in *Tribunal* & Forum delatos, nec niſi *cubantes*, *Domi* ſuæ cognoviſſe cauſas. Adde his quod, quando pro Loco parietibus concluſo *Auditorii* vocabulum manifeſte ponitur, ſemper tum notet illo certe tempore Scholas & Loca, in quibus exercitii gratia declamationes vel poemata recitabantur, immo diſerte *Foro* & *Veris Litibus* opponatur. Ad hæc omnia ſilet Vir A. Tantum repetit ICtorum verba, ubi *Auditorium* Principibus ſeqq. ſeculorum tribuitur.

Sed aſcendit ad Antoninum Pium; atque exemplum diſceptationis coram iſto habitæ adfert; in qua Cæſar cum *remotis omnibus deliberaſset & admitti rurſus eoſdem juſſiſſet*, ſententiam tulerit. Inde vero concludit, *non alibi, quam in Palatio* hanc cognitionem habitam. At quo argumento? Nullo

Nullo niſi auctoritatis Huberianæ. Quidni enim & in Villa, in Foro, aut aliis in locis id potuiſſet accidiſſe, ſicuti Imp. Marcus, *quinque diebus in villa reſidens cognitionibus continuis operam dedit*, teſte Capitol. in Vero cap. 8. Et Severus *in ſuburbanis aut maritimis Campaniæ locis* maximam partem egit, *jus ibi dicens*, δικάζων, *& publica adminiſtrans* apud Herodian. III. 13. Immo Hadrianus *modo in Palatio, modo in Foro, modo ad Pantheon, modo alibi jus dixiſſe* legitur apud Xiphil. Sed ſimus liberales, & per nos acciderit id ſane in Palatio, quamvis incertiſſimum ſit. Quid vel ſic tamen illud ad noſtram controverſiam? Nec enim quæritur, utrum etiam in Palatio ab Impp. cauſa aliquando cognita fuerit, quod utique ipſe ego allatis exemplis probavi Diſſ. II. §. 29. Sed an in Palatio fuerit cauſis publice cognoſcendis proprium Auditorium. Id probandum fuerat Viro A. ſicuti ego probavi in promiſcua & quacunque Palatii parte,

veluti

veluti *Cubiculo*, immo & in *Villis*; cauſas a Cæſaribus, ſed extra ordinem & privatim, fuiſſe aliquando cognitas. Nihil ergo prorſus ex illo loco juvari poteſt Viri A. ſententia, quippe in quo, non dicam Auditorium tale, ſed ne quidem Palatium, ullo modo deſignatur.

Deterioris adhuc notæ eſt, quod ex Suetonii Nerone citat. Scilicet apparet ex eo unum hoc, quod is, qui judicium cogebat, ſoleret *ad conſultandum ſecedere*, & cum reliquis judicibus *in commune ac propalam deliberare*, antequam ſententiam pronunciaret. Ergo, *uterque mos*, ait Vir A. & *quod Antoninus partes ſecedere juſſerit*, & *quod Nero ipſe ſeceſſerit, non Forum, ſed Domum, ſeu Habitaculum Cæſaris, quod ſit Prætorium, Evidentiſſime demonſtrat.* Sed quid? ſi *Evidentiſſima* illa *Demonſtratio* facillime & clariſſime refutari & explodi queat? Etenim certum eſt, & ex Locutionibus quamplurimis conſtat, in omnibus pene judiciis id eſſe factum, ut is, qui ju-

 dicio

dicio præerat, colloqueretur prius ac deliberaret ſeorſim cum reliquis Judicibus, ſeu Aſſeſſoribus, qui proinde *Conſilium ejus* appellantur, atque ita demum *de Conſilii ſententia* litigantibus reſponderet. Cic. in Bruto, *Cum Conſules de Conſilii ſententia, Amplius, pronunciaſſent.* Atque hinc, cauſa perorata, antequam ſententia ferretur, dicebantur proprie, & is, qui judicium cogebat, & reliqui judices, *Conſurgere in conſilium, Ire in Conſilium, Mitti in conſilium*, h. e. Secedere pauliſper ad Conſultandum & colloquendum inter ſe. Aſcon. in Procem. Verr. *Ab utraque parte oratione conſumpta, ut in Conſilium Dimitterentur Judices, Præco ſolet pronunciare, DIXERVNT*, ſcil. Oratores. Cic. pro Quinctio ad C. Aquilium Iudicem, *Quoniam tibi inſtat Hortenſius, ut Eas in Conſilium.* pro Cluentio, *Cum in Conſilium Iri oporteret, quæſivit ab eo Quæſitor, clam an palam de ſe ſententiam ferri vellet: Reſponſum eſt, clam velle ferri; Itum eſt*

eſt in conſilium: omnibus ſententiis damnatus eſt. Alibi in ead. oratione, *CONSurgitur in Conſilium*. Iterum, *Cum in Conſilium Mittebant, Stalenum judicem non requirebant*. In hiſce locutionibus τό *in Conſilium* notare *ad Conſultandum*, & deliberandum prius, quam ſententia pronunciaretur, non putem a quoquam in dubium vocatum iri, qui Latinam intelligat Linguam. Sed & clariſſime id liquet ex Gellio XIV. 2. Iudex is privatæ liti datus erat a Prætore, ſedebatque cum *Amicis exercitatis & celebribus in operis Fori*, quos pro more *rogaverat in Conſilium*, h. e. ut eorum conſilio uteretur in ſententia ferenda, ut cum iis deliberaret, antequam ſententiam pronunciaret. Eam enim *deliberationem* revera habitam declarat ipſe Gellius, dum addit, cauſa utrimque perorata, Conſiliarios illos *dixiſſe* ſibi, *nihil eſſe dubium, quin abſolvendus foret, quem accepiſſe pecuniam, nulla probatione ſolenni docebatur*. Hunc ergo in modum, quem iſtic expoſitum videmus, Iudi-

ces ſententiam dicturi cum ſuo *Conſilio* prius colloquebantur, & conſultabant inter ſe *in commune & propalam*, verum ut a litigantibus vel circumſtantibus neutiquam audirentur, ſive ipſi ſecederent pauliſper in poſteriorem Tribunalis partem, ſive illos removerent. Ita certe Feſtus Præſes Judææ, quum καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος *ſedens pro Tribunali*, ergo in publico plane loco, Paulum juſſiſſet adduci, & is Cæſarem appellaſſet, dicitur τότε συλλαλήσας μετὰ τοῦ συμβουλίου ἀποκριθῆναι, *tunc, poſtquam collocutus fuerat cum Conſilio, reſpondiſſe, Ad Cæſarem provocaſti. Ad Cæſarem proficiſceris.* Actor. XXV. 12: Similiter Philippus Macedonum Rex judex inter filios ſedens, qui alter alterum graviſſime accuſabant, dicitur primum *ſeniores duos amicos arceſſiviſſe, quos in Conſilio haberet*, Liv. XL. 8. Deinde auditis filiis, & *Summotis pauliſper, Collocutus cum Amicis, pronuntiaviſſe* &c. cap. 16. Denique Hadrianus, quem paulo ante modo in Palatio,

modo in Foro, modo alibi, jus dixiſſe oſtendimus, dicitur a Spartiano cap. 8. non permiſiſſe, ut *Equites vel ſine ſe, vel ſecum, judicarent de Senatoribus*, addito, *Erat enim tunc* (reſpiciendo ad id, quod dixerat de Equitibus cum Cæſare judicantibus) *mos, ut quum Princeps cauſas cognoſceret, & Senatores & Equites IN CONSILIVM vocaret, & ſententiam ex omnium DELIBERATIONE proferret.* Clariſſimum utique ex his, *Deliberationem* ſeu *Conſultationem* cum judicibus ante ſententiæ lationem ab eo, qui judicium exercebat, fieri ſolitam, idque omnino denotari phraſibus iſtis *Conſurgere, Ire, Mitti, Rogari, Vocari IN CONSILIVM.* At vero, quum hæ phraſes maximam partem ex temporibus liberæ Reip. ſint repetitæ, in quibus certum eſt judicia in propatulo, vel ſub dio, & maxime in Foro exercita; & in quibus neque ipſe Vir A. ejuſmodi judicialia ſtatuit Auditoria, oportet ergo, etiam tunc in judiciis, in publico, vel in Foro,

ejuſmodi *ſeceſſionem ad Conſultandum*, ſeu, quod idem eſt, *Conſurrectionem & Itionem in Conſilium factam*, atque adeo *Evidentiſſimam* illam *non Fori*, *ſed Domus demonſtrationem* ex *Seceſſione* iſta petitam, eſſe caſſa nuce vaniorem & falſiorem. Quod ut adhuc clarius pateat, duo inſuper adferam loca, in quibus iſtiuſmodi tum *Dimiſſio* judicum & circumſtantium, tum *ſeceſſio ad Conſultandnm*, non in *Domo*, ſed in publico facta, manifeſte traditur. Prior eſt in Sueton. Aug. cap. 93. ubi Imp. Athenis initiatus, cum poſtea Romæ *PRO TRIBVNALI de privilegio ſacerdotum Atticæ Cereris cognoſceret & quædam ſecretiora proponerentur*, dicitur *Dimiſſo Conſilio & corona circumſtantium ſolus audiiſſe diſceptantes*. Notandum heic, factum id *pro Tribunali*, quod erat in publico, & proinde *Domo* ab ipſo Suet. cap. 33. opponitur: Factam itaque iſtam *Conſilii Dimiſſionem*, immo & *circumſtantium*, non in *Domo*, ſed in publico & haud dubie in Fo-

Foro. Alter eſt Livii XXXVIII. 60. ubi L. Scipio accuſatus & damnatus a Prætore, quum ſolvere non poſſet, dicitur in vincula duci cœptus, *appellaſſe Tribunos* in Foro inter judicia verſari ſolitos, ut poſſent auxilio eſſe ſeſe appellantibus. Illi vero *Tribuni, quum IN CONSILIVM SECESSISSENT, paulo poſt C. Fannius ex ſua collegarumque ſententia pronunciavit.* Notari & ex hoc loco velim, primo, quod τὸ *in Conſilium* nihil aliud iſtic ſignificare poſſit, quam *Ad Conſultandum.* Deinde quod illa *Seceſſio in Conſilium*, vel ad *Conſultandum* facta omnino fuerit non *in Domo*, ſed in Publico, ubi judicium illud ex Lege Petillia & SCto a Prætore fuit exercitum, ubi publice accuſatus & damnatus, immo *in Vincula*, h. e. carcerem, qui juxta Forum erat, duci cœptus Scipio, ubi appellati Tribuni, ubi oratio ad populum pro Scipione habita, ubi interceſſio Ti. Gracchi *magno aſſenſu audita.* Denique falſiſſimum itaque eſſe, quod Vir A.

tam audacter more ſuo aſſeverat, iſtam *Seceſſionis* Locutionem *Evidentiſſime Demonſtrare Domum, non Forum.*

Sed ſæpe eum in hiſce fallit ſua Dialectica, minus forſan id factura, ſi paulo ſtudioſius Antiquitatibus Romanis attendiſſet, in quibus tamen ipſis imperium obtinere vult. Nam, per Deum immortalem, quo ille jure, qua ſpecie, tanta in me acerbitate, quem ultro aggreſſus eſt, ubique invehitur? Quo, quæſo Te, mi Lector, jure, hoc ipſo in Capite, *inflatiſſimam inſolentiam* mihi exprobrat? Nimirum quia, quum mea me in Arte & Diſciplina, inque argumento, quo, vere teſtor, nulla eum cogitatione, nedum verbo, læſeram, publice & ſolito ſibi more invaſiſſet, quia inquam auſus fui palam oſtendere, Symmachi locum, quem contra me attulerat, primo & ipſum ex Briſſonii Lexico, ut omnia, ſumptum, deinde perperam prorſus adhibitum, docente id Jac. Gothofredo ad Cod. Theodos. Scilicet ne hiſcere quidem debueram adverſus

Viri

Viri A. Dictaturam, licet odioſe adeo & imperioſe meis in partibus exercitam.

Quod *Rhapſodiam* quoque in me increpat, facile fero, qui complura alia ferre debeo. Sed tamen arbitror, rectius multo vel ſaltem ſpecioſius id eum fuiſſe facturum, ſi tam aliena a noſtra diſceptatione & Ego diſſeruiſſem, quam quæ ille Cap. ſeq. de Provocationibus, nihil prorſus ad noſtram controverſiam attinentia: vel ſi alienis me plumis exornaviſſem, ſicuti Virum A. ſua omnia in hanc diſputationem ex Briſſonii Lexico hauſiſſe docui.

Aſt ille *vix tot dies huic libro impendit, quot Ego menſes meæ Diſſertationi.* Ego vero primo falſiſſimum id eſſe ajo, niſi uno hunc librum die effuderit: ſed & deinde minime profecto decoram arbitror Viro Gravi ejuſmodi inanem gloriationem. Nec enim inter Eruditos & Sapientes quæritur, *quam Cito*, ſed *quam Bene.* Notum eſt illud Auguſti, σπεῦδε βραδέως. Notum eſt & illud vulgare, *Canis feſtinans* &c. Nolim equidem Vi-

ro A. reponere, quod Euripides Alceſtidi ſimilia jactanti ingeſſit apud Valer. Max. III. 7. Sed tamen id non poſſum, quin dicam, Virum A. manifeſta ſatis feſtinatæ forſan, certe inconſultæ, ſcriptionis documenta cum alibi paſſim, tum hoc ipſo in Capite dediſſe. Nam ut taceam, *Evidentiſſimam* illam *Demonſtrationem* paulo ante tam liquido refutatam, Errorem, quem in citando Symmacho commiſit, excuſare non potuit, quin alium adderet. Dicit enim, me juſſiſſe eum diſcere ex Gothofredo, *Auditorium Sacrum* apud Symmachum d. l. vocari non Auditorium Principis, ſed *Præfecti prætorio*, *maligne* autem *me reticuiſſe*, quod & ipſe monuiſſet, Auditorium quoque iſtius Præfecti *ſacrum* fuiſſe vocatum. Tu vero, mi Lector, recurre ſis ad Diſſ. II. §. 33. & miraberis nullam prorſus iſtic a me fieri mentionem *Præfecti prætorio*, quippe qui ab iſthoc loco plane alienus: atque adeo temere prorſus inſimulari meam *in reticendo malignitatem*. Oſtendi enim
Audi-

Auditorii Sacri Cognitorem apud Symmachum eſſe *Præfectum Vrbis*, non vero ipſum *Principem*, ut tunc errabat Vir A. ſicuti neque eſt *Præfectus prætorio*, ut nunc hallucinatur dupliciter, dum etiam me id tradidiſſe memorat. Sed oſcitantiæ hæc eſt culpa, & nimiæ in ſcribendo ſecuritatis: at quo nomine appellabo, imperitiæ, an oblivionis? quod Papinianum omnium pene JCtorum celeberrimum, magno errore *Præfectum prætorio Imp. Alexandri* fuiſſe ait, & ad *tempus Alex. Severi* refert hujus *Papiniani Auditorium*. Notiſſima utique eſt, etiam pene pueris, Hiſtoria iſtius JCti a Caracalla Antonino jam occiſi, eo quod paricidium ejus in Geta fratre commiſſum defendere noluiſſet. Iam vero inter Caracallam & Alexandrum duo Imperatores interjecti Macrinus & Elagabalus. Nempe ejuſdem, ut liquet, hoc eſt commatis, quo illud, quod Imp. Juſtinianum non ex ſorore, ſed ex fratre Imp. Juſtini natum fuiſſe, ſicuti ſæpius publice tradiderat, ita nuper etiam tuendum pu-

publice ſuſcepit, uſque dum clariſſimis Auctorum teſtimoniis convinceretur. Tanto autem gravius Hoc eſt, quanto magis Papiniani ætas & fatum inter omnes conſtat, & præterea utiliſſimum ac pene neceſſarium Juris interpretibus & eſt & exiſtimatur communiter, Veterum JCtorum, quos Tribonianus compilavit, ordinem & ætatem in promptu habere. Quæ etiam cauſa, quare illa ſingulorum ætas tâm diligenter a Viris Eruditis inveſtigata ſit, & paſſim inculcata. Sed debebat, videlicet, hæcce mihi ludibria, qui tam impotenter hoc & ſuperiori Capite fuerat in me invectus, ſuamque in ſcribendo celeritatem tam glorioſe oſtentaverat.

CAPUT XX.

Appellationes omnium Provinciarum, id eſt, Orbis terrarum ad Neronem, ſolitas eſſe fieri; nec eas in Foro & ſub dio potuiſſe omnes diſceptari, nec fuiſſe actas, ſed ut poſtea, ſic Neronis tempore, fuiſſe locum illis deſtinatum in Palatio.

Ius *igitur ipſe Nero dixit, etiam in Palatio; nec potuit non ibi,*

ob

ob infinitam cauſarum multitudinem, quibus operam in foro perpetuo dare non potuit, ipſe vel ullus Princeps. Nec dedit profecto; nec id uſquam ita legitur. Conſidera quæſo, ſolam appellationum ex omnibus Provinciis ſegetem immenſam, ubinam illæ unquam iu foro diſceptatæ leguntur? In ſacro auditorio tractatas fuiſſe probatur a me ex Romano Scriptore, ſerotino quidem, ſed qui potior eſt, quam Nullus duntaxat, ab altera parte productus. Fiebant autem appellationes iſtæ primis Neroneis temporibus, immediate ab omnibus Judicibus ex omnibus Provinciis ad Principem. Infinitæ, inquam, numero, quibus in foro diſcutiendis nulla ſufficere potuiſſet facultas, ſub dio, ut in foro judicia peragebantur. Factas autem fuiſſe cunctas provocationes ad Principem, antea diximus e Cujacio 21. Obſ. 33. *Nec opus eſt clariore exemplo, quam præ manibus eſt. Cum Feſtus id ageret, ut Paulum Judæis traderet judicandum, is appellavit ad*

Cæſa-

Cæſarem, Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι. *Cæſarem appello*, *inquit. Et Feſtus ex conſilii ſententia reſpondit*, Καίσαρα ἐπικέκλησαι; Cæſarem appellaſti? Ἐπὶ Καίσαρα πορεύσῃ Ad Cæſarem proficiſceris. *Scrupulus occurrit, quod jure Romano a ſolis definitivis ſententiis, non ab interlocutionibus fiebat provocatio: ſed tu dic, etiam ante ſententiam, ſi tale gravamen eſſet, quod per ultimam ſententiam non poterat emendari* l. 2. D. de Appel. recip. vel non. *quale erat hoc a Feſto propoſitum. Nec ſolus erat Paulus, plures eodem tempore captivi cum illo Romam mittebantur* cap. 27. Act. in pr. *idque adſiduo factum fuiſſe res loquitur. Potuit etiam Paulus tanquam Civis Romanus directe, priuſquam Feſtus quicquam interloqueretur, ad Cæſaris tribunal petere ſe remitti. Quemadmodum Plinius in epiſtola de Chriſtianorum inquiſitione* lib. 10. *ſcribit*: Fuerunt alii ſimilis amentiæ, quos, quia cives Romani erant, annotavi in urbem remittendos. *Eodem jure*, *quo*

quo Paulus fuit remiſſus. Quod ſi Præſides, reis provocantibus, negarent appellandi copiam & apoſtolos ita dictos, *lege Julia de Vi publica tenebantur. Teſtis in ea re eſt Paulus JCtus in* lib. 5. ſent. cap. 26. inpr. Lege Julia de vi publicâ damnatur, *ait*, qui aliqua poteſtate præditus civem Rom. antea ad populum, *NUNC AD IMPERATOREM* appellantem necarit, torſerit, verberaverit, in vincula publica duci juſſerit; *Propone tibi Imperium Romanum, id eſt Orbem Terrarum, nec aliud imaginare, quam cauſas appellationum Provincialium, quibus hodie in ſolo Galliæ regno non ſufficeret ingens Judicum conſeſſus. Omnes iſtæ appellationes primo Neronis tempore, recta fiebant ad Principem (poſtea mutationis aliquid invectum nec tamen diu ſervatum eſt) Quiſquamne poterit ambigere, cauſis illis cognoſcendis, certum fuiſſe locum? & quod ſub Antoninis atque Severis exſtitiſſe diſertis verbis adfirmatur, nec poſt tempora Neronis intra ejuſdem*

dem ſeculi ambitum inſtitutum eſſe conſtat, cum res hactenus in eodem ſtatu ſub Nerone fuerit, Principis Auditorium fuiſſe dubitabimus, idque in Palatio, quod nusquam alibi eſſe poterat, cum locis ad ſecedendum idoneis, ut ex Suetonio audivimus? Sed inſtat Vir Cl. parum convenire magnificentiæ & deliciis Aulæ, tot eam Auditoriis & tanto judiciorum ſtrepitu circumſonare pag. 214. *Putet aliquis, hunc juvenem fuiſſe unquam Hagæ in Batavis? ubi primum illuc venerit, ſuo commodo poterit mirari & tamen credere, cum magnificentia & deliciis Aulæ non male convenire; eam tot Auditoriis & tanto judiciorum ſtrepitu circumſonare. Sed Arauſionenſis Principis veterumque Comitum delicias & magnificentiam, præ Neronis Aula ſpernet, opinor, ut eſt hiſtoriæ gnarus. Poterit tamen ibi diſcere, magnificentiæ Aularum bene ſedere frequentiam omnis generis hominum & confluxum res ſuas agentium. Et meminiſſe velim, cum Imperatores*

res ipſi cauſas cognoverint. quod nec Arauſionenſis Princeps, nec olim Comites faciebant, illis non modo ſtrepitum & concurſum Auditorii, ſed ipſas Litigantium moleſtiſſimas voces fuiſſe perpetiendas, quarum ſpecimen Suetonius refert in forenſi cognitione Clandii, cap. 15.

Denique, non ſemper nec tantum in Foro jus dixiſſe Domitianum, ut propius ad Neronem accedamus, indicat Suetonius in vita ejus cap. 8. Jus diligenter & induſtrie dixit: Plerumque & in Foro, pro tribunali, extra ordinem ambitioſas Centumvirorum ſententias reſcidit. *Viden' in* Foro extra ordinem: *ubi igitur* diligenter & induſtrie? Diligentia *notat adſiduitatem*, Induſtria *ſolertiam. Ubi adſiduo, in Forone? Ibi* extra ordinem, *cum aliquid ingens agendum atque in judices animadvertendum erat, judicabat. Tu dic igitur, non potuit* adſiduo, *niſi in Auditorio quod fuit in palatio. Imperator adſiduo in Foro*]? *Minus conveniebat, quam*

 Audi-

Auditorii frequentia Palatium deformabat. Niſi, ut noſter modo credidit, & nunc pertendat, adſiduam Domitiani in Palatio juriſdictionem non habuiſſe locum ſtatum in Palatio. Pater Domitiani Veſpaſianus quorumcunque negotiorum deciſiones *in Palatio faciebat, ut in ordine domeſtico ejus vitæ refert idem Suetonius* cap. 21. *Quid ſunt* deciſiones negotiorum, *niſi qualem modo in Antonino Pio habuimus? Domi non potuit, niſi in Palatio. Quotidie, ut Suetonius indicat;* quæcunque *negotia, non potuit, niſi in loco ſtato & ordinario. Sic, niſi fallor a Symmachi ætate ad uſque Neronem fuiſſe locum in Palatio, & audientias ibidem judiciales abunde comprobatum eſt.*

RESPONSIO

Ad Cap. XX.

Ex ſuperiori capite, tanquam re optime iſtic geſta, concludit Vir A.

& affirmat, *Neronem igitur jus dixiſſe etiam in Palatio*. Quod jus aliquando dixerit, non negatum, ſed quod in Palatio ordinarie, & quidem ſtato ac proprio ei rei Auditorio, id vero negatum omnino, nec ulla veri ſpecie a Viro A. declaratum eſt. Sed probare id hoc jam Capite nititur, & facetiſſima quidem medius fidius ratiocinatione. Scilicet, *infinita erat cauſarum multitudo, & immenſa ſolarum appellationum ex omnibus provinciis ſeges, quibus hodie in ſolo Galliæ Regno non ſufficeret ingens judicum conſeſſus*. Ergo ſolus Princeps per ſe omnes has cauſas cognovit; atque idcirco; (complura enim inde eliciuntur) *non potuit iis in Foro perpetuam dediſſe operam*, quinimmo *non potuit non in Palatio*, ſeu non potuit alibi eas cognoviſſe quam in Palatio; denique *habuit* ergo Princeps *certum in Palatio locum, ſeu Auditorium, cauſis cognoſcendis unice deſtinatum*. Mirare ſis, Lector, Dialecticam quantivis ſane pretii, multa nec opinata

prorſus, una ratione conficientem. Quærit porro V. A. *ubinam cauſæ provinciales unquam in Foro diſceptatæ legantur?* Immemor, ut videtur, nuſquam certe legi, quod ipſe vult, a Principe in ſtato Palatii Auditorio fuiſſe cognitas: immo nuſquam legi, tale Auditorium in Palatio illis temporibus & ſeculis exſtitiſſe, aut aliquid memoria dignum in eo geſtum. Sed tamen *tractatas ejuſmodi cauſas in Auditorio Sacro*, probavit utique *ex Romano Scriptore, licet ſerotino*, h. e. Symmacho, qui tot ſeculis poſt vixit: oblitus iterum, nihil hoc pertinere ad ipſos Principes, de quibus quæritur, aut eorum Auditorium, ſed, præterquam quod Symmachus de ſui temporis rebus agit, deſignari ab eo Auditorium Præfecti Vrbis, cui delegata erat illarum appellationum cognitio.

Neque vero ſequitur, ſi maxime tot numero provocationes ad ipſum Principem fuerint factæ, quod ergo ipſe Princeps eas cognoverit. Nam quæſo, ſi tot numero erant, *ut iis*

in Foro diſcutiendis nulla ſufficere potuiſſet facultas, immo *neque ex una regione factis, ingens judicum conſeſſus*, quomodo unus homo iis omnibus ſufficeret? Manifeſtiſſima iſtius Dialecticæ abſurditas, qua tamen utitur V. A. toto hoc Capite. Quid igitur fieret hiſce provocationibus, ſi quis quærat. Delegabantur aliis. Probavi id Diſſ. II. §. 27. exemplo Auguſti, qui a Sueton. cap. 33. licet ejus induſtria & *aſſiduitas in jure dicundo* ibidem laudetur, dicitur tamen diſerte, *Vrbanarum litium appellationes Præfecto Vrbis; at provincialium Conſularibus Viris delegaviſſe, quos ſingulos* proinde *cujuſque provinciæ negotiis præpoſuerat.* Non putem, Virum A. negaturum, provocationes ex provinciis ad ipſum tamen Auguſtum etiam deinceps fuiſſe factas, quippe cujus ſolummodo nomine illi Conſulares ſuorum quisque provincialium cauſas cognoſcebant. Quod ſi negare id non audebit, ut haud dubie non faciet, liquet tum ſane, nullam ergo

eſſe conſequentiæ vim in eo: Provocationes ex variis pròvinciis ad ipſum Cæſarem ſunt factæ; ergo ipſe Cæſar earum cauſam cognovit. Iam vero ſi eas non cognovit ipſe, neutiquam ex illa provocationum frequentia elici aut exſculpi poteſt, fuiſſe ergo in Palatio proprium, & perpetuum iis a Cæſare cognoſcendis Auditorium, cujus nec vola nec veſtigium apud Veteres illorum temporum occurrit. Porro ſi Auguſtus, qui ceteroqui præ aliis *aſſidue* jus dixiſſe in Conſulatibus ſuis traditur, delegavit aliis appellationes provincialium, multo magis id fecere & alii, & Nero potiſſimum, totus ineptiis & nugis deditus. Immo vero adeo hoc verum eſt, ut alii, ſeu ſequentes Imperatores iſtis appellationibus ſtatos ac perpetuos dederint Iudices, nempe *Præfectum Vrbis & Prætorii*, uti ex Codice oſtendit Jac. Cujacius Obſerv. xxi. 33. Atque hinc cum Probus Imperator eſſet factus, dicuntur a Vopiſco in Flori, cap. 6. *rediiſſe ad Præfectum Vrbis appellationes omnium po-*

teſta-

teſtatum & omnium dignitatum. Rediiſſe ait, ut pateat, eas jam antea ad Præfectum Vrbis delatas. De Prætorii Præfecto liquet ex controverſo hoc Pauli exemplo, qui ex provincia provocavit quidem ad Cæſarem, ſed tamen, in Vrbem ideo miſſus, iſtic Præfecto prætorii traditus legitur. Similiter Trajanus apud Plinium epiſt. 65. ex Bithynia in Vrbem ad Præfectos prætorio mitti juſſit hominem, qui in perpetuum ex ea relegatus fuerat, & tamen in ea morari perſeveraverat.

Quid ergo? Nullaſne ipſi Cæſares cognoſcebant cauſas? Immo vero, ſed majores tantum, & præcipuorum hominum. Ipſe ille Marcus, omnium Cæſarum præſtantiſſimus dicitur a Spartiano, primum quidem cap. 10. *judiciariæ rei ſingularem adhibuiſſe diligentiam*, ſed dein tamen cap. 24. tantum *Capitales cauſas*, & quidem *hominum Honeſtorum*, *IPSE cognoviſſe*. Vbi inſuper Caſaubonus, multum diſcedens a Viri A. ſententia, malle ſe teſtatur, *Honeſtiorum*, quia

ſcil. *non potuerit omnium Honeſtorum cauſas cognoſcere.* Quod ſi ita Optimi Principes, quanto igitur magis Nero paucas & præcipuas ſolummodo cauſas audiviſſe cenſendus eſt, inprimis quando Conſul non eſſet. Et ne dubites, audi Tacitum Ann. XVI. 8. ubi Caſſio & Silano ab ipſo Nerone accuſatis additi leguntur rei, *duo Senatores & Eques Rom.* ſed *qui appellato Principe inſtantem damnationem fruſtrati, mox Neronem circa SVMMA Scelera diſtentum, VT MINORES, evaſere.* Sed & has ipſas majores, etiam Provincialium, cauſas in Senatu potiſſimum, ipſorum Cæſarum voluntate, tractari ſolitas, multis ſane exemplis doceri queat. Attuli nuper ex Tac. Ann. III. 44. ubi populus incuſat Tiberium, *quod in tanto rerum motu* (quum ſcil. defeciſſent Sacrovir & Galli) *libellis accuſatorum inſumeret operam. An Iulium Sacrovirum Majeſtatis crimine reum in Senatu fore? Exſtitiſſe tandem Viros, qui cruentas epiſtolas armis cohiberent.* Mani-

nifeſtum, dici hæc per occaſionem deficientis provinciæ de crimine Majeſtatis a provinciali homine commiſſo. Manifeſtum etiam, eum ex opinione totius populi, ſi in poteſtatem Imperatoris foret redactus, accuſatum & damnatum iri in Senatu. Manifeſtum denique, quomodo Imperator in ejuſmodi majoribus cauſis ſe gereret. Nimirum recipiebat & perlegebat ſtudioſe libellos Accuſatorum, ſed privatim & in ſeceſſu: deinde vero mittebat *cruentas epiſtolas*, h. e. præ ſe ferentes præjudicium aliquod damnationis ad Senatum, ut iſtic judicium rei peragеretur, ſeu ut Reus iſtic potiſſimum accuſaretur, audiretur & damnaretur. Similiter apud Dionem lib. LX. Claudius *in Curia* dicitur cognoviſſe cauſam Lyciorum, qui tumultuantes ad cædem uſque Romanorum fuerant progreſſi. Quin & Repetundarum crimen accuſantibus Prætorem ſuum Provincialibus in Senatu ſub Cæſaribus paſſim diſceptatum legitur; at de ipſa pecuniæ ſumma Provinciæ reſtituenda coram Re-

cuperatoribus in Foro. Exempla habemus apud Tacit. Ann. I. 74. XII. 22. XIV. 28. & 46. Adde his, etiam ipſos Cæſarum Procuratores accuſatos a Provincialibus & damnatos in Senatu, ut patet ex Tac. Ann. IV. 15. Ceterum ſi tamen ipſe Princeps majores iſtiuſmodi cauſas per ſe & extra Senatum cognoſceret, Vbi tum eas cognoſcebat? Nihil adferre poteſt V. A. de ſtato Aulæ Auditorio, nullum exemplum, nullam rei iſtic judicatæ hiſtoriam. Sed tamen, quaſi neceſſario res geſta eſſe debeat in deſignato a ſe Loco, ſi non conſtet, quo alio geſta ſit, rogat me identidem, *ubi in Foro diſceptatæ hæ cauſæ legantur*, & quidem *ſub dio*, quaſi hoc inprimis nomine *Forum* eſſet alienus a tot diſceptationibus Locus. An ergo ignorat, liberæ adhuc Reip. temporibus, quibus non minor cauſarum multitudo Romæ diſceptabatur, omnes tamen in publico & ſub dio dijudicatas? Audiat Ciceronem Verrin. V. *Non modo hic* (Romæ) *ubi Plenum Forum judiciorum, ſed ubicunque terrarum.* Et mox, *Nunquam Te*

(Ver-

(Verrem) *in Forum populi R. venturum, nunquam ſub Legum & judiciorum poteſtatem caſurum eſſe putaſti?* Liquet utiq; *Legum & Iudiciorum poteſtatem* iſtic unice in *Foro* collocari. Neque tamen Ego dixi uſquam, Provincialium Litium appellationes in Foro dijudicatas, (contra vide ſis Diſſ. II. §. 26.) neque meum eſt, temere rem vetuſti moris definire, quam a Veteribus expoſitam non reperio. Hoc certum eſt, fuiſſe *Forum* ſemper *plenum judiciorum*, quippe proprium judiciis in Vrbe Roma Locum: atque idcirco Auguſtum, teſtante Sueton. cap. 29. *tertium* exſtruxiſſe propter hominum & *judiciorum multitudinem*: *Fori*, inquit, *exſtruendi cauſa fuit hominum & judiciorum multitudo, quæ videbatur, non ſufficientibus duobus, etiam Tertio indigere. Itaque feſtinantius publicatum eſt, cautumque, ut ſeparatim in eo publica judicia & ſortitiones judicum fierent.* Hæc quum ita fuerint, quumque tempore Auguſti Duo Fora non ſufficerent Litium multitu-

titudini, annon probabile prorſus, eas quoque Lites in Foro potiſſimum diſceptatas, quas alibi diſceptatas eſſe, probari nequit: certe in Foro longe potius, quam in ſtato Palatii Auditorio, cujus nulla uſquam mentio iſtis ſeculis occurrit. Vtcunque ſit, mihi perinde, ubi judicatæ fuerint iſtæ Lites, dummodo non in tali Auditorio, quod dum unice V. A. affirmat, excluſis aliis Locis, probare debuiſſet aliis argumentis, quam ſimpliciter pronunciando, *Non potuit non Ibi.*

Porro autem, quum Vir A. plura iſtiuſmodi Auditoria Aulæ Cæſarum tribueret, in quibus ſcilicet, ut ait hoc Capite, diſceptarentur appellationes *infinitæ numero, quibus in Foro diſcutiendis nulla ſufficere potuiſſet facultas*, immo *quibus* ex una regione, veluti *ex ſola Gallia*, ad Cæſarem factis, *non ſufficeret ingens judicum conſeſſus*, reſponderam Ego inter alia, & veluti prætereundo, *Tacere me, parum convenire magnificentiæ & delicii Aulæ. tot eam Auditoriis & tan-*

to judiciorum ſtrepitu circumſonare. Vnum hoc arripit Vir A. & ſuo more cavillatur. Rogat enim ſolito ſibi contemptu & irriſu, εἰρωνευόμενος plane, *an unquam fuerit hic juvenis Hagæ in Batavis?* Fuit ſane ſæpius Vir A. ſed vel ſic, *ut eſt hiſtoriæ gnarus*, longe aliam arbitratur rationem judiciorum, ut nunc exercentur, aliam, ut olim Romæ, & in pleriſque antiquis gentibus, apud quas res peragebatur maximis clamoribus, ingenti ſtrepitu, & incredibili hominum concurſu, ut ex Priſcis Scriptoribus notum eſt. Deinde longe etiam aliam eſſe rationem Aulæ & habitationis, qua uſus Hagæ Princeps Arauſiacus, aliam olim Aulæ Romanæ & imprimis Neronianæ, quippe qui ſuæ habitationi in Vrbe Auream illam Domum exſtruxit, & a rebus ſeriis abductus voluptatibus & deliciis, immo nugis & ineptiis totum ſe immerſit, quem proinde etiam Senatores, etiam facti ſuo juſſu Rei, facile *VT MINORES evadere* potuerunt. Verum ſi quid V. A. ex hiſce tem-

temporibus adferre voluiſſet, ut probaret, Neronem habuiſſe in Aula ſua tot Auditoria, audiviſſe & cognoviſſe ipſum in iis tam *infinitas numero* cauſas Civiles, debuiſſet oſtendiſſe, qui hodie Reges & Principes adeo frequentare ſoleant Civilium Cauſarum Auditoria, iiſque cognoſcendis diſceptandiſque ſolenniter & aſſidue ſeſe dedere. Cujus contrarium quum ſatis conſtet, licebit, opinor, mihi adverſus Virum A. ex hiſce temporibus, ſi quid tamen ex iis inferri poteſt, concludere, neque olim ordinario id feciſſe pleroſque Cæſares, niſi vel in Magiſtratu vel primis ſolummodo imperii annis, ut ſe in iſtis initiis populo commendarent, unde & illud, tanquam res inuſitata in malis Principibus, inter præcipuas quorundam Laudes ſemper ab Hiſtoricis refertur.

Antequam manum V. A. ab hoc Capite amoveat, probare contendit, *non ſemper in Foro jus dixiſſe* Cæſares, & ſpeciatim Domitianum. Quod quo ſpectet, vix equidem intelligo.

Nec

Nec enim ſequitur, *Non ſemper jus dixere in Foro, Ergo habuerunt in Aula juri dicundo Auditorium*, quum in tali Auditorio jus dixiſſe nuſquam reperiantur; licet ſæpe alibi, etiam extra Forum, ſed vel ſic in publico ſemper Loco, & pro Tribunali. Neque porro iſthoc probato me refutaſſe cenſendus eſt, quippe quum Diſſ. II. §. 28. ipſe Ego docuerim etiam extra Forum aliquando jus reddidiſſe Cæſares, & in ſpecie Claudium *ut plurimum quidem in Foro, ſed & alibi*, verum *pro Tribunali*: veluti *prope Tiberim*, ut ex Dione liquet, vel *Herculis templum*, ut ex Senecæ Ludo. Atque ita de Hadriano teſtatur Xiphilinus, *quod res magnas & prorſus neceſſarias omnes per Senatum egerit, quodque jus dixerit cum præcipuis Civitatis, modo in Palatio, modo in Foro, & Pantheo, & aliis multis in Locis ex Tribunali.* Video jam tamen, quid velit V. A. Quia ſcil. nullum omnino habet documentum, nullum exemplum, quo ſtatum illud in Palatio primorum

Cæſa-

Cæſarum probet Auditorium, extundere tamen illud & extorquere quovis modo præter omnium exſpectationem conatur ex quodam Suetonii Loco, qui de Domitiano cap. 8. ait, *Ius diligenter & induſtrie dixit. Plerumque etiam in Foro pro Tribunali extra ordinem ambitioſas Centumvirorum ſententias reſcidit.* Hinc vero concludit jam Vir A. *Diligenter & Induſtrie* jus dixiſſe in Auditorio Palatino, at *Extra Ordinem* in Foro. Scilicet non videt, quod illud, *jus dil. & ind. dixit*, iſtic primum veluti in Genere, & ſine ullo reſpectu ad quemcunque Locum affirmetur, deinde præcipuo quodam exemplo probetur. Porro autem, quod *Extra ordinem* non Loci, ſed Temporis circumſtantiam heic notet, ut paſſim & plerumque alibi. Præterea neque dicitur, quod in *Foro extra ordinem jus dixerit*, ſed *reſciderit ſententias Centumvirorum*. Nempe ut probaret exemplo non infimæ notæ iſtam Domitiani diligentiam in jure dicundo, addit continuo

tinuo Auctor, ſæpe etiam ambitioſas Centumvirorum ſententias illum reſcidiſſe, eamque rem per ſe magni ſatis momenti duabus inſuper exaggerat circumſtantiis, una Loci, altera Temporis, quod ſcil. illud fecerit *in Foro pro Tribunali*, ergo in Loco frequentiſſimo, & in omnium hominum conſpectu: dein *Extra ordinem*, hoc eſt, non ſtatis aut ſolennibus diebus, ſed quibuſcunque. Plane quemadmodum hæc phraſis accipitur etiam in Suet. Aug. 43. *Solebat etiam citra ſpectaculorum dies, ſi quid advectum eſſet, id extra ordinem quolibet loco publicare.* Et Tib. 32. *Diogenes Grammaticus diſputare Rhodi Sabbathis ſolitus, venientem Tiberium, ut ſe extra ordinem,* h. e. alio quam Sabbathi die, *audiret, diſtulerat in ſeptimum diem.* Clarum ex his, quam vano & imbecillo tibicine ſuum illud Auditorium fulcire ſatagat V. A. Et tamen pergit eadem aſſeverandi confidentia: *Non potuit Aſſidue jus dixiſſe, niſi in Auditorio, quod fuit in Palatio; Nam ut*
 Impe-

Imperator Aſſidue in Foro jus dixerit, minus adhuc convenire addit, quam quod Ego affirmaveram, a Palatio tot Auditoria & tantum judiciorum ſtrepitum videri alienum. *Putetne aliquis*, ut ſua Viro A. verba reponam, attendiſſe eum vel tantillum ad Antiquitates Romanorum, in quibus tamen ipſis Dictaturam ſibi vindicare omni modo conatur. Quid enim? Audivimus utique modo a Dione de Imp. Claudio diſertis verbis traditum, quod *etiam alibi aliquando*, ſed τὸ μὲν πλεῖστον ἐν τῇ ἀγορᾷ h. e. *VT PLVRIMVM IN FORO jus dixerit*. Similiter Sueton. Aug. 33. verbis quam maxime notandis & conferendis cum iis, quæ V. A. ex Domitiani vita attulit: *Ipſe jus dixit ASSIDVE, & in noctem nonnunquam; ſi parum corpore valeret, Lectica PRO TRIBVNALI collocata, vel etiam DOMI, CVBANS.* Vides, Lector, *Aſſidue* Auguſtum jus dixiſſe, ſed Vbi? Vir A. ait, *Tu dic, non potuit Aſſidue, niſi in Auditorio Palatino*

latino. At Suetonius, etiam languentem & *parum corpore valentem*, *pro Tribunali* jus dixiſſe memorat, ergo neutiquam in *Auditorio*, quod utique Eruditi tradunt apud ICtos *Tribunali* ſemper opponi, ſed in publico Loco, & haud dubie *in Foro*, ſiquidem duobus Foris jam exiſtentibus tertium Auguſtus ipſe addidit, *propter judiciorum*, quæ in iis exercebantur, *multitudinem. Valens* ergo, immo & *parum corpore valens*, extra *domum* ſeu Palatium jus dixit *aſſidue*, dixit tamen etiam *Domi*, ſed *Cubans*, & proinde neque ordinario aut aſſidue, neque in Auditorio, ſed, ſi quando, in Cubiculo. Sic habes, Lector, *aſſiduitatem* Iurisdictionis per ſua Loca, ex ipſo Suetonio illuſtratam longe aliter, quam Vir A. contendit inanibus iſtis aſſeverationibus ad ravim usque, *Nòn potuit Aſſiduo, niſi in Anditorio, certe non in Foro.*

Aeque infeliciter verſatur Vir A. in Veſpaſiani vita domeſtica. Refert Sueton. cap. 21. quomodo ſolitus eſſet

 ille

ille Imp. vitam domeſticam quotidie ordinare & diſponere. Nempe ſummo mane perlegebat epiſtolas & officiorum breviaria, tum admittebat Amicos ſalutantes, atque interim ſeſe calceabat & amiciebat. Deinde *decidebat negotia, quæ obveniſſent*, atque ita tandem geſtationi & quieti vacabat. Ex his V. A. exſculpit Auditorium Palatinum, neque aliam agnoſcit *deciſionem negotiorum*, niſi judicialem. At manifeſtiſſime agitur iſtic de domeſticis & privatis negotiis, Imperatori etiam, ut ſolet, quotidie obvenientibus. Docere id hæſitantem potuiſſet Torrentius doctiſſimus Suetonii interpres, quippe qui attulit ſimillimum plane locum ex Horatii Epiſt. 1. 7. 19. de homine privato & tenuis cenſus, præcone Mena, cujus vita item hæc erat, ut *gauderet ſuis ſodalibus, & lare certo, Et Ludis, & poſt DECISA NEGOTIA, campo.* Quod ſi ex Viri A. ſententia explicabuntur Auctores, etiam hic homo, qui tamen quotidie *Vilia vendebat tunicato*

to ſcruta popello, ſuum habuiſſe debebit Auditorium, ubi tanquam judex cauſas aliorum cognoverit, ne ſcilicet iſthæc phraſis de privatis negotiis, quæ alicujus fortunæ cives curanda quotidie & decidenda Romæ habebant, exponatur. Sed hujus Interpretationis abſurditas per ſe patet. Ceterum, ſi quis quærat, ubi Veſpaſianus ordinario jusdixerit, oſtendi jam Diſſ. II. §. 28. id *in Foro* factum, ſiquidem unicus is a Xiphilino memoratur locus, quando Veſpaſianum etiam *ſæpe jus dixiſſe* narrat.

CAP. XXI.

Rationes, quibus probatur, in Palatio Cæſarum, nullum fuiſſe locum juri dicundo deſtinatum, refelluntur.

Hæc non erant inſuavia; nec tamen comparanda cum iis, quæ Vir Cl. ad probandum, in Palatio nullum fuiſſe Auditorium juridicum, pro exquiſito ſuo judicio cum antiquitatis notitia conjuncto proferenda putavit. Ait, nullam omnino Principi-

 bus

bus Romanis cauſam fuiſſe habendi in Palatio publicum jurisdicendi cauſa Auditorium pag. 199. *Manifeſtus eſt ignorantiæ vel oblivionis eorum, quæ præcedenti capite probavimus; quando ex iis conſtat, nulli in orbe toto majorem fuiſſe neceſſitatem habendi Auditorium quam Imperatori Romano in Palatio, de cauſis, pone ſis, vel ſolis Provincialibus. Pergit tamen Vir. Cl.* Nam qua tandem gratia, obſecro te, haberent auditorium, quidve in iis ageretur; Quum privatas utique lites plerique ut infra ſuam majeſtatem & præter animi ſui libidinem ac otium non reciperent ipſi? *Nec boni nec mali Principes? Falſum id & Suetonio prope in ſingulorum vitis contra obſervatum, & de ipſo Nerone modo alia omnia vidimus. Inſtat*: Imo ipſi, ſi quando cum privatis litigarent, ſubibant forum & jus, 4. annal. 7. *Imperator hodiernus & Rex Galliæ & omnes Monarchæ liberarumque nationum Ordines apud Judices ordinarios conveniuntur. Ergo non habent*

Au

Auditoria Judiciorum? Minus perperam inde probaretur, Reges nihil aliud eſſe, quam miniſtros populorum ſuorum, ut Vir. Cl. tanquam pro aris & focis pugnat: quamvis in hanc partem nihilo plus valeat argumentum a voluntaria ſubmiſſione, quæ fit a ſummis poteſtatibus in litigiis patrimonialibus. Melior ſit ratio, quæ ſequitur; Quum ipſas appellationes urbanarum litium Præfecto urbis, Provincialium Conſularibus viris mandarent, militares cauſas Præfecto Prætorii. d. pag. 199. *Ergo nihil pro ipſis Principibus reliquum. Fuerit hic ordo conſtitutus ab Auguſto, non diu obſervatus eſt, cum varia fuerit hac parte juris obſervatio, ut demonſtravimus in* lib. 1. digreſſ. c. 21. n. 4. & 5. *Sed initio Neroniani Imperii Cæſarem ipſum adhuc fuiſſe appellatum, a Præſidio Provinciæ nullis intermediis gradibus, inrefragabili Paulinæ provocationis exemplo apparet; Ideo Suetonius in Nerone* cap. 17. *refert, ab illo conſtitutum eſſe, ut* omnes ap-

pellationes a judicibus ad Senatum fierent, *vel ad urbanos judices tantum, non ad Præſides Provinciarum, vel ad ſequentes Neronis annos pertinet. Et tamen etſi poſt Neronis ætatem quoque* reſcripſerint Severus & Antoninus, appellationes, quæ recta ad Principem factæ ſunt, eis omiſſis, ad quos fieri debuerunt, ad eos remitti debere, l. Impp. D. de Appellat. Tamen id antea *poſt Neronem quoque* raro fuit obſervatum, paſſim receptis a quocunque judice ad Principem recta factis appellationibus, ſicut & jure Pontificio recta ad ſummum Pontificem appellare licet. Cap. ſi duobus x. de Appellat. *Hæc Cujacius* lib. 21. obſ. c. 33. *aliquanto certior auctor, quam eſt novus Interpres noſter in* verbis ſuæ citationis, *modo relatis.*

Pergit tamen Vir Cl. argumentari, primo inde, quod Auditorii vocabulum de primorum Principum Auguſtæorum Aula nuſquam inveniatur apud Tacitum, Suetonium, & alios pag. 201. *Sed ad hoc argumentum reſpondendi*

locus

locus erit, cum reddenda nobis erit ratio, quur nomen Prætorii *de* palatio *Cæſaris apud Latinos Scriptores non reperiatur. Sed de Auditorio, quod fuit in Palatio, nihil opus eſt nobis contendere, quod locus juri dicundo proprius in Palatio, vulgo dictus fuerit* Auditorium; *ad Pauli apologiam in Prætorio ſtabiliendam ſufficit ibi fuiſſe talem aliquem locum; quod abunde probatum eſt. Indigna relatu ſunt, quæ pag.* 202. &c. *de Auditoriis Rhetorum, Arbitrorum, Judicumque referuntur; ut inde colligatur, in palatio non fuiſſe Auditorium; Opponi inter ſe Forum & Auditorium; Dicta multa, rationis nihil ad hanc diſputationem: cujuſmodi affectationes variæ Lectionis, ubi argumento non ſerviunt, pertinent ad genus non admodum ſpecioſæ appellationis. Magis ad rem pertinet, quod ſi* jus dixerint aliquando Cæſares, id eos adeo non feciſſe, tanquam Imperatores, verum ut Conſules, ſeu tum maxime, cum Conſules eſſent; nulla mentione Præ-
 to-

torii vel Auditorii Principum, quod ex Suetonio probatur. pag. 189. *Sed non habetur in Suetonio, Cæſares dixiſſe jus ut Conſules, vel tum maxime, cum eſſent Conſules; verum pro inſtituto ſuo de more juriſdictionis ab illis exercitæ agit aliquando ſtatim poſt Conſulatum; quia ſic ordinem narrationis digeſſit, ut potius rerum quam temporum ſeriem obſervet; eaque ratione de juris dicundi officio ſtatim poſt civiles Magiſtratus agere conſuevit. Quod autem rerum in Palatio judicatarum non meminerunt Tacitus & Sueton. utique non certi & ſolennis loci; ad hanc difficultatem reſpondemus iiſdem verbis, quibus Vir Cl. rationem reddit, quamobrem judiciorum in Caſtris actorum nulli Scriptores antiqui meminerunt.* Non fuerunt diligentes adeo priſci Scriptores in annotandis judiciorum iſtic exercitorum exemplis, quia fuerunt illa militum & proinde minoris momenti, nec ſatis digna notatu in Annalibus aut Hiſtoriis, quas ſatis ſuperque implebant res Senatoriæ iſto-

rum

rum temporum. pag. 220. *Pro militibus ſubſtitue* provinciales *& habebis in iiſdem verbis rationem, Cur Scriptores illi de farragine cauſarum & appellationum e Provinciis ad Cæſares delatarum nihil in ſuis annalibus aut Hiſtoriis collocaverint. De rebus urbanis & ad ſummam Imperii ſpectantibus illi agendum ſibi putarunt, cujuſmodi cauſas in Foro & Senatu actas fuiſſe nunquam negavimus; nec aliud ex omnibus ab iſto productis locis evincitur, nec audet adfirmare vel credere videri Vir Cl. provinciales cauſas, ad Imperatores per Appellationem delatas, in Foro fuiſſe diſceptatas* pag. 182. *Quid igitur factum de illis, ſi non, ubi Princeps habitabat, actæ finitæque fuerunt, & locum ibi ſolennem ad ejuſmodi actiones diſtinctum habuerint? quod multitudo illarum litium nunquam ceſſantium neceſſario flagitabat, ut toties demonſtratum eſt.*

RESPONSIO
Ad Cap. XXI.

Non *inſuavia* fuiſſe ait Vir A. quæ ſup. Capite ſunt diſputata. Credo ſane, *non inſuavia* fuiſſe Lectori, qui, quæ utrimque dicta, contulerit, & ex iis perverſam adeo & tamen ſimul adeo glorioſam, quam facit Vir A. Auctorum interpretationem deprehenderit. Ille tamen addit, ea vero nihil eſſe, ſi comparentur cum iis, quæ hoc Capite ſit demonſtraturus, *meumque illud exquiſitum judicium cum Antiquitatis notitia conjunctum*, ironice prorſus & ſuo more irridet. Videbimus ſingula, ita tamen, ut prius remittere debeamus Lectorem ad Diſſert. II. §. 29. ubi pleraque hujus Capitis clariſſime jam refutata reperiet. Namque heic nuda Vir A. ſine ſuis documentis verba meæ concluſionis, quam multis Auctorum Locis & Exemplis iſtic ſubjeceram, inva-

invadit, & exagitanda ſibi ſumit. Sed & quorſum hæc omnia? Certe enim ea tum heic, tum iſtic, incaſſum plane diſputarentur, quum utique mea ex illis Auctoribus Concluſio ſit tantum Negativa, ſi modo Vir A. ſuam Affirmationem aliis rationibus tueri poſſet, quam pronunciando ſimpliciter, *Non poteſt non aliter*, licet *aliter potuiſſe*, h. e. cauſas publice a Cæſaribus alibi, quam in confictο illo Auditorio, *in Palatio* autem *non niſi privatim, & extra ordinem, & rarius*, cognitas, immo *nullam fuiſſe Principibus primi ſeculi cauſſam habendi iſtic publicum jurisdicundi Auditorium*, clariſſime docuerim.

Poſterius hoc erit potiſſimum diſputationis noſtræ in hoc Capite argumentum, & quamvis jam liqueat manifeſtum in modum ex iis, quæ ad ſuperius Caput diſſeruimus, patebit tamen etiam amplius ex iis, quæ heic dicemus. Nam primum *privatas Lites, et Civiles plane cauſas* pleroſque Cæſares non recepiſſe ipſos, ſed aliis

dere-

dereliquiſſe, in dubium vocari nequit, quum utique longe alii eſſent Ordinarii in Vrbe Judices, ipſorumque Cæſarum cognitio prorſus eſſet extraordinaria, adeo, ut *Ordinario juri* opponeretur: quum porro ipſas appellationes, tam Vrbanas quam Provinciales, ipſe Auguſtus, cujus ceteroquin *aſſiduitas* in jure dicundo tempore jurisdictionis, maxime laudatur, & in illo perturbatiſſimo poſt tot bella civilia ſtatu maxime erat neceſſaria, aliis delegaverit, immo poſteriores Cæſares in pleriſque appellationibus in perpetuum alios ſibi ſubſtituerint: denique quum longe alia Bonis Principibus curanda eſſent, quam ut hiſce privatis litibus tam ſtudioſe vacarent, Mali ſuis deliciis & ineptiis totos ſe involverent, adeo ut jus ac juſtitiam ne quidem reſpicerent.

Sed *aliud a Suetonio in ipſorum Vitis obſervatum.* Immo vero reperiuntur quidem apud Suetonium plerique etiam juri publice dicundo operam dediſſe, ſed vel in Conſulatu, vel extra

tra ordinem in initiis Principatus, ut ſe populo commendarent. Ceteroquin enim tantum abeſt, ut ordinarie litibus privatis in Vrbe attenderint, ut plerique maximam Imperii ſui partem egerint extra Vrbem in ſeceſſibus & villis, etiam complures annos integros aliquando iis impendentes, ut de Tiberio notum eſt. Privatæ lites relinquebantur Foro & Ordinariis judicibus, *Reçuperatoribus & Centumviris* Suet. Dom. cap. 8. vel, ſi extraordinario indigerent auxilio, ut ſolet poſt bella civilia, mandabantur *extraordinariis ſorte lectis*, Veſpas. cap. 10. Ipſi Cæſares per Procuratores ſuos idem *Forum*, idem *jus* ſubibant. Tac. An. IV. 7. Quod tamen neutiquam attuli, ut ex eo, tanquam peculiari quodam argumento, probarem, non habuiſſe ergo Cæſares proprium juri dicundo Auditorium, ſed tantum, ut verbis Taciti enarrarem, *Forum* fuiſſe ordinarium adeo litibus privatis locum, ut etiam Principes, qui ordinem ſervarent, ſuas cauſas iſtis ordinariis judicibus ſubmit-

terent,

terent, ſecus quam faciebant mali Principes, qui nullius moris aut Ordinis, ſed ſuæ tantum libidinis ac voluntatis rationem habebant. Unde & a Tacito illud inter modeſtiæ Tiberianæ documenta, qua is ante mortem filii uſus fuerit, refertur, & a Plinio cap. 36. inter laudes Trajani memoratur, quod etiam in fiſcalibus *foro utatur*, & *judicem accipiat*, quodque Procuratoribus ejus dicatur, *Veni in jus*. Aliena ergo ſunt, quæ hic de Rege Galliæ & aliis Monarchis cavillatur Vir A. ad inveniendum in mea illa enarratione aliquid abſurdi: ſed & tanto alieniora ſunt, quanto minus Rex Galliæ, aut alii Monarchæ habent iſtiuſmodi Auditoria, quæ ipſi ad dijudicandas privatas Civilium cauſarum lites, de quibus unice adhucdum inter nos agitur, & cujuſmodi Auditoria Vir A. Cæſaribus adſerit, frequentent. De jure Regio alibi erit agendi locus.

Ita vero poſtquam neque *Privatas lites*, neque etiam *Capitales cauſas*, quas Vir A. heic prætermittit, ad

ad ipſos Principes ſtatim & ordinarie delatas docueram, perrexi inde ad *Urbanarum ac Provincialium Litium appellationes*. Eas vero oſtendi aliis jam ab ipſo Auguſto mandatas. Tantum abeſt, ut iis per ſe cognoſcendis publicum in Palatio Auditorium exſtruxiſſet. Sed heic ait Vir A. *Ordinem ab Auguſto conſtitutum non diu obſervatum.* An ergo proxime ſecuti Cæſares leguntur ipſi recepiſſe & cognoviſſe illas appellationes? Immo vero legitur Caligula *Magiſtratibus liberam juriſdictionem, & SINE Sui Appellatione, conceſſiſſe* apud Sueton. cap. 16. Et ipſe Nero ſtatuiſſe, ut *omnes Appellationes a Judicibus ad Senatum*, non ergo Ad Se, *fierent*, cap. 17. Verum hoc, ait V. A. *ad Urbanos tantum judices, vel ad ſequentes Neronis annos pertinet. Nam Paulus utique ipſum Neronem appellavit.* Sit ſane ita, & addo, quod Paulus ex provincia, quæ proprie erat Cæſaris, non Senatus, aut Populi, & proinde Procuratorem Cæſaris ha-
 bebat

bebat Præſidem, appellare non Senatum, ſed Cæſarem debuerit. Sed tamen minime ex eo, quod provocationes ex provinciis ad ipſum Cæſarem fiant, ſequi, ergo ipſum Cæſarem eas omnes cognoviſſe, docuimus jam ſupra pag. 737. 738. quippe quum certum ſit, etiam Ordine illo jam conſtituto, ipſum tamen Auguſtum ex provinciis appellatum, non illos Conſulares Viros, quibus provinciarum appellationes delegaverat. Nempe Cæſares proxime ut plurimum appellabantur, iique tunc vel ipſi cognoſcebant cauſam, ſi tanti eam ducerent, vel potius aliis dabant cognoſcendam, ut hi deinde eam ad ſe referrent, lat æque ſententiæ approbationem ſubſcriptionemve impetrarent. Exemplum dabo diſertiſſimum ex Sulp. Sev. lib. II. extr. ubi Priſcillianus ex provincia Hiſpania dicitur *ad PRINCIPEM Provocaviſſe. Et Secuti eum Accuſatores.* Sed *Imperator Præfecto Euodio cauſam PERMISIT. Qui Priſcillianum gemino judicio auditum, convictumque maleficii,*

cii, nocentem pronunciavit redegitque in cuſtodiam, donec ad Principem referret. Geſtis ad Palatium delatis cenſuit Imperator, Priſcillianum ſocios que ejus Capitis damnari oportere. Habes hic Provocationem ex provincia factam ad ipſum Principem, verum qui neutiquam ipſe eam cognovit, ſed mandavit Præfecto prætorii, ejuſque ſententiam dein breviter & privatim examinavit ac probavit. Liquet inde igitur, quam nulla ſit ratio, ex Provocationibus ad ipſum Principem factis adſeverare neceſſitatem habendi in Palatio Auditorium judiciale, ubi ipſe Princeps eas cognoſcere debeat. Fateor quidem, poſt Neronis tempora, ſeu ſeculo Cæſarum ſecundo, certum jam appellationibus ordinem præfinitum, adeo ut pleræque ad Præfectos Prætorii vel Vrbis deferri & ab ipſis cognoſci deberent, nonnullæ majoris momenti recta ad ipſum Principem deferrentur. Sed hunc ordinem nequaquam Neronis tempore jam uſitatum fuiſſe, patet ex hac ipſa Pauli provocatione, quippe

qui de re, quæ Romanis erat leviſſima, immo nullius momenti, accuſatus apud Procuratorem Judææ ab eo provocavit, non ad Præſidem Syriæ, ad quem ceteroqui proxime deferri ſolebant querelæ de illo Procuratore, neque vero ad Præfectum Prætorii, aut alium quem, ſed recta ad ipſum Cæſarem, ad quem proinde etiam a Procuratore miſſus eſt, ut vel ab eo, vel cui is hanc cognitionem delegare vellet, audiretur.

Nihil jam litium ſupereſt, quas urgeat Vir A. ut cauſam Cæſares primi ſeculi habuerint exſtruendi Palatinum illud Auditorium, quod ex illo tempore nobis obtrudit, ſed ſua tantum auctoritate. Neque enim refutat, ut oportebat, rationes conjunctim a me ex Veteribus allatas Diſſ. II. §. 29. quas iſtic velim videas, & cum hoc Capite Viri A. compares. Et quid refutaret, qui clariſſima rei, de qua agitur, documenta explodere & proſcribere mavult tanquam aliena & Pedantica. Agitur utique inter nos, utrum fuerit in Palatio

latio Cæſarum primi ſeculi locus parietibus concluſus, judiciis ibi exercendis proprius & perpetim dicatus. Affirmatur id a Viro A. licet nullum rei iſtic geſtæ veſtigium, nullam hiſtoriam, proferre queat, quum ego e contrario quamplurima juris alibi ab iſtis Cæſaribus dicti exempla attulerim, & plura adferre poſſim. Negatur a me, non tantum quia nuſquam talis Loci vel minima occurrit mentio, ſed & quia nulla cauſa fuit iſtis Cæſaribus talem locum in Palatio habendi. Addidi vero inſuper, quod, quum talia Loca, quando exiſtere cœperunt, *Auditoria* a Veteribus appellata fuerint, & ita ab ipſo Viro A. appellentur, nuſquam tamen primo illo ſeculo occurrat tali ſenſu *Auditorii* vocabulum, immo vero pro Loco poſitum diſerte opponatur iſtis Locis, ubi veræ Lites agitantur; adeo ut *in Auditorio & Schola fictæ cauſæ, in Foro veræ Lites agi*, Et *ab Auditoriis & Theatris ad Forum & ad Cauſas, & ad Vera prælia vocari* quis dicatur. Quis credat,
 ſi

ſi *Veræ Lites* illo jam ſeculo in *Auditoriis* fuiſſent diſceptatæ, ita locuturos Auctores, qui vixerunt ultimo plane illius ſeculi tempore? Immo quî clarius probari poteſt Negativa, h. e. Loca parietibus concluſa, ubi veræ Lites agitarentur, primo illo ſeculo non exſtitiſſe, quam hoc ipſo, quod *Auditorii* vocabulum, quo illa, ſimulac poſtea exſtiterunt, fuere deſignata, iſtis Locis, ubi veræ Lites diſceptabantur, diſertiſſime tunc adhuc fuerit oppoſitum? Certum utique ex eo, quod ergo *Auditorii* vocabulum illo tempore nondum ſignificare potuerit talia Loca, & quod proinde neque ipſa exſtitiſſe videantur; ſiquidem illo tempore neque ipſa, neque vocabulum *Auditorii* tali ſenſu, uſquam occurrant, quum, ſimulac dein exſtitiſſe deprehenduntur, illo ſtatim vocabulo legantur deſignata. Hoccine ergo *indignum relatu*, oſtendiſſe, quod primo illo ſeculo *Auditorii* ſignificatio talibus Locis diſerte adeo fuerit oppoſita? *Nihil in eo rationis ad noſtram diſputationem*? Illudne eſt *argumen-*

mento non ſerviens, immo *pedanticum?* Sed facillime tali modo ex difficultatibus, quibus reſpondere nequit, ſe expedit Viri A. Dialectica, nodum ſecans, non ſolvens. Crediderim autem lubens, Virum A. qui *de Pedantiſmo* Orationem jam olim dixit, non ignorare naturam ejus & ingenium. Sed ſi, quæ argumento vel controverſiæ non multum ſerviunt, *pedantica* ſunt; viderit, quo loco habenda ſint, quæ ipſe ſuper. Capite de Scrupulo provocationis Paulinæ, nihilprorſus ad noſtram controverſiam faciente, diſputat.

Vltimum, quod Vir A. heic refert ex iis, quæ Ego attuli ad probandum, Cæſares primi ſeculi non habuiſſe in Palatio proprium juri publice dicundo Auditorium, eſt, Cæſares iſtos, quando jus dixerunt, *non feciſſe id tanquam Cæſares, ſed tanquam Conſules, ſeu tum potiſſimum, quum Conſules eſſent*, & proinde *in Foro*. Reſpondet Vir A. more ſuo, non dici id a Suetonio, quem allegaveram, *Cæſares dixiſſe jus, ut*

Conſules. At ſi Auctor ille non diſertis adeo verbis id affirmat, ſatis diſerte id declarat. Etenim in more ei eſt poſitum, ut honoribus ab Imperatore ſuſceptis ſtatim ſubjungat res ab eo geſtas in iſtoc honore, & ad illum honorem proprie pertinentes. Exemplo ſit Caput XXXI. Auguſti, cujus initio is *Pontificatum Maximum ſuſcepiſſe* dicitur, atque idcirco toto eo nihil aliud refertur, quam quicquid ab illo tanquam Pontifice profectum eſt, veluti quod *Libros fatidicos cremaverit*, *ſolos retinuerit Sibyllinos*, *Annum ordinaverit*, *Sacerdotia* alia *reſtituerit*, alia *commodis auxerit*, *&c.* Certiſſima res eſt, ea omnia iſtic potiſſimum memorari, ut ſignificetur, ab Auguſto ea, non tanquam Cæſare, ſed tanquam Pontifice, fuiſſe geſta, nec ante; quam Pontificatum Max. obtineret. Jam ſimili prorſus modo in Nerone cap. 14. & Claud. cap. 14. Conſulatibus, quos illi ceperunt, expoſitis continuo ſubjungitur, quomodo ſe geſſerint *in Juriſdictione*, *& in Cognoſcendo*,

do. Operæ pretium eſt, ut accuratius paulo conſideremus Capita xiv. xv. xvi. in Vita Claudii, ut ex quibus inſtitutum hoc Suetonii pernoſcemus clariſſime. Primum refert Cap. XIV. quot Conſulatus, eoſque utrum junctim an per intervallum, & quanto tempore ſingulos Claudius geſſerit. Dein confeſtim addit, *Ius & CONSVL, & extra Honorem laborioſiſſime dixit.* Iam ſi juriſdictio Claudii non pertineret proprie ad ejus Conſulatum, quorſum illa hoc Capite referretur, ita proxime poſt ejus Conſulatum, & ſimul proxime ante ejus Cenſuram, reſque ab illo in ea Cenſura geſtas? Quorſum ita diſerte hic annotaretur occaſione Conſulatuum ejus, quod non tantum, *quum Conſul eſſet*, jus dixerit, ſicuti alii Cæſares tunc ordinarie, ſi unquam, id faciebant, ſed & *extra Conſulatum*, quod extraordinarium, & aliis inſolitum. Pergit deinceps toto Cap. XIV. & XV. exempla, quæ in juriſdictione ei evenerint, enarrare. Tum denique Cap. XVI. ſubjun-

git ſtatim, *Geſſiſſe eum & Cenſuram*, eoque toto item memorat, quomodo *recognoverit Equites*, & ſi quæ alia *in Cenſura ejus notabilia* acciderint. Quemadmodum ergo, quod Auguſtus *annum ordinavit*, *&c. Pontificatui* ejus ſubjicitur, quoniam id ad eum, non Principem, ſed Pontificem, referendum erat: Quemadmodum *Cenſuræ* Claudii proxime ſubjicitur *recognitio Equitum*, &c. quoniam & illa ad Cenſuram ejus pertinebant: Sic plane & *Conſulatibus* ejus confeſtim ſubjungitur *juriſdictio*, non alia de cauſa, quam quia, ex mente Suetonii, Claudius & alii Cæſares ordinarie, non ut Cæſares, ſed ut Conſules, jus dixerint.

Ceterum poſtquam Vir A. ita incaſſum quaſdam ex rationibus, quibus meam Auditorii Palatini iſto in ſeculo Negativam tueor, impugnaſſet non Locis, nec auctoritate Veterum, ſed tan. inaniſſimis Logis, delabitur tandem ad excuſandam inopiam, quîcum conflictatur in probanda ſua Affirmativa. Utitur autem eam in rem meis Verbis,

qui-

quibus rationem dederam, quare non ita obvia eſſent exempla judiciorum in Caſtris Prætoriis inter Milites exercitorum, quia ſcil. *fuerint illa Minoris Momenti, nec ſatis digna notatu in Hiſtoriis aut Annalibus, quas ſatis ſuperque implerint res Senatoriæ.* Bene habet, quod meam adoptat & ſibi jam ſumit Dialecticam. Sed Nova eſt, & ipſius propria, quæ eum docuit, ejusdem generis ſtatuere judicia in Caſtris a Tribunis vel præfectis in Milites exercita, & quæ in Auditorio Palatino ex provocatione *apud ipſum Cæſarem, ejus Præfectum, Aſſeſſores judicii, Comiteſque, & quamplurimos, qui adfluerent, Auditores, publice* ex Viri A. ſententia *diſceptabantur*? An ergo hæc æque *Minoris* erant *Momenti*, ac Militaria & Caſtrenſia? An *Minoris momenti*, ſeu *minus digna notatu* erant, quam ut in ipſis Cæſarum Vitis & Rebus Geſtis ulla eorum mentio fieret? An *Minoris*, quam quæ in Foro apud Privatos Judices agebantur? Atqui *Minores* Rei evaſerunt ipſum Neronis odium.

odium. Immo Marcus Imperatorum Iuſtiſſimus, tamen non niſi *Honeſtorum*, h. e. Honoribus & dignitate ornatorum hominum, *Capitales cauſas* cognoſcebat. Qui ergo fit, quod judiciorum in Auditorio Palatino nulla omnino Hiſtoria, nullum exemplum, proferatur, illorum in Foro coram Ordinariis Judicibus quamplurima paſſim occurrant? Scilicet, ſi fas eſt credere, illa magis erant *notatu digna* in Annalibus, quam quæ a Cæſaribus tractabantur. Porro autem, quæ ratio, quare complura nobis Loca apud Priſcos obveniant, quæ tradunt jus a Cæſaribus iſtius Seculi dictum in Foro pro Tribunali, aut alibi, nullus qui in Auditorio illo, in quo tamen ex ſententia Viri A. *tam infinitæ numero cauſæ* debuiſſent publice agi, & in quibus proinde non potuiſſet non aliquando aliquid *notatu dignum* accidiſſe? Quid multa? Vndique elucet clariſſima Affirmativæ iſtius probandæ inopia. Quæ etiam cauſa, quare ita obnixe Vir A. omnia comminiſcatur, & ad omnes con-

confugiat argutias, ut ſe ex illa difficultate expediat. De Appellationibus, utrum in *Foro* fuerint diſceptatæ, nec ne, diximus ad Caput ſuperius.

CAP. XXII.

Tranſitus ad objectionem, quod Palatium à Latinis Scriptoribus non appelletur Prætorium. Sententia Pauli prius adhuc educitur, & Chryſoſtomi adfirmatio, quod Regia Cæſaris ſit Palatium, exponitur.

P*ervenimus ad objectionem, quæ ſola cauſam dedit huic ſententiæ inexpectatiſſimæ, quæ eſt, quod* Paulus, *ubi de innocentia ſuâ declaratâ profectuque Evangelii inde longe lateque provecto Philippenſibus narrat & gratulatur, illud imprimis de Prætorianis militibus intellexerit, qui Caſtra ſua extra pomœrium urbis Romæ habentes, non minus adſiduo ad habitationem Pauli, quam ad Palatium quod cuſtodiebant, ſoliti ſint commeare. Non decuit Paulum, milites Prætorianos primo loco, de quibus in Chriſto domino gloriaretur, collocare; niſi nuſquam majore cum fructu,*

ctu, quam inter eos, quibus alioqui nulla fides pietaſque proverbio vulgatiſſimo adſcribitur, Evangelium prædicaverit, longeque maximam militum Prætorianorum partem domeſticis ſuis concionibus ad fidem Chriſtianam converterit. Saltem in nullo hominum genere magis emicuiſſe perſuaſionem innocentiæ, gloriamque Domini JESU nuſquam magis illuſtratam eſſe, quam in multitudine *militum Prætorianorum. Si in Palatio res illa geſta ſit, ut omnes antiqui novique Interpretes accipiunt, habemus quo fructum illius actionis notabilem conſtitiſſe intelligamus, ex eo quod in ipſa domo Cæſaris Eccleſiam fuiſſe collectam ex ultimis* ejuſdem epiſtolæ verbis *colligere licet; de militibus Prætorianis non eſt mirum nihil ejuſmodi memoriæ eſſe proditum, ut quos nunquam corruptius & inſolentius, quam ab eo tempore, ſub Nerone, cujus* vitia *non minus* amarunt, *quam virtutes aliorum reveriti fuerant, vitam egiſſe conſtat. Quid poteſt excogitari, quo Paulus ad gra-*

tu-

tulandum ſibi Eccleſiiſque remotis; de amplificatione Evangelii gloriæque divinæ, Prætorianos milites, impietatis omniumque vitiorum Cloacam, primo loco celebraverit, eoſque Philippenſibus, ut fructum ſui laboris, quo εὐκαίρως, ἀκαίρως, *Evangelium adſiduo inculcabat (in hoc enim* τὴν προκοπὴν, *de qua loquitur Paulus, conſtituit Vir Cl.) præcipuum oſtentaverit? An ideo forte, quod Paulus, non ignarus, quantum ad vim imperii valerent Prætoriani milites, idque nec provincialibus eſſe ignotum, hanc credulitatem illis inſinuare voluerit, ut bene de incolumitate ſua, quæ jam militibus Prætorianis ad animum pertineret, ſperandum putarent? Non credo quenquam id aliter, quam ut a Paulo alieniſſimum, nec adeo quicquam hujus interpretationis abſurditate abſurdius eſſe conſideraturum.*

Quid autem? Nos ipſi ante hac dicimur eſſe confeſſi, apud Latinos Scriptores antiquos & Deſcriptores urbis Palatium Imperatoris Romani, quod no-

nobis conſtet, non appellari PRAETORIUM. Et tamen e Chryſoſtomi verbis & tunc & modo probavimus, τὰ Βασίλεια, *palatium,* τέως *antea,* Prætorium *fuiſſe appellatum, quod etiam Theophylactus in* comment. ad cap. 1. verſ. 13. epiſt. ad Philipp. *expreſſit,* τοῦ Πραιτωρίου, τοῦτ' ἐςι τῶν βασιλείων; Prætorii *inquit,* id eſt, Regiæ. *Voluit dicere Chryſoſtomus; Quod Latino vocabulo* Prætorii, *homines Græci ad deſignandum Cæſaris Palatium olim utebantur, id nunc, ipſius tempore, in eum modum non fieri, quemadmodum ipſe aliique Græci elegantiæ ſtudioſi Scriptores voce Prætorii nunquam in eo ſenſu utuntur, tametſi Latinè loquentes tunc Voce Prætorii vel maxime adhuc uterentur, ut etiam aliquamdiu poſt eum fecit Leo Cæſar in* l. ult. C. de off. Rect. prov. *Non eſt mirum, ita vult Chryſoſtomus, Paulum* τὰ Βασίλεια, *Palatium Cæſaris, vocare* Πραιτώριον, Prætorium. Τέως γὰρ, *olim enim Græci ipſam hanc vocem in uſum ſui ſermonis converterant,*

ut

ut pro palatiis & Aulis uſurparent; quemadmodum de Paulo non tantum, ſed etiam de Marco in Evangelio cap. 16. *conſtat. Poteſt igitur ſollicitudinem ſuam deponere Vir Cl. quam indicat his verbis* pag. 169. Non video, quo effugio, quod quidem aliquam ſpeciem habeat, evaſura ſit Adverſa pars. *quia ſcripſeram, tempore Chryſoſtomi Regiam Cæſaris non dictam fuiſſe* πραιτώριον, *& tamen deinde Leonem laudaveram, Prætorium adhuc de Palatio provinciali uſurpantem. Nam præter quod Leonis illa Conſtitutio Latine, non Græce conſcripta eſt, ego Chryſoſtomum negare dixeram, Cæſaris Regiam amplius* πραιτώριον *dici, non etiam in Provinciis nullum amplius uſum eſſe Prætoriorum; ſed de Provinciali uſu deinde, ſi neceſſe videbitur & tempus ferat, videbimus. Nunc acumen Cenſoris in animadverſione Contradictionis noſtræ erat* obiter *demonſtrandum.*

RESPONSIO.

Ad Cap. XXII.

Inutile prorſus hoc quidem eſt Caput, & profecto non niſi ad Capitum numerum ſpeciemque Libri ampliandam pertinere videtur. Exſpectaram equidem, ut jam tandem Vir A. oſtendere conaretur, ſicut promiſerat, quare στρατήγιον apud Dionem potius ſignificaret *judiciariam partem Domus*, quam aliam quamcunque: vel etiam, Cur, quum *Prætorii* Nomen pro Palatio ex ipſius confeſſione *fortean vix uſquam apud Latinos Scriptores inveniatur*, tamen iſthæc ejus interpretatio etiam in alieniſſimis Scriptorum Locis ſit nobis recipienda. Sed relabitur ſubito ad verba Pauli, meamque eorum expoſitionem denuo abſurdi incuſat, præteritis omnibus iſtis, quibus importunam illam inſimulationem jam ante intentatam confutavi. Scilicet alienum abs re eſt, Paulum, quando ſcribit Phi-

Philippenſibus, *res ſuas ceſſiſſe* jam *magis in profectum Evangelii*, addere iis, ſuam innocentiam, ſeu rationem vinculorum ſuorum, non in ullo crimine aut flagitio, ſed in ſanctiſſima pietate, & innocua Evangelii prædicatione conſiſtentem, manifeſtam evaſiſſe communiter non modo inter *Omnes alios* Vrbis Romæ homines, ſed & inter illos Milites, a quibus cuſtodiebatur. Si verum enim hoc eſſet de Militibus, debuiſſet *longe maxima eorum pars ad fidem Chriſtianam fuiſſe converſa &c.* At vero nihil tale legitur, quin immo tum illi milites ſub Nerone fuerunt *veluti Cloaca Impietatis & omnium Vitiorum*, tum in genere Omnibus militibus etiam vulgatiſſimo proverbio *Nulla fides pietasque* adſcribitur. Cuncta hæc jam refutata dedimus, tum in Diſſ. II. §. 50. tum in *Libro* hoc *Singul.* Cap. 6. Oſtendimus iſtic, licet vere milites plerique vitam agant ab omni pietate alienam, fuiſſe tamen in iis, & memorari in S. Scriptura, etiam *Pios*. Fuiſſe mili-

tes, de quibus Chriſtus dixerit, *ſe parem in Iſraële fidem non inveniſſe.* Fuiſſe milites, qui Johannem Bapt. rogaverint, *quid ſibi faciendum eſſet.* Fuiſſe milites, primitias Chriſtianiſmi ex Gentiliſmo. Denique fuiſſe militem ſeu Centurionem, qui Paulum, licet vinctum, in itinere humaniter tamen tractaviſſe legitur. Potuiſſem iis addidiſſe *Legionem Fulminatricem*, quæ precibus ſuis pluviam a Deo tempore oportuniſſimo obtinuiſſe perhibetur, ut & *Legionem Thebæam*, quæ ſub & a Maximiano martyrium ſuſtinuiſſe traditur, immo & *Militem* ſub Severo Imperatore *coronam* aſpernantem, tanquam ſi in ea quid idololatriæ ineſſet, & ita nimio iſthoc zelo perſecutioni ſæviſſimæ cauſam præbentem. Quid? quod etiam maxime impii & barbari milites ſæpenumero reperiuntur tamen, non dicam religioſi, ſed ſuperſtitioſi majorem in modum? Galli antiquiſſimi quum Capitolium obſiderent, & Fabius Dorſo habitu atque apparatu Sacerdotis ex eo deſcen-

cendiſſet, ut ſacrum gentile faceret in Quirinali monte, non modo inviolatus per medias hoſtium ſtationes iit rediitque, ſed & omni veneratione ab iis fuit exceptus. Verum hæc forſan iterum pedantica, nec ſatis digna reſponſu ducet Vir A. Certe enim nihil ad ea repoſuit, licet non deſinat abſurdi increpare, quod *Militibus* dicatur tantum *manifeſta evaſiſſe Pauli innocentia*, ut qui communiter Impii plerumque ſint, ſicut & fuerint ſpeciatim illi Prætoriani. Sed mirum profecto, non videre A. Virum, ſi qua ex his ſpecies abſurdi in meam inferri poſſet interpretationem, neutiquam minorem repertum iri etiam in ea, quam facit ipſe. Etenim vulgatiſſimo item carmine proverbii in modum generatim *Aula exire* jubetur, *qui velit eſſe pius*. Et ſi unquam de ulla id potuit vere dici, potuit veriſſime de aula Neronis, qui adeo ferre non valuit ſeveritatem ac virtutem Burrhi & Senecæ, ut illum veneno ſuſtulerit, hunc ex ſuo convictu dimiſerit, & dein neci quoque dederit, ſeq; & omnem Aulam permiſe-

 rit

rit Tigellino, & ſimilis ingenii hominibus. Quin qualis ea fuerit, & quantis ſceleribus imbuta jam ab ipſo imperii Neroniani initio, abunde cognoſci poteſt ex XIII. Annali Taciti. Vt ne dicam, annum, quo Paulus hanc Epiſtolam ad Philippenſes ſcripſit, fuiſſe ex ſententia Virorum Eruditiſſimorum, Vſſerii, Pearſonii, &c. Neronis nonum, quo jam tempore & ipſe & ejus Aula fuit citra controverſiam corruptiſſima, omnibuſque flagitiis contaminatiſſima. Quid igitur diſcriminis quæſo ex hac abſurdi ratione, inter meam de Prætorianis militibus, & Viri A. de iſthac Aula interpretationem? Quid cauſæ, quominus & ego iiſdem plane argumentis abſurdi arguere poſſim Viri A. ſententiam, quibus is meam? Indignum ſcilicet Paulo gloriante de ſucceſſu Evangelii, *Aulam Neronis*, ſcelerum omnium officinam, *primo loco celebrare, eamque Philippenſibus, ut fructum ſui laboris præcipuum oſtentare*. Sed memorantur tamen Fideles ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας, *ex Cæſaris domo*. Bene habet

bet, atque idcirco, quemadmodum in corrupta adeo Aula exſtitere tamen fideles, ſic ſane etiam nihil prorſus obſtat, quo minus bona fide credamus inter illos quoque milites, inter quos Paulus cuſtodiebatur, *manifeſtam* potuiſſe *evadere ejus innocentiam & vinculorum rationem*, quod unum in controverſo Loco affirmatur. Neque enim dicuntur *ad fidem Chriſtianam converſi*, non magis quam Julius centurio, qui & ipſe humaniter tractavit Paulum, licet haud dubie non alia item ratione, quam quia & ipſe innocentiæ & ſanctimoniæ Paulinæ rebus ipſis convictus fuit. Non dubitem tamen, hoc ipſum, quod ita *manifeſta evaſerunt vincula Pauli per omne Prætorium*, ceſſiſſe revera in profectum Evangelii, atque adeo etiam aliquos ex iis Militibus omnino fuiſſe converſos, licet nuſquam alibi in S. Scriptura de iis quid legamus, niſi hoc Loco; ſicuti nec de *Aulicis* converſis quicquam traditur, niſi quod ſemel tantum & obiter mentio fiat fidelium *ex Cæſaris*

 domo

domo alios ſalutantium. Neque ea accidere nobis mira debent, quum Paulus in hiſce Epiſtolis neutiquam ſibi propoſuerit ſuæ Prædicationis ſucceſſum Hiſtorice enarrare. Quod Vir A. mihi adſcribit *Milites Prætorianos non minus aſſidue ad habitationem Pauli, quam ad Palatium, quod cuſtodiebant, ſolitos commeare,* confictum eſt ab eo, certe a me nusquam dictum: ſicuti & falſiſſimum eſt, quod ait, *me conſtituere profectum Evangelii, de quo loquatur Paulus, in eo, quod Evangelium aſſidue inculcarit,* quum ex mea ſane ſententia, cauſa hæc fuerit iſtius profectus, in eum, tanquam finem ſibi propoſitum tendens. Vide me, ſi tanti hæc, ſupra pag. 272. & 276. ut & pag. 432. & 433. Quæ porro Vir A. de quadam Pauli politiâ ſive Aſtutia ex mea elicit interpretatione, vere abſurdiſſima ſunt, & riſu potius excipienda, quam reponendis rationibus. Profecto enim ſi cui aſtutum lubet fingere Paulum, ut qui voluerit quoquo modo *Pro-*

vin-

vincialibus inſinuare credulitatem bene de ſe ſperandi ex eo, quod ipſe jam Prætorianis Militibus ad animum pertineret, multo magis ita illum fingere poſſit ex eo, quod teſtetur manifeſtam evaſiſſe *per omnem Aulam, atque adeo apud ipſum Cæſarem & ejus Miniſtros* ſuam innocentiam. Sed talia comminiſci magnam profecto prodit veri & ſolidi inopiam.

In reſidua jam parte Capitis id agit Vir A. ut amoliatur contradictionis dicam, quam illi impegeram. Quæſtio erat inter nos de *Prætorio* Præfecti, *quod, ne rueret ſuper ipſum Præfectum*, ſe *fulturum* promiſerat: quid nempe Latinum illud vocabulum in re Vrbana & in iſthac Præfecti deſignatione olim ſignificarit. Vir A. qui cenſet fuiſſe *Prætorium* idem quod *Palatium*, ſeu ea vocabula fuiſſe promiſcuæ appellationis, id probare tum nitebatur primum ex Conſtitutione Imp. Leonis, dein ex eo, quod per tranſlationem tropicam etiam inſignes Domus in agris appellentur *Prætoria*, denique ex

Chryſoſtomo, qui dixerit diſerte, *Antebac* Palatium fuiſſe appellatum *Prætorium*. Heic ego, quum Chryſoſtomus vixerit ante Leonem, & ex ipſius Viri A. ſententia *Chryſoſtomi tempore non amplius fuerit eadem loquendi ratio*, ut ſcil. Palatium vocarent etiam *Prætorium*, rogavi eum, qua ergo ratione auderet in Conſtitutione Leonis *Prætorium* interpretari per *Palatium*, ſi jam tempore Chryſoſtomi in deſuetudinem abierit ille ejus vocabuli uſus. At vero Vir A. ut oſtendat Dialecticis & Syſtematicis nunquam deeſſe effugia, reſtringit nunc ſubito verba Chryſoſtomi, ſuamque eorum interpretationem ad *homines Græcos*, *qui antehac Latino Prætorii vocabulo uſi fuerint ad deſignandum Palatium*, *quod ſuo tempore non ita fiat*. Sed primo nullam facit Chryſoſtomus iſtic, ubi Latinum *Prætorii* vocabulum explicat, *Græcorum hominum* mentionem. Tantum ait, *antehac ita vocabant Principis habitationem*. Qui quæ-

ſo?

ſo? niſi Romani, quando alii non exprimuntur, imprimis ubi agitur de Latino vocabulo & rebus Romanis ſeu Vrbanis. Deinde neque Vir A. ullo modo aut verbo memoravit *Græcos*; quando id agebat ſimpliciter, ut doceret *Prætorium*, a quo Præfectus denominatur, eſſe idem quod Palatium, ſua ſcilicet, h. e. Latina in Lingua, uſus proinde etiam argumentis ex Latina Lingua petitis, Veluti ex Latina Leonis Conſtitutione, & ex tranſlatione Tropica *Prætorii* in Agris. Videsis, Lector, verba Viri A. ſupra pag. 96. 97. 98. 99. & judica *ullamne ſpeciem habeat* hocce effugium, quo contradictionis iſtic admiſſæ culpam evadere conatur.

CAP. XXIII.

Non ſequi ex eo, quod Prætorium apud Latinos Scriptores de Palatio directe non uſurpatur, ideo Prætorium non fuiſſe apud Aulam ſive Palatium, idque exemplis declaratur. Nec fuiſſe cauſam mutandi poſt Auguſtum antiquam Prætorii ſignificationem.

Sed Vir Cl. interpres novus, eo quod me adſtipulatum videt;

PRAE-

PRAETORIUM apud antiquos Scriptores Latinos non reperiri de Palatio Cæſaris prædicatum, ſe tenere τὸ κρινόμενον univerſæ diſputationis arbitratur; in quo rationem eum fugere, locus hic eſt demonſtrandi. Diximus ante hac, vulgo & *πανδημεὶ* domum Cæſaris non fuiſſe dictam Prætorium ſed Palatium, *cauſaſque deſuetudinis ejus varias dedimus. Quas antequam adſtruamus, præſumi velim, non raro fieri, ut ubi de rebus conſtat, nomina tamen in obſcuro & incerto hæreant: neque de rebus neceſſario veris, potiores cujuſque ſeculi Scriptores ſatis perſpicue loquantur. Ipſum modo novum Auctorem id audivimus querentem, etſi de judiciis in Caſtro Prætorio habitis actiſque non putet dubitandum, illa tamen a Scriptoribus non memorari: Etſi de illis neque rem neque nomen approbare potuerit. Nos auditorium diſceptandis Provincialium cauſis in Palatio fuiſſe poſt Neronem, attamen Neronis ſeculo, clariſſime oſtendimus.*

Sub

Sub Nerone idem non potuiſſe non exſtare, neceſſariis rerum argumentis demonſtravimus; Et tamen Auditorii Palatini, quod à rebus urbanis & ſumma Republ. circa quam præcipui Scriptores occupantur, erat alienum, nullam feciſſe mentionem expreſſam Neronianæ atque prioris Hiſtoriæ Scriptores, etiam vidimus; etſi luculentiſſime conſtet non raris vicibus aut fortuito, ſed adſiduo jus dictum eſſe in cauſis appellationum Provincialium infinitis, idque non in foro, ſed in loco, ubi conclavia ſecedendi pro judicibus aut litigantibus eſſent; ut in noſtris hodieque dicaſteriis videre licet; ſed dicta, non eſt quod repetamus. Latam eſſe legem temporibus Auguſti de Summa poteſtate ejus in Republ. qualis fuit Rogatio Valeria de imperio Sullæ, ut ille quæcunque feciſſet, rata eſſent, teſte Cicerone Orat. 3. in Rull. *copioſe probavimus ex Dione Caſſio potiſſimum in* lib. 1. Digreſſ. cap. 17. *Nec tamen hujus Legis Suetonium alioſque Latinos Scrip-*

Scriptores ullam diſerte mentionem feciſſe videmus; etſi de ſummâ poteſtate Principum ſatis luculenta eorum extant teſtimonia. Multo minus de nomine Legis illius, quam Juſtinianus & Veteres Juriſconſulti Legem Regiam *vocant, conſtat inter eruditos. Nec etſi de nomine, temporibus Auguſtæis, id non fuiſſe concedimus, ideo rem ipſam Auguſto delatam eſſe a Senatu Populoque ſummam & liberrimam poteſtatem in dubium vocari patiuntur innumeræ auctoritates & rationes, quas in* d. cap. 17. & ſeqq. *executi ſumus. Si fas eſt, exemplum, quod ob oculos ſit, iterum citare; Si quis domum Regis eſſe neget Lutetiæ Pariſiorum vel poſtumis temporibus id negandum putet, quia non ſolet AULA demonſtrari* La maiſon du Roy, domus Regis; *nec ita in ſcriptis olim exituris appelletur, rem nobis minime jam credibilem exiſtimaret. Sed tranſeamus ad rem noſtram, memores civilitatis, & judicio rerum humanarum mutationibus diſcernendis* attem-

attemperato inſiſtamus. Prætorium veteres ante Auguſtum non cognoviſſe in alio ſenſu, quam pro Tabernaculo, in quo Imperator degeret & judicia conſiliumque haberet, & quod Prætoriæ cohortes cuſtodirent, ipſe Vir Cl. in utraque diſſertatione ſua tradit & confitetur. Romani cum viderent, Auguſtum cohortes Prætorias in urbem deduxiſſe, ut cuſtodiendo corpori ipſius inſervirent partemque Palatii inſiderent, non potuerunt aliter, quam illam domum, in qua Imperator degebat & quæ a Prætorianis militibus cuſtodiebatur, eamve partem Domus (dicamus domum, quia Cæſaris habitatio conſtitit e multis domibus, ut omnes Aulæ Magnatum) habere pro PRAETORIO, quique militibus illic agentibus præpoſitus eſſet, Præfectum Prætorio. *Repeto, inauditum, incivile dictu & incredibile eſſe, Romanos Tabernaculum Imperatoris* Prætorium *appellare conſuetos; hanc ſignificationem vetuſtiſſimam notiſſimamque ſubito ad cohortes, quæ ſervando*

vando Tabernaculo per urbem erant diſperſæ, tranſtuliſſe, atque vocaſſe Prætorium, ſine ulla ratione; cum antiqui moris ſpecies, Tabernaculi ſive habitaculi Imperatoris & militum illud cuſtodientium ob oculos verſaretur, nec adeo cauſa vetuſti uſus invertendi ulla ſe offerret. Quod ſi novus Auctor cohortes ab Auguſto per urbem diſperſas non contendat tum fuiſſe dictas PRAETORIVM, quod non vidi adhuc eum adſeverantem; docendum erat, ubi ante Sejanum; quo auctore in Caſtrum coacti ſunt, Prætorium fuiſſet. Non poſſum, quin tertium hac occaſione cum illa continuatione priſtini ſenſus Prætorii *comparem Aſconii Pædiani verba pridem commemorata.* Prætorium, Tabernaculum *Imperatoris* dicitur & hodie quoque Præfectus Prætorio, *id eſt, Tabernaculo ſive habitaculo Imperatoris, maxime quatenus Prætoriani milites, qui ad Prætorium pertinebant, tendere ſolebant; ut quemadmodum Prætoriani & Prætorium*
ſunt

ſunt res adeo correlatæ, ut Prætoriani ſine Prætorio intelligi nequeant, ita neceſſe ſit, Prætorium fuiſſe, ubi Prætoriani tendebant.

RESPONSIO
Ad Cap. XXIII.

Progreditur tandem Vir A. ad demonſtrandam rem inuſitatam & inauditam, h. e. Vocabulum aliquod, in certam ſignificationem multis locis determinatum, accipiendum tamen a nobis alio plane ſenſu, & quidem eo, in quem a Veteribus nuſquam adhibitum occurrit. Fatetur enim, *Prætorium apud Antiquos Scriptores Latinos non reperiri de Palatio Cæſaris prædicatum*, immo cauſſas ejus rei exponit: & tamen *rationem me fugere* ait, quum inde conficio, neutiquam ergo *Prætorium* apud Veteres ſignificaſſe Palatium Cæſaris, multo minus judiciale ejus in Palatio Auditorium. Ratio itaque me fugit, quando hanc con-

 ſe-

ſequentiam necto & urgeo: In cujus rei, licet ea plusquam centies millenis in Locis nominata deprehendatur, ſignificationem nunquam tamen & nuſquam apud antiquos Latinos ſcriptores Latinum *Prætorii* vocabulum reperitur adhibitum, ejus rei ſignificatio iſti vocabulo in Veteri Latinorum Lingua tribui a nobis aut affirmari non debet. Novam profecto eſſe oportet Dialecticam, quæ hunc nexum *ratione deſtitutum* pronunciat. Verum quia inſuper quod ad Auditorii judicialis ſignificationem neque res ipſa, neque nomen ſive *Prætorii*, ſive etiam *Auditorii* iſthoc ſenſu apud Veteres primi Cæſarum ſeculi usquam occurrit, præſumit Vir A. & ſibi concedi poſtulat duo, quibus omnia incertiſſima, immo falſiſſima, obtrudi aliis facillime queant; Scilicet, *non raro fieri*, non modo *ut de rebus, quæ exſtiterint, potiores cujusque ſeculi Scriptores non ſatis perſpicue loquantur*; Sed & *ut earum nomina in incerto & obſcuro hæreant*. Ergo nihil mirum neque *Audito-*

ditorii judicialis ullum usquam illo tempore veſtigium inveniri, neque *Prætorium* unquam illo ſenſu adhibitum. Verum ſi maxime iſta ratio procederet, quid aliud inde ſequeretur, quam Poſſe tamen illud vocabulum eam habuiſſe ſignificationem, licet vere habuiſſe nullo ex Veteribus exemplo oſtendi queat. Abſurdiſſimum autem etiam communis ſenſus dictat, a *Poſſe* ad *Habuiſſe*, a *Potentia* ad *Actus* ipſos argumentari, ut facit hiſce ratiunculis Vir A. dum aſſerit, *Prætorium*, *licet fortean vix unquam apud Latinos Scriptores de Cæſaris Aula inveniatur*, vel judiciali Aulæ Auditorio; & iterum, licet *apud antiquos Latinos Scriptores non reperiatur de Palatio Cæſaris prædicatum*, tamen id revera ſignificaſſe, quia Analogice id Potuit ſignificare, vel potius *Debuit*. Ea enim ratio loquendi Viro A. eſt uſitatiſſima, quaſi ſignificationes vocabulorum eſſent prorſus neceſſariæ, ſeu ex Analogia neceſſario fluerent, & non dependerent ex incertiſſimo hominum

Analogiæ nullam ſæpe rationem habentium arbitratu. Huc enim redit omnis argumentatio VIRI A. pro iſta Neceſſitate ſignificationis Vſu deſtitutæ: *Prætorium* in Caſtris notavit ipſum ſummi Ducis Tabernaculum; Ergo etiam in Vrbe notare debuit ipſum Palatium, ipſam Imperatoris habitationem, licet nunquam in ejus, ſemper in alterius, Vrbanæ rei ſignificationem adhibitum occurrat, ipſa autem illa habitatio multis millenis in locis, ut dixi, occurrat, ſed aliis ſemper vocabulis deſignata; immo licet controverſum illud vocabulum proprio iſtius habitationis vocabulo, quod eſt *Palatium*, diſerte & manifeſte oppoſitum reperiatur; denique licet nunquam neque Imperatores in Vrbe appellati fuerint *Prætores*, ſicuti Duces & Præſides in Caſtris & Provinciis, unde iſtic *Prætorium*: neque ante Cæſares Vrbana habitatio Conſulum, quorum Tabernaculum Caſtrenſe itidem dicebatur *Prætorium*, unquam tamen iſthoc *Prætorii* vocabulo fuerit inſignita. Quid

poſſum

poſſum hic aliter, quam Viro A. ſua reponere verba, quæ mihi occinebat cap. VIII. *Probatio per argumenta cauſarum* (h. e, Analogiam) *Linguæ Latinæ adverſus Vſum popularem non poteſt admitti.* Vſus enim revera eſt, qui in Linguis dominatur, & ex Vſu ipſo demonſtranda Vocabulorum ſignificatio. *Conſuetudo*, ait Quinctilianus Inſtit. Orat. I. 6. *eſt certiſſima loquendi magiſtra.* Et *Sermo non ratione nititur, ſed exemplo. Nec Lex eſt loquendi, ſed Obſervatio, ut ipſam Analogiam nulla res alia fecerit, quam Conſuetudo.* Quin immo, ut exemplo rem firmem, quid magis alienum ab Analogia ſignificationum dari poteſt, quam quod, quum *Vadimonium* de omnibus judiciis, ſed maxime pecuniariis, ſeu litium privatarum, fuerit adhibitum, *Vades* tamen ab iis penitus ſint per Vſum quaſi excluſi ſubſtitutis *Prædibus*, & ad publica relegati? quod ipſum *Prætoris* vocabulum tributum olim Conſulibus, quod *præire populo* deberent *in bellum*, de-
 in-

inceps, licet munere eo *in bellum præeundi* apud Conſules manente, tranſlatum tamen ſit ad aſium Magiſtratum, qui quando inſtitutus eſt, unice juris dicundi cauſa conſtitutus fuit? Scilicet *Faſtoſus eſt* ille *Vſus*, & *argumentum a Conjugatis aut Similibus petitum pro nihilo putat*, ut loquitur Vir Eruditiſſ. Joh. Fred. Gronovius Obſerv. III. 13. pluribus id exemplis ibidem adſtruens.

Sed redeamus ad præſumpta, ſeu Poſtulata Viri A. & videamus eorum probationem, ubi prætermittemus, quæ de *Neceſſitate* Auditorii judicialis repetit, ſiquidem ea ſatis ſuperque refutata dedimus ad Cap. XX. & XXI. ut & quæ de *judiciis in Caſtro Prætorio habitis*, quorum *neque rem neque Nomen probare* potuerim, denuo affirmare non veretur, licet quod eorum proprium *Nomen* deſideret ignorem, rem vero ipſam abunde probaverim ad Cap. XVIII. Paulo autem uberius hic nobis agendum erit de *Lege Regia*, quam velut in exemplum

ad-

adfert, ut quæ,& cujus Nomen a poſte-rioribus tantum memoretur, non item ab illis, quorum ſeculo ſit exorta. Nihilominus tamen de ea quidem recte ſentit ipſe Vir A. ut liquet ex ejus Digreſſionibus, nunquam ſcil. illo ſeculo, quo lata eſt, appellatam fuiſſe *Legem Regiam*, ſed demum tempore Severi, vel circiter, quando jam adductius imperitabatur, id nomen accepiſſe; ferme ſicuti Ego Auditorium judiciale in Palatio primis Cæſaribus pernego, at Severo & ejus ſucceſſoribus negare prorſus nolim. Illud autem *Prætorii* voce deſignatum unquam fuiſſe, conſtanter inficias eo. Sed quemadmodum Vir A. hanc ſententiam iſtiuſmodi poſtulatis ſubvertere conatur, licet neque Severi temporibus aut deinceps *Prætorii* vocem pro Auditorio iſthoc uſurpatam oſtendere uſquam poſſit, ſic ſi cui ſimiliter,& iisdem poſtulatis,affirmare luberet, jam Auguſti tempore Legem illam appellatam eſſe *Regiam*,quid quæſo eſſet reſponſurus? Si diceret nuſquam a Scriptoribus Auguſtei ſeculi

ita appellari, nihil hoc foret, ſiquidem ex ipſius ſententia *non raro fiat, ut, ubi de rebus conſtat, nomina tamen in obſcuro & incerto hæreant*, & jam altero ſtatim ſeculo, quod de *Prætorio* affirmare neutiquam poteſt, extra controverſiam Lex iſta illud nomen habuerit. Sin reponeret, odioſum nimis fuiſſe *Regium* illud nomen, quam ut jam ſub Auguſto adhiberi a Romanis in hunc modum potuerit, refelli poſſet iterum ſuis verbis, quibus Cap. XXV. hanc rationem, in Caſtrenſi voce *Prætorii* Vrbanæ Cæſarum habitationi deneganda, eludere conatur. *Fuerit odioſum*, inquit, *in Vrbe Prætorium: Non fuiſſe propterea, minime liquet, aut probabile ſit.* Similiter ergo, *Fuerit odioſa Legis* Regiæ *appellatio. Non fuiſſe propterea ita jam tunc appellatam, minime liquet, aut probabile ſit*, præſertim quum certiſſimum ſit, proximo inde ſeculo vere ita vocitatam, quin & primo jam ſeculo de Cæſaribus eorumque Imperio βασιλεῖας & *Regni* appellationem fu-

fuiſſe receptam. Vide Tacitum An. XII. 5. & paſſim Joſephum. Viderit ergo, quomodo per iſthæc poſtulata ſalva ipſi maneant verba, quæ de Lege Regia Digreſſ. I. 29. protulit, *Ab initio quamlibet potius, quam* Regiam *appellationem accepiſſe, neque DIV Poſtea id habuiſſe, certum eſt;* aut quomodo iſthoc *Regiæ Legis* exemplo ſuam *Prætorii* interpretationem, nullo Vſu, aut Veterum auctoritate nixam firmare poſſit, præſertim quum ne quidem res ipſa, h. e. Auditorium judiciale, primo Cæſarum ſeculo, neque ab ejus Temporis, neque a ſubſecuti Scriptoribus, uſquam tribuatur. Fateor tamen, accidiſſe id quidem haud ita raro, ut res quædam minoris momenti revera exſtiterit, licet iſtius temporis Scriptores nullam omnino ejus faciant mentionem. Sed ex eo velle argumentari præter omnem auctoritatem, ad res, quæ ſaltem aliter ſe habere poſſunt, & certe aliter ſe habuerunt, primis quibuſque temporibus aſſerendas, ſummæ profecto vel

vel temeritatis eſt vel inſcitiæ. Quæ enim & qualia iſthoc argumento non poſſent tribui Auguſto & primis Cæſaribus adverſus communem Eruditorum ſententiam, omnem veriſimilitudinem, & juſtiſſimas in contrarium rationes? Multa enim fuere; quæ, licet quo proprie anno cœperint, docere non poſſimus, tamen ſub vel a ſequentibus demum Cæſaribus inſtituta eſſe, nemo cognita temporum diverſa ratione dubitat. Quæ Vir A. de *Domo Regis* Lutetiæ Pariſiorum adſpergit, alieniſſima vere ſunt. Aliquam haberent ſpeciem, ſi negaſſem, *in Vrbe fuiſſe Cæſaris Domum*, tantum eo, quod illa vix aliter quam *Aula* vel *Palatium* appellatur. At longe aliud eſt, quando nego rem minime veri ſimilem, Domum ſcil. Vrbanam Cæſaris præter omnem neceſſitatem, præterque auctoritatem, Caſtrenſi & Militari vocabulo inſignitam.

Redit in extremo Vir A. ad aſſerendam denuo *Prætorii* interpretationem ex Analogia Tabernaculi Caſtrenſis

modo

modo memorata, ſed quam clariſſime refutavimus ad Caput VIII. & IX. ſicuti ad Cap. VII. Aſconii locum hic quoque repetitum, ut oportet, explicuimus, & denique illam relationem inter *Prætorium* & *Prætorianos*, quam nobis identidem obtrudit, jam ad Cap. IX. & XIII. manifeſtum in modum exploſimus.

Sed obſtrepere clariſſimæ licet Veritati non deſinit, *Repeto*, enim ait, *incivile dictu & incredibile eſſe*, *Romanos Tabernaculum Imperatoris* Prætorium *appellare conſuetos*, *hanc ſignificationem tranſtuliſſe ſubito ad Cohortes*. At vero meæ Interpretationis Analogiam Vſu ipſo firmatæ, probavi ſatis prolixe, Diſſ. II. §. 8. & 9. & in hoc *Lib. Sing.* ad Caput VIII. Sed & ſæpius inculcavi, neutiquam cenſere me, Mutatam eſſe *Prætorii* ſignificationem, quum mea ex ſententia, ſicut ante, ſic & ſub Cæſaribus, notarit ea vox in Caſtris Tabernaculum ſummorum Ducum, in Provinciis Habitationem Præſidum, qui

Præ-

Prætores utrobique dicebantur: at in Vrbe, poſtquam Prætoriæ Cohortes in eam ex Caſtris tranſlatæ, primo forſan Locum, ubi illæ pariter tendebant, deinde vero etiam ipſum illarum Cohortium corpus. Et quæ, obſecro, eſt ratio, quare hoc incivilius & incredibilius habeatur, quam quod ipſum *Prætoris* nomen, ut paulo ante oſtendi, a ſummo Magiſtratu, qui *in bellum præire* Civibus debebat, ſubito tranſlatum fuerit ad Novum Magiſtratum, qui unice juris dicundi gratia conſtitutus eſt? Quid? Nonne ſimiliter in ipſa militia *Manipulus*, quo proprie notatur tantum fœni vel ſimilis materiæ, quantum manu comprehendi poteſt, dein tamen, quia manipulus fœni perticæ præfixus pro ſigno militari erat primis Vrbis Romæ conditoribus, deſignavit etiam certum Militiæ corpus, unius primum centuriæ, poſtea duarum? Sed & *Cohors* a *coercendo*, ut vult Varro, dicta, & ſeptum in Villa primitus denotans, quo continebantur

pecora

pecora aut Gallinæ, aliæve Aves, nonne cœpit deinceps, vulgatiſſimo quidem more, itidem aliud quoddam Militiæ corpus ex tribus Manipulis conſtans ſignificare? Dicat quis, *incivile* id eſſe, & *incredibile*. Factum tamen. Quinimmo, quia Vir A. identidem ad hæc tempora & Gallicam decurrit Linguam, *La Maiſon du Roy* apud Gallos proprie quidem & vere notat *Domum Regis*, ſed quia, ut Regem cuſtodiant, ad eam proinde Domum metari & excubare debent Prætoriarum ſeu Regiarum Cohortium Milites; hinc etiam illorum Militum corpus univerſum notari cœpit iſta locutione. Quæ quum ita ſe habeant, quum vere ita facta ſint, & fiant, rogo Te, Lector, an ergo magis *incivile dictu & incredibile* haberi debeat, *Romanos Tabernaculum Imperatoris Caſtrenſis* Prætorium *appellare conſuetos, id nomen etiam ad Cohortes ipſas, quæ juxta illud tendebant, & in eo excubabant, tranſtuliſſe*: Vel etiam, Locum ſeu Caſtra ad Vrbem, ubi pariter

riter & perpetuo tendebant illæ Cohortes, *Prætorium*, vel *Prætorium Caſtrum* vocitare ſolitos, hanc appellationem communicaſſe cum illis ipſis Cohortibus, quæ iſthoc Loco continebantur. Sed poſtulat Vir A. ut doceam, ubi ante Sejanum, quo auctore in Caſtrum Prætorium coacti ſunt Milites Prætoriani, *Prætorium* in Vrbe fuerit: quaſi neceſſe eſſet, ut ſemper iſtic res aliqua exſtiterit, quæ *Prætorium* fuiſſet appellata. Quod ſi ita ſentit, velim & ipſe me doceat, ubi ante Auguſtum fuerit Vrbanum illud *Prætorium*, & an etiam Julii Cæſaris Vrbana habitatio iſthoc vocabulo fuerit inſignita? Ego verò, utrum jam ſub Auguſto Prætoriæ Cohortes *Prætorii* nomen habuerint, nec ne, aſſeverare neque volo, neque poſſum, quia ex illius Temporis Scriptoribus Loca, quibus id probem, non habeo, ſicuti habeo deinceps ex Tacito, Suetonio, & Marmoribus conplura. Nullam tamen eſſe rationem, quare jam illo tempore, immo & in Caſtris, ita ap-

appellari non potuerint, affirmare non vereor.

CAP. XXIV.

Quod Prætorium apud Latinos Scriptores de Aula vel Palatio non legitur uſurpatum, id nec inſolens eſſe, nec veritati contrarium, rationibus, auctoritate & exemplis declaratur.

Manifeſtum igitur eſt, Romanos Prætorium aliter non potuiſſe accipere, quam pro loco habitationis Imperatoriæ, juxta quem cohortes Prætorias tendere videbant; Nunc qua ratione factum ſit, ut nomen tamen Prætorii *de Palatio quotidiani ſermonis uſu non ſit frequentatum, ediſſeramus. Dion Caſſius in partes iterum vocandus, qui nos alias clariſſime edocuit, quo pacto Lex Imperii de primis Imperatoribus lata ſit, nec tamen uſquam a Scriptoribus Latinis ejuſdem temporis commemoretur; qua de re plena manu dedimus, quod res ferebat in* d. libr. 1. Digreſſ. c. 16. & ſeqq. *idemque nobis cauſam reddit, qua factum eſſe videbimus,*

ut

ut Prætorium per ſe tanquam domus in urbe Roma, nomine Prætorii, celebratum vulgoque ſeorſim uſurpatum non fuerit, ſed vix alias quam ubi qualitatem adderet hominibus, ut cum miles e Prætorio, Tribuni, Centuriones Prætorii, denique Præfectus Prætorio nuncupatur, quem Præfectum in hac qualitate primum inter civiles Magiſtratus habere locum Pandectæ Juris & Hiſtoriæ loquuntur, quæ δευτέραν ἀρχὴν μετὰ τὰ σκῆπτρα, ſecundam hanc poteſtatem poſt ſceptra *vocant. Quod ſi Prætorium nihil fuerit, quam cohortes Prætoriæ, nihil ea res ad judicia pertinebat. Sed ad rem præſentem verba Dionis pauca illa pridem citata repetenda ſunt,* Καλεῖται δὲ τὰ βασίλεια Παλάτιον, ὅτι ἔν τε τῷ παλατίῳ ὁ Καῖσαρ ᾤκει καὶ ἐκεῖ τὸ στρατήγιον εἶχε. Imperatoris ædes vocantur Palatium, quia non modo Cæſar in Palatio habitabat, ſed etiam Prætorium illic habebat. *Prima poſitio Dionis eſt hæc, Regia Domus vocatur Palatium: Hæc eſt prima ratio, quam etſi Prætorium eſſe,*

eſſe, ubi Imperator habitabat, omnes intelligebant, nec alium lingua Latii tum utique adhuc ſenſum vocis receperat, tamen habitaculum Cæſaris in urbe, licet ibi cohortes Prætorio cuſtodiendo adhibitæ verſarentur, non fuit deſignatum appellatione Prætorii; quoniam aliud nomen potius & ſufficientius prævenerat ac prævaluerat, Palatium, *a monte, ſive ſitu Domus Regiæ. Hanc domum Cæſaris duabus partibus deſcribit*, habitatione, Prætorio. *Habitatio in his verbis*, quia Cæſar in Palatio habitabat. *Prætorium in ſequentibus*, καὶ ἐκεῖ εἶχε τὸ στρατήγιον. *Habitatio Imperatoris urbana diſcrepabat ab ea, quæ fuerat in Caſtris. In urbe totam fortunæ ſuæ molem domo ſua complectebatur, in Caſtris magna pars aberat, aut alibi viciniæ tendebant. In urbe igitur duæ partes erant Domus Regiæ, Cæſaris habitatio & Prætorium. Paulus etiam diſtincte ad Philippenſes* ἐν πραιτωρίῳ *in* Prætorio, *ubi agit de apologia ſua; In fine epiſtolæ* Καίσαρος

οἰκίαν *diſtincte memorat*, Cæſaris habitationem, *ubi de fidelibus Aulæ miniſtris loquitur. Statio militaris, ſtrepitus & manſio ejus; Multitudo proſequentium vel audientium lites a toto orbe terrarum ad Principem delatas, de quibus egimus, neceſſario locum requirebat peculiarem, fuitque pars illa Prætorium, nec potuit ita non appellari. Sed quia pars erat Palatii, quod nomen erat auguſtius & loci proprium, quia Scriptores Latini non agunt de litigiis Provincialibus, ſed de urbanis & ſenatoriis, ut adverſa pars ipſa commentatur, non eſt mirum, Prætorii appellationem ſub palatio eſſe comprehenſam. Qui his diebus Hagæ Comitis agit*, Aulam *in omnium ore verſari intelligit, Aulam appellari totam molem ædificiorum* ἐν κύκλῳ *publicorum; Ibi non modo Principis habitatio, ſed & diætæ Ordinum Generalium. Ordinum Hollandiæ, Auditoria Curiarum tam Juridicarum quam Rationalium; domus omnes diſtinctæ. In media Aula roget pere-*

peregrinus, ubi ſingulæ ſint partes, & ubi Curia Hollandiæ. Sola nominatur Aula, ſola nominata legitur in editis libris & legetur futuris ſeculis. Curiarum appellatio ſub Aula comprehenditur & abſorbetur. Hoc hodie videmus fieri clareque factum videmus Romæ. Dicat poſthac aliquis, ſi incidat, ut negetur, Curiam Hollandiæ fuiſſe in Aula Hagienſi, proferatur ullus ſcriptor, qui Aulam Hagienſem vocet Curiam; *non minus pertinaciter hoc quiſquis erit, urgere poterit, quam nunc præfracte negari intelligimus, in Palatio, in Aula Romana fuiſſe Prætorium. Reſpondere poterit negotii gnarus; Aula Hagienſis non fuit Curia; ſed pars Aulæ fuit Curia, Curia fuit in Aula, apud Aulam; ideo non poteſt Aula caſu recto vocari; Nos idem de Prætorio. Dion idem; Palatium, Regia, non fuit Prætorium, Sed Prætorium in Regia, apud Regiam fuit. Qui cauſam agit in Auditorio Curiæ Hollandiæ, hic demum poteſt dicere,* Sum in Auditorio Cu-

riæ, in Curia; *nec tam dicit*, Sum in Aula, *nedum* in domo Principis, *etſi vere ſit in Aula. Ita Paulus agens cauſam in Prætorio parte Aulæ, non ait*; in Palatio, in habitatione Cæſaris; *Sed in* Prætorio, *ſic loquitur in loco controverſo: Alibi* Καίσαρος οἰκίαν, Cæſaris habitationem *vocat, ubi relatio ad Auditorium juridicum ceſſabat. Scriptores Latini, qui de rebus Cæſarum agunt, non loquuntur de negotiis & concurſationibus aulicis vel provincialibus Aulæ litigiis, ideo nec uſus fuit, ut Prætorii, quod haud aliter quam cum relatione particulari nominabatur, ſeorſim a Palatio facerent mentionem. An ſi Gallorum relationes, de intricationibus Aulicis, nunc in omnium ore ſunt, quod in Romanis Sriptoribus non videmus, ideo minus Romæ fuiſſe videbuntur? Aut ſi Tacitus & Suetonius non referunt audientias cauſarum Provincialium, ſine fine numeroque ad Principem delatarum, ut demonſtravimus, ideo negare fas erit ullas fuiſſe? rem inſanam!*

ſanam! An centum millia cauſarum, quæ facile in anno ex toto orbe Terrarum tam civiles quam criminales ad Aulam transmiſſa ſunt, in Cubiculo Principis, aut in carcere, demonſtratione calvi ad calvum, *quod novus Auctor, ſi recte recordor*, alicubi *urget, confecta putabimus? Juriſdictionem Aulæ quotidianam memorant Juris Auctores, ut audivimus, in utroque Severo, in Antonino Pio, quod habuimus, in Marco Philoſopho, quod addo ex* l. 22. in pr. D. Ad Sc. Trebell. *Nec tamen Hiſtoriæ Auguſtæ vitarumque illorum Scriptores, ejus rei ullam feciſſe mentionem, mihi quidem conſtat, & ipſi Juris Auctores nuſquam id opera data, paucis locis obiter ex occaſione, commemorant. Non habemus Scripta, niſi pauciſſima Jurisconſultorum, qui ante Pium & Hadrianum floruerunt; Si extarent pleraque, non deeſſent exempla cauſarum in Aula, in Auditorio Neronis primorumque Cæſarum diſceptatarum. An quia accidit ut in his paucis illo-*

rum ſcriptis non reperiantur, omnino fuiſſe, quod non potuit non eſſe, negabimus? Et quia Tacitus ac Suetonius non referunt, quod nec Capitolinus, Spartianus cæterique Suetoniani inſtituti continuatores narrant; licet exſtitiſſe palam ſit; ideo ſub Nerône non fuiſſe, quod abeſſe non potuit, audacter adfirmabimus, eo quod Juriſconſulti exempla referentes eorum temporum deſunt?

RESPONSIO
Ad Cap. XXIV.

M*anifeſtum*, ait iterum Vir A. *Romanos Prætorium aliter NON POTVISSE accipere, quam pro Loco Habitationis Imperatoriæ.* Quis non miretur confidentiſſimam illius *Manifeſti, Non Potuiſſe*, aſſertionem, quum inter omnes, qui in interiorem alicujus Linguæ cognitionem penetrarunt, ſatis conſtet, ſignificationes vocabulorum oriri plerumque ex incer-

certiſſimo & ſæpe fortuito plane Vulgi prævalentis arbitrio, quod nullis Legibus hac parte cohibetur, aut cogitur ad *Non Poſſe*: atque ita penes Vſum & Conſuetudinem, cujus aliquando nulla poteſt reddi ratio, eſſe omne arbitrium, & vim, & normam loquendi? Quid non poterit, quid non volet Vſus, quum (non inculcabo jam iterum vocabuli *Prætoris* originem & ſignificationem primam, eamque, quam deinceps volente Vſu in Vrbe obtinuit, primæ nulla ratione congruam) Militare item vocabulum, *Tribunus*, quo deſignabatur mille militum, quos olim ſingulæ Tribus in Legionem conferebant, Præfectus, datum ſit dein ſine ullo reſpectu *Tribuum*, unde ea vox originem trahit, ſine ulla utriusque Muneris ſimilitudine, Vrbano plane & plebejo Magiſtratui, qui plebem adverſus vim Senatus tueretur, idque nulla haud dubie alia ratione, niſi fortuiti caſus, quod, qui primi deſignati ſunt Tribuni plebis, eo ipſo tempore in exercitu erant Tribuni Militum?

Quid magis videri poſſet ἀδύνατον, ſi quicquam plane id eſſet in Linguis, quam iisdem vocabulis diverſiſſimas & pene prorſus oppoſitas aſſignari ſignificationes? Factum id tamen; Et ejus generis eſt, quod *Tollere* modo notet aliquem e medio removere, ut non amplius compareat, modo elevare in altum, ubi omnibus eſt conſpicuus. Notum eſt illud ex Suetonio, *Suſtulit hic* (Nero, qui occidit) *Matrem, ſuſtulit ille* (Aeneas, qui humeris geſtavit) *patrem*. Tale etiam, quod *Deprecari* dicamur modo illud, quod valde expetimus, modo, quod prorſus averſamur, quo tam contrario ſenſu invenitur in uno Juſtini loco XI. 9. quod *Vindicare injuriam* nobis factam notet punire & ulciſci, *dignitatem* vero, ſignificet aſſerere eam & tueri, apud Petronium in uno itidem loco. Quamplurima dari queant, ſi operæ id foret, ſimilia translatæ ita ex una in aliam & diverſam adeo ſedem ſignificationis vocabulorum exempla, quibus nulla ſæpe ineſt ratio, niſi occaſionis aut arbitrii hominum

minum incertiſſimi, vel ſaltem longiſſime petita. Sed &, quam ſæpe etiam Caſus dominetur in conſtructionibus ſimul & ſignificationibus, quin immo quam recedat ſæpe ab Analogia, aliquando etiam ex errore & Abuſu oriatur Vſus ſeu Nova Vocabulorum ſignificatio, multis & paſſim docui ad Sanctii Minervam.

Deinde vero abſurdiſſimum eſt pronunciare *Manifeſtum, Non potuiſſe* a Romanis aliter accipi *Prætorium*, quam pro Habitatione Imperatoria; & tamen cogi contra ad agnoſcendum in eodem Capite, *Non legi apud Latinos Scriptores de ea uſurpatum*, ut in argum. Capitis Vir A. loquitur, ſeu, ut mox ait, *Habitaculum Cæſaris in Vrbe non fuiſſe deſignatum appellatione Prætorii.* Ergo, Non Potuerunt Romani in alterius Vrbanæ rei ſignificationem adhibere *Prætorium*, quam Palatii: & tamen hoc minime fuit a Romanis ea *prætorii* voce deſignatum. Sed, ait, licet *Prætorium* non fuerit *per ſe & ſeorſim* eo ſenſu uſurpatum,

tamen id fuit, *ubi qualitatem addebat hominibus*, Veluti, quum dicebatur *Miles e Prætorio*, *Centurio*, *Tribunus*, *Præfectus Prætorii.* Ego vero primum accipio illud, quod ergo *per ſe & ſeorſim* de Palatio non uſurpetur, licet hoc quidem innumeris in Locis apud Veteres memoratum occurrat. Deinde vicerit ſane, ſi oſtendere queat, alios etiam, quam Milites Prætoriarum Cohortium, eorumve Duces, ex *Prætorio* deſcribi. Inveniuntur paſſim *Palatini*, *Aulici Miniſtri*, *Servi*, &c. Cur nuſquam ſimiliter *Prætoriani*? *Palatini Atrienſis cella de cœlo tacta.* Suet. Calig. 57. *Palatini Cubicularii* Capitol. Pertin. c. 11. *Palatina officia* Lamprid. Heliog. 6. *Palatini* ſimpliciter Alex. 15. *Aulici Miniſtri* Pio 6. & 10. *Aulici Liberti* Comm. 7. *Aulicum Miniſterium* Alex. 15. & 41. *Aulicum famulitium*, Septim. Sev. 6. Et quemadmodum paſſim *Domus Palatina*, ſic *Aulica* Marco 5. Macr. 9. Heliog. 8. *Regia* Gall. 9. Cur quæſo nuſquam eodem modo *præ-*

Prætoriana vel *prætoria Domus*, *Prætoriani Miniſtri*, *Liberti* &c. ſi *Prætorium*, vel ſeorſim, vel in qualitate hominibus addenda, notavit Domum Vrbanam Imperatoris, æque ac *Palatium* & *Aula*? Cur nusquam ea qualitatis commemoratio, deprehenditur, niſi in iis, qui Prætoriarum erant Cohortium vel Milites vel Duces, immo cur in his ſolis adeo frequentatur hæc appellatio vel deſcriptio, & tamen iidem contra vix unquam, nec niſi ſemel apud Plutarchum ἀυλικοὶ, a *Palatio* vel *Aula* denominantur, ut dicantur ſicuti *Milites ex Prætorio* vel *Prætoriani*, ita & *ex Palatio* vel *Palatini*. Nempe quia aliud *Palatium* erat, aliud *Prætorium*, & hoc nihil aliud in Vrbe denotabat, niſi Prætoriarum cohortium corpus, vel Locum, ubi pariter illæ tendebant, ex quo proinde illi Milites ſoli deſcribi ſolebant & poterant.

Cæterum ſi inter confidentiſſimam illam aſſertionem, & agnitum tamen neceſſario *Prætorianæ* appellationis

de

de Palatio defectum, non manifeſta eſt ſatis contradictio; erit certe inter illam ipſam aſſertionem, qua affirmat *Manifeſtum, Romanos non Potuiſſe Prætorium aliter accipere, quam pro Loco Habitationis Imperatoriæ*: & quod dein hoc eod. Cap. tradit, *Prætorii* voce fuiſſe deſignatum non Cæſaris habitaculum, ſed Locum Auditorii judicialis apud & præter Habitationem, ſeu, *Palatium, Regiam, non fuiſſe Prætorium, ſed Prætorium in Regia, apud Regiam fuiſſe*, plane quemadmodum *Aula Hagienſis non ſit Curia Hollandiæ, ſed Curia ſit in Aula.* At ſi Prætorium in Vrbe *Non Potuit* aliter accipi & adhiberi, quam de ipſo Cæſaris Habitaculo, idque ex hac ratione, quod in Caſtris notarit Tabernaculum Imperatoris vel ſummi Ducis, ut ſæpe Vir A. ex Aſconio ingeminavit, quî ergo ſit, ut dein ſubito & proprie dicatur *fuiſſe Auditorium judiciale apud Habitaculum* quidem ſeu οἶκον, ſed tamen diverſum & diſtinctum ab eo Habitaculo, quod idcirco pro-

proprie loquendo non fuerit *Prætorium*, ſicuti ipſa Hagienſis Aula non ſit nec dici poſſit *Curia*, nec etiam Curia in recto caſu vocari queat *Aula?* Sed ita ſolent, qui parum vera docent, parum ſibi conſtare. Tu vero, mi Lector, exſpectabis jam haud dubie, ut Vir A. qui hanc diſputationem ſuſcepit unice eo nomine, ut *fulciret Auditorium Præfecti prætorio ſuper ipſum ruens, quia nullum ei Prætorium reliqueram præter cohortes Prætorias*: qui dein definivit *Prætorium* tempore Libertatis & in Caſtris per *Tabernaculum Imperatoris in quo ipſe egerit*, (h. e. habitaverit ſeu vixerit) *& auditorium habuerit*, at tempore Cæſarum, & in Vrbe, per illam *Partem palatii, in qua fuerit* proprie *Auditorium Imperatoris & ejus Præfecti, cum ſtatione Militum Prætorianorum*: qui denique poſteriorem hanc definitionem in extremo plane *Singularis* hujus *Libri*, quaſi re bene geſta & ſatis probata, repetit: ut ille, inquam, hoc tandem

Capite

Capite me & Te doceret, quod toties a me efflagitatum eſt, qua ſcil. auctoritate, vel ratione, aut Analogia ſive ex Caſtris ſive ex Provinciis ſive ex Vrbe ducta, *Prætorium* proprie & ſpeciatim denotaſſe dictet *Auditorium judiciale*, extra & præter ipſam *Habitationem*, cujus denotandæ Analogia ex Caſtris ſeu Caſtrenſi Tabernaculo, in quo agebat Prætor, aliqua ſaltem ſpecie poterat peti: ſeu quare, ſi maxime fuiſſet in Palatio primorum Cæſarum ſtatum aliquod & publicum judiciis exercendis Auditorium, quod tamen nego, quare illud *Prætorii* voce deſignatum, & proinde tali ſenſu in Paulo præter ullam alicujus exempli auctoritatem accipiendum omnino, credere debeamus: quare etiam τὸ ϛρατήγιον ſimpliciter & ſine ulla deſcriptione a Dione memoratum, & ab οἴκῳ ſeu *habitatione* ipſa Cæſaris diſtinctum, intelligi a nobis debeat *de judiciaria potius parte Domus*, *quam de ullo alio aut aliis uſibus deſtinato apud Aulam loco*, veluti, ſtatione Militum Prætoria-

rianorum, quam iſtic fuiſſe certum eſt, quum Auditorium judiciale, eo certe tempore iſtic exſtitiſſe, probari nequeat, & haud dubie, ut ſupra multis docuimus, falſiſſimum ſit. Hæc debuiſſet Vir A. declaraſſe, ut firmaret ſuam illam definitionem, ſuique *præfecti Auditorium*, vel *Prætorium* vere *fulciret*. Sed cave, Lector, tale quid exſpectes. Volve, & revolve, ac perluſtra quam diligentiſſime non modo totum hoc Caput, ſed & totum hunc Librum. Cauſa cecidero, ſi ullum iſtius maxime κρινομένυ argumentum ſeu documentum, vel ex Vſu & Auctoritate Veterum, vel ex ratione & Analogia petitum uſquam deprehendes. Sed quid dico? Perpetuam illam & Dictatoriam Viri A. rationem, qua in omnibus defungitur, & omnes nodos ſecat, heic quoque invenies. Scilicet Multitudo Litium Provincialium requirebat *neceſſario* Locum peculiarem in Aula, in quo diſceptarentur. *Hic Locus fuit Prætorium, nec Potuit non ita appellari.*

Egre-

Egregie ſane! Sic breviſſime repellitur Adverſarius, & demonſtratur, ſi Diis placet, veritas. Tu vero, mi Lector, Vide omnino Diſſert. II. §. 25. & mirare tam confidenter iſta heic denuo affirmari, licet clariſſime illic jam oſtenderim; nullum eſſe exemplum, immo nullam ex Vſu Linguæ Veteris dari poſſe rationem, qua liceat nobis *Prætorii* appellationem ita præter omnem Veterum auctoritatem transferre ad Auditorium judiciale: Porro *Prætorium* in Caſtris ſignificaſſe ſimpliciter ipſum Prætoris ſeu Ducis Tabernaculum, ut ex Aſconio toties ipſe Vir A. inculcavit, idque eadem ratione, qua *Quæſtorium* iſtic notabat Tabernaculum Quæſtoris, & *Prætoria Navis*, integram Navim, qua Prætor vehebatur: Denique in Provinciis quoque *Prætorium* ſignificaſſe ipſam Prætoris ſeu Præſidis Domum; ipſam ejus Aulam: nunquam fuiſſe diſtinctum aut excluſum a directo Habitationis Prætoriæ ſignificatu, nunquam reſtrictum ad peculiarem juris

dicundi

dicundi locum; immo diſertiſſime aliquando ei oppoſitum, adeo ut Præſes provinciæ *ex prætorio proceſſiſſe* dicatur *in Forum*, ubi Reos vocaverit, cauſam cognoverit, & ſententiam pronunciaverit: in Prætorio autem, ſeu præſidis domo, auditos quidem nonnunquam, & examinatos, ſed privatim, Reos, cauſamve ex parte cognitam, ipſa vero judiciorum ſolennia pro Tribunali in publico ſemper loco exercita. Hæc ego omnia vel maxime ad hanc controverſiam pertinentia, oſtenderam iſtic & probaveram clariſſimis documentis, quæ proinde Vir A. refutaſſe debuiſſet docendo contrarium. At ille plane ea diſſimulat & præterit tacitus, & tamen, minime probato Vſu iſtius ſignificationis, nec probata vel in ſpeciem ejus Analogia, pronunciare non deſinit, *Prætorium* eſſe proprie Locum peculiarem in Palatio, ubi judicia exercerentur; *nec Potuiſſe non Locum illum ita appellari.*

Vnum tamen, ſed quaſi prætere-

undo adfert, quod aliquam argumenti ſpeciem habeat ad probandum, *Prætorium* denotaviſſe locum judiciis exercendis deſtinatum. Præfectus enim Prætorii, ait, ſecundam ſeu proximam poteſtatem poſt Imperatorem ipſum ante *civiles Magiſtratus* obtinebat. Ergo *Prætorium* in hac appellatione *pertinuit ad judicia*, vel certe *fuit aliud quid, quam Cohortes Prætoriæ*. Sed quis non miretur hujus argumenti nexum & conſequentiam? Etenim *Magiſter Equitum*, *ad cujus* ſub Dictatore *ſimilitudinem* conſtitutos ſub Imperatoribus Præfectos pr. tradunt Pandectæ, fuit proxima poſt Dictaturam poteſtas etiam in Vrbe, etiam in Foro, ut liquet ex facto Servilii Ahalæ Sp. Mælium ſeditioſum hominem in Foro obtruncantis. Ergo *Equites* in iſta locutione notant judiciale quid, vel certe aliud, quam eos, qui in exercitu equo merebant. Dialectice prorſus! Similiter *Tribunus Celerum* dicitur etiam in Pandectis *ſecundum locum a Regibus* Romanorum olim

olim *obtinuiſſe* , atque idcirco comparatur item cum Præf. prætorii, immo, ut diſerte tradit Dionys. Halic. IV. 10. jus habuit etiam in Vrbe Populi in concionem vocandi. An ergo *Celeres* in iſtius Muneris appellatione denotabunt omnino aliud quid, quam Equites? At ipſi iterum ICti *Tribunum* hunc *Celerum* explicantes, dicunt ſimpliciter *Equitibus præfuiſſe*; idque ipſum diſertius docent Dionyſius, aliique. Præterea refert ſane Pomponius inter legitimos & civiles Magiſtratus *Tribunum Celerum* & *Magiſtrum Equitum*, neutiquam vero *Præfectum prætorii*, immo illos cum hocce comparans, ait, *Quod officium FERE tale* erat, *quale hodie Præfectorum prætorii; Magiſtratus tamen habebantur legitimi. Tamen* ait, ut ſignificet, in eo diſcrepare a Præfectura prætorii, ut quæ non erat legitimus aut Civilis Magiſtratus; certe nondum tempore Pomponii, ſed ſolummodo Militare munus. Audi non me, ſed Doctiſſ. Valeſium ad Am-
 mian.

mian. Marcell. Lib. XIV. *Præfectura prætorii jam inde a temporibus Conſtantini, Civilis dignitas haberi cœpta eſt. Ante Conſtantinum quidem negari non poteſt, quin ea dignitas fuerit Militaris.* Ceterum quia Imperatores ſummam ſibi vindicabant in Rep. poteſtatem, eam autem ac ſe ſimul tueri debebant per Milites Prætorianos, hinc ſane factum, ut, qui illis Militibus præeſſet, maximam apud Imperatorem, & ei ſecundam in Vrbe & imperio obtineret potentiam. Diſertiſſime Joſephus XVIII. 8. Sejanum ait in Vrbe δύναμιν μεγίστην *maximam potentiam habuiſſe*, διὰ τὸ τῶν στρατευμάτων εἶναι ἡγεμονίαν αὐτῷ, *quod præeſſet iſtis militibus*. Vide plura ad Cap. XIII.

Ejusdem ſunt notæ & ponderis, quæ Vir A. de *Curia* & *Aula Hagienſi* tam prolixe commentatur. Nihil enim ad rem, noſtramve diſquiſitionem, pertinent, neque aliud quicquam ad ſummum probant, niſi ſimilitudine quadam. ſi conſtaret de ſtato & publico

Audi-

Auditorio, in quo Cæſares jus dixerint, id potuiſſe olim exiſtere in Palatio, licet Scriptores id non tradidiſſent, quemadmodum *Curia judicialis* ſit *in Aula Hagienſi*, licet id poſteritas forſan ſit ignoratura. At inter nos quæritur, utrum tale Auditorium, ſi exſtiterit, *Prætorium* fuerit, vel Debuerit fuiſſe appellatum, quod ſtatuit Vir A. præter omnem auctoritatem, aliarumque iſtius vocabuli ſignificationum Analogiam. Deinde perverſiſſima eſt hæc Dialectica, quæ aſſerit, quicquid potuerit forſan exſtitiſſe, id revera etiam exſtitiſſe, immo inſuper certo vocabulo, cujus nullum iſthoc ſenſu apud Veteres occurrit veſtigium, fuiſſe deſignatum. Denique non ignorabunt haud dubie poſteri per Annales & Hiſtorias horum temporum, Curias judiciales, & Diætas Ordinum eſſe in Aula Hagienſi, ſicuti neque nos ignoraremus, temporibus primorum Cæſarum, quæ præ omnibus aliis ſunt maxime illuſtria & nota, exſtitiſſe Auditorium judiciis a Cæſare

 ex-

exercendis deſtinatum, idque appellatum fuiſſe *Prætorium*, ſi vere & tali nomine exſtitiſſet.

Quæ denuo de *Neceſſitate* iſtius Auditorii, licet a Tacito, Suetonio, aliisque non memoretur, cum *inſaniæ* exprobatione increpat, ſatis ſuperque refutavimus Cap. XIX. XX: XXI. Sed quis non vere *rem inſanam* dicat, tribuere Cæſaribus, quorum vitæ accuratiſſime & ex profeſſo conſcriptæ ſunt a Veteribus, tale Auditorium, in quo *facile in anno centum millia cauſarum* (immodica & inſana ὑπερβολὴ) fuerint diſceptata, licet nullum plane alicujus cauſæ iſtic actæ exemplum, nihil notabile, quod iſtic acciderit, vel a quoquam Cæſarum in jure iſtic dicundo fuerit factum, in eorum Vitis referatur, in quibus ceteroqui traditur diligenter de ſingulis, quali ingenio fuerint, quidve egerint, aut iis obvenerit *in judicando*; porro autem judicia alibi, inprimis in Foro & Curia, per Cæſares exercita commemorantur quam plurima, tam Pro-

vin-

vincialia, quam Vrbana? Quod ſeqq. temporibus Cæſares peculiarem, ſtatum & publicum juris dicundi Locum in Aula habuerint, neutiquam liquere ex Pandectis, oſtendimus jam ſupra ad Caput XIX. Sed maxime in Diſſertat. II. §. 31. Nihil ergo mirum, non memorari ea ab Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus, præterquam, quod illi minime adeo accurati & copioſi fuerint in enarrandis ſuorum Cæſarum rebus geſtis, quam quidem fuerunt Tacitus, Suetonius, & Dio in primis Cæſaribus, quorum *Aulicæ intricationes*, ut eas Vir A. appellat, ex illis ipſis Auctoribus ſatis notæ etiam nunc ſunt. *In Carcere* jus dictum, nuſquam tradidi, nedum *Vrſerim*.

CAP. XXV.

Præcedentis capitis argumentum continuatur.

Non debet cuiquam mirum videri, quod de rebus Romanis Aulæque veteris Imperatoriæ agens, comparatione Luparæ *Pariſienſis vel Au-*

læ Hagienſis aliquoties uſus ſum. Etenim in ea ſum hæreſi, ego quidem, res humanas, quatenus a natura hominum negotiorumque pendent, τόποις μὲν καὶ χρόνοις διεστηκυίας ἐπὶ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν σύνταξιν ἀχθῆναι, ad unam eandemque conſtitutionem, temporibus locisque diſcrepantes, eſſe compoſitas. Καὶ εἰς κοινὴν ἀναλογίαν ἀναθείσας συνεχῶς κυκλεῖν ἅπαντα τὸν αἰῶνα, continuoque per omnia ſæcula verti in communem convenientiæ circulum. *Proinde cum de Juris quæſtionibus deque dubiis Hiſtoriæ Veteris agimus, non oportet abſtrahere mentem a proprietatibus rerum perſonarumque, uti nunc a natura producuntur; Sed potius quæ a veteribus ſcripta ſunt, ad præſentium rerum ſimilitudines applicatione prudenti admovenda ſunt. Non debet, qui videt ad Imperatorem Romanum delatas fuiſſe provocationes ex omnibus Imperii Provinciis, ex Europa, Aſia & Africa, quæ nihil ad Forum Romanum pertinebant, ita in animum inducere, ut ſibi aliiſque perſuadere conetur,*

netur, nullum fuiſſe locum in Aula Romana ſtatum ac ordinarium: nec inſtare, ut ad hoc, quod aliter ſe habere non poteſt, evincendum alia requiratur probatio, quam quod infinitæ ejus generis cauſæ ad Imperatores delatæ fuerint. Sed præter ea, quæ ex Dione protulimus, dixi antehac, me neſcire, an addere non deberem, fuiſſe aliquid heic mixtum σοφίσματος πολιτικοῦ ab Auguſto & a primis Imperatoribus, ut ſoliti ſunt, quicquid auribus inſolens erat, etſi rem tenerent, diſſimulare verbis. Prætorium erat Caſtrenſe vocabulum, nec minus in Vrbe nefas erat, haberi Prætorium, quam Caſtra: Quin nec cum Imperio militari cuiquam in Vrbe verſari licebat: Vnde triumphaturi, ad quod Imperio præditi eſſe debebant, tantiſper extra pomœrium commorabantur; quod ingreſſi ſpem & jus triumphi amittebant, ut factum a Cæſare Conſulatus petendi cauſa apud Sueton. cap. 18. Proinde nec mirum, Auguſtum maluiſſe domum ſuam verbo antiquo & loci indice, *Palatium*,

quam Prætorium militari ac odioſo in urbe nomine, vulgo appellari. Quæ ratio in Provincialibus & Græcis locum non habebat, qui Prætoria, ſcilicet, exemplo ejus, quod in Vrbe erat, apud ſe non modo habebant, ſed etiam vulgo appellabant, ideoque Romæ, cum res eadem eſſet, frequentius & liberius eodem quoque nomine ſunt uſi, non uſuri profecto; ſi Prætorium apud Aulam nullum ea voce cognitum fuiſſet. *Vir Cl. hæc ut pro ſe militantia adoptat, ac ideo, quod Prætorii militare nomen ac odioſum fuerit habitum, omnino illud in Vrbe non fuiſſe, liquere putat. Ad hoc, an fuerit, non relabemur: Sed de conſequentia videamus; Odioſum erat, in urbe cum Imperio verſari; Cæſares habuerunt Imperium in Vrbe. Odioſum, copias ibi eſſe militares, Cæſares habuerunt. Odioſum, erat in urbe tendere Prætorianos, nihilo ſegnius tetenderunt. Fuerit odioſum in urbe Prætorium; Non fuiſſe, propterea minime liquet aut probabile*

babile ſit. Hoc magis; Non potuiſſe gratum eſſe Auguſto, domum ſuam vulgo Prætorium *vocari, quaſi urbs caſtra fuiſſet; Sed hoc nomen* ſub Palatio *in uſu promiſcuo liquefieri aut abſorberi libenter aut curaſſe vel tuliſſe videtur: quemadmodum in omnibus aliis, etſi regiæ dominationis vim complexus, ſummo ſtudio devitandum putavit, ne invitis imperitare videretur, ut nos pluribus rerum argumentis in* lib. 1. digreſſ. cap. 25. *demonſtravimus. Atque hæc quidem hactenus.*

RESPONSIO
Ad Cap. XXV.

Hoc iterum Caput numero tantum inſervit augendo. Nihil enim continet, quod in proximis ſuperioribus non ſit pertractatum, niſi unum hoc, quod Objectioni ab *Odioſo* obiter petitæ adverſus *Prætorianam* Vrbanæ habitationis vel Auditorii appel-

pellationem reponitur. Nam quod in explicandis rebus Romanis ad hæc tempora identidem Vir A. deflectit & ex iis *comparationem* modo *Luparæ Pariſienſis*, modo *Hagienſis Aulæ* ſumit, facile patior, quippe qui & ipſe, qualia nunc hominum producit corpora tellus, ea produxiſſe & olim, immo & mores ac ſenſus hominum pene eoſdem, ſane cenſeo. Sed neutiquam tamen fero, ut quæ hodie fiunt & exiſtunt, legem figant Antiquitati, maxime in rebus, quæ liberrimi ſunt hominum arbitrii, & diverſiſſimis modis ordinari queunt; Veluti quod Aula Hagienſis complectitur etiam Curias judiciales ac Diætas Ordinum; aliter enim alibi hæc res ſe habet, & olim habuit Romæ. Servire ergo poſſunt hodierna ad illuſtrandas ſimilitudine quadam res eas, quæ ex Antiquitate ipſa jam erutæ ſunt & probatæ, vel etiam ad declarandum, res & facta iſtiuſmodi cadere in hominum mores, talesve rerum appellationes non abhorrere ab hominum
ſer-

ſermone. Exemplo ſit; Si quis affirmat & docet, *Prætorium*, quo primitus notabatur in Caſtris Prætorium Tabernaculum, & dein in Vrbe Prætorium Caſtrum, adhibitum etiam fuiſſe ad denotandas Prætorias Cohortes, quæ in illis Locis verſabantur quotidie, immo tendebant & habitabant: Poteſt is ſane illuſtrare hoc, & paulo probabilius reddere ex eo, quod hodie quoque in Lingua Gallica *la maiſon du Roy*, quo proprie ſignificatur *Domus Regis*, deſignet etiam, & diſerte prorſus, illarum Cohortium corpus, quæ ad eam Domum tendunt & excubant. Similiter quando quis animadvertit, horum temporum Principes ac Reges minime occupari velle judiciis Litium, maxime privatarum, per ſe exercendis, neque frequentare iſtius generis Auditoria, poteſt & ille ex eo concludere, ſed nihil tamen amplius, quam, Neque ergo Veriſimile videri, Cæſares Romanorum infinitis adeo tam civilibus, quam Criminalibus cauſis quotidie audiendis

dis ſe fatigaſſe, præſertim, poſtquam Dominationem ſuam ſic ſatis jam firmarant, nec amplius captandæ populari auræ ſeſe dabant. Si tamen aliud ex Antiquitate probari poſſet, nihil ſane Ego adverſus eam ex hoc tempore inferri velim. Sicuti e contrario, ſi verum eſſet, quod tamen eſt falſiſſimum, infinitas adeo ex omnibus provinciis cauſas ad Imperatorem delatas, ab illo ipſo, & quidem in Palatio, omnes judicatas, neutiquam tum ſane refragarer, ſi quis, vel ex hoc tempore, vel ex communi ſenſu contendat, conveniens eſſe, ut quotidianæ huic jurisdictoni ab ipſo Imperatore in Palatio exercitæ etiam ſtatus & peculiaris in Palatio locus aſſignaretur. Sed abunde in ſuperioribus demonſtravimus omnia contraria, Cæſares ſcil. *delegaviſſe* aliis, tam *Urbanarum*, quam *Provincialium cauſarum appellationes*, rectâ licet ad ſe delatas: Etiam Optimos, extra quam ſi Conſulatum gererent, non niſi *Honeſtiorum hominum Capitales cauſas cognoviſſe*: etiam Peſſi-

Peſſimorum iram evaſiſſe, *tanquam Minores*, Senatorios & Equeſtres Viros: Denique reperiri, Cæſares, etiam ægrotos, jus dixiſſe, cum publice, ſed pro Tribunali, in Foro, in Curia; tum privatim, ſed in Villis & Cubiculis ſuis; immo ubicumque potius, quam in tali ſtato ac publico Palatii Auditorio, cujus nulla omnino mentio, nullum veſtigium apud Veteres in Vitis primorum certe Cæſarum, de quibus potiſſimum ambigimus, invenitur. Tædium profecto me capit toties reſpondendi ad rem adeo falſam, quam ad nauſeam uſque ſine fine modoque & ſimul ſine ulla probatione Vir A. affirmat. Et tamen, ſi maxime vera eſſet, nihil prorſus juvaret ejus in hac controverſia ſententiam. Nec enim ſequitur, ſi forſan tale exſtitiſſet Auditorium, id confeſtim & neceſſario *Prætorii* voce fuiſſe inſignitum, inprimis quum probari nequeat, eam vocem unquam antea ad talem vel ſimilem Locum proprie deſignandum adhibitam fuiſſe.

Reliquum eſt, ut examinemus meæ Objectionis ab *Odioſo* ex ipſius Viri A. verbis leviter petitæ conſequentiam, non quod putem, ea *Odioſi* ratione ſatis demonſtrari, rem ceteroquin aliis rationibus probabilem, aut ulla ex parte p. obatam, non potuiſſe in Vrbe exiſtere, ſed, non adeo temere affirmandam rem, quæ ſi exſtitiſſet, fuiſſet ſimul odioſa prorſus, & tamen revera eam exſtitiſſe, nulla omnino auctoritate probatur, aut probari poteſt. Exiſtimavi itaque ſi, ut ipſe ait, *non minus in Vrbe nefas erat haberi Prætorium, quam Caſtra*, ſi ipſe *Auguſtus maluit Domum ſuam appellari Palatium, quam Prætorium*, ſi hoc *militare & odioſum in Vrbe nomen fuit*, minime ergo videri veriſimile, Vrbanam plane Habitationem Auguſti, quæ jam antea in Vrbe exſtitit, & tunc eo nomine appellata non fuit, ſubito præter omnem neceſſitatem, aut utilitatem, immo & Analogiam appellationis, qua deſignabatur Auguſtus, qui *Princeps* vel *Cæſar* in Vrbe, nunquam *Prætor* dice-

dicebatur, iſthoc novo & odioſo *Prætorii* nomine, vel volente vel permittente Auguſto, fuiſſe inſignitam: atque adeo neutiquam in priſcis Auctoribus, ubi de re Vrbana occurrit adhibitum, eo ſenſu interpretandum illud Nomen, præſertim, ſi nuſquam in eum ſenſum reperiatur ullis circumſtantiis determinatum. Reponit nihil Vir A. niſi fuiſſe & alia Vrbi *Odioſa*, quæ tamen Cæſares in Vrbe fecerint, vel habuerint. Sed primo, longe aliud, Cæſares feciſſe aut habuiſſe in Vrbe *odioſa* quædam, & quidem talia, quæ quam maxime pertinebant ad firmandam eorum Dominationem, tuendamque ſalutem, ſeu ad intendendam imperii vim & coërcendam malevolentium contumaciam: aliud etiam, Prætorias Cohortes non modo ex Caſtris ea prorſus gratia in Vrbem inductas, ſed & priſtinum Nomen, quo ab omnibus jam antea appellabantur, in Vrbe retinuiſſe, licet Militare & ex Caſtris ortum, æque ac ipſa Res, eo Nomine deſignata. Aliud vero, Domum Au-

guſti plane Vrbanam (quippe quam jam ante, quum necdum imperii ſummam obtineret, in Vrbe habuerat) ſubito præter omnem neceſſitatem aut utilitatem, Militarem iſtam & Odioſam *Prætorii* appellationem accepiſſe, idque adeo, ut etiam a præcipuis illorum temporum Scriptoribus, Tacito & Suetonio, ſæpius ea voce fuerit deſignata, immo & illius Vrbanæ Domus Præfectus vulgo ac ordinarie *Præfectus Prætorii* appellatus. Deinde iſthæc Viri A. exempla, ſi quid adverſus meam de *Prætorio* rationem valerent, facerent id æque, & multo quidem ſpecioſius, adverſus ipſius de *Lege Regia* ſententiam, ex eadem *Odioſi* ratione ductam. Etenim certum eſt, Legem, quæ *Regia* dicitur, latam fuiſſe ſub Auguſto, & ſub ſequentibus Principibus identidem repetitam. At vero ſtatum ac ſolenne cauſis diſceptandis Auditorium fuiſſe in Palatio primorum Cæſarum, neutiquam liquet. Porro etiam illud certiſſimum eſt, Legem iſtam a primis Scriptoribus Latinis, a qui-

a quibus memoratur, *Regiam* ſimpliciter & quaſi uſitata dudum appellatione vocari, quum e contrario nuſquam apud Veteres judiciale Auditorium reperiatur *Prætorii* vocabulo deſignatum. Et tamen legem illam *ab initio quamlibet potius, quam* Regiam, *appellationem accepiſſe, neque DIV poſtea habuiſſe, certum eſſe*, Vir A. pronunciat, non alia ratione, quam quia nimis *Odioſa* eſſet iſthæc appellatio, quam ut a Romanis illo tempore tolerari poſſet. Quidni ergo ſimiliter, eademque ratione & jure, affirmetur a nobis, nunquam etiam paſſurum fuiſſe Auguſtum, *ſolitum*, ut ipſe Vir A. ait, *quod re ipſa teneret, verbis tamen diſſimulare*, ut Vrbana ejus habitatio ſine ulla Neceſſitatis aut utilitatis cauſa invidioſo & Caſtrenſi vocabulo appellaretur, quaſi Vrbi & Civibus ipſis, quorum Princeps, non Imperator erat, Militare deinceps & atrox imperium intentaturus eſſet. Vide ſupra Diſſert. II. §. 18. & 19.

CAP. XXVI.

Prætorii in Caſtris Provinciarum & urbibus uſum ſub Cæſaribus, arguere non potuiſſe; tum Prætorium ſignificaſſe cohortes militum. Provinciales, nominatim Græcos, Aulam & Prætorium accepiſſe promiſcue, etiam in urbe Roma, ut res erat: id ſecutum eſſe Paulum.

Quanquam autem Prætorium ab Auguſti tempore in urbe per excellentiam, ut ita loquar, habitum, etſi vulgo ſeorſim minus frequenter appellatum ſit, interea Prætorium in Caſtris alibi ſitis, idem fuit & dictum eſt, quod ſemper fuerat, Tabernaculum Ducis. Suetonius in Vitellio cap. 7. Caſtra vero ingreſſus &c. nec ante in Prætorium rediit. *Vnde ſi non aliud, hoc ſane, quam alienum ab ejus quoque temporis uſu fuiſſe oporteat; ut Prætorium pro ipſis Caſtris & Cohortibus acciperetur, conſtare poteſt. Sic etiam in Provinciis, ubi Dux habitabat & jurisdictionem exercebat, hoc* Prætorium & Aula *promiſcue appellabatur, quod ex Hiſtoria Evan-*

gelica

gelica verbis Marci ſupra *laudatis*, ἔσω τῆς αὐλῆς, ὅ ἐστι πραιτώριον, intra Aulam, *id eſt*, Prætorium, 15. 16. *probaveram, idemque prolixius apud Johannem* cap. 18. verſ. 28. 33. & cap. 19. verſ. 9. &c. *In eodem Prætorio fuiſſe locum etiam peculiarem pro militibus Prætorii cuſtodibus, ipſe novus Auctor probat in* præc. diſput. §. 30. *Sed quod notandum, nusquam milites illi cuſtodes Prætoriorum in Caſtris aut in Provinciis, vocantur* Prætoriani, *ſicut olim a Prætoriis cuſtodiendis dici ſolebant. Tales, qui in Urbe Prætorium cuſtodiebant, ſoli habebantur. Quid autem? ſoli in urbe Prætoriani ſine Prætorio? quid hoc monſtri? Prætorium antiquitus Prætoriani cuſtodiebant; Poſtea, Prætorium in Caſtris, Prætorium in Provinciis milites ad hoc deſtinati cuſtodiebant. In urbe milites & quidem Prætorianos cuſtodiendo Imperatoris tabernaculo adhibitos ſine* Prætorio *fuiſſe, quod cuſtodiebant? incongrua, non Romana nec Hiſtorica nec Latina*

na adſertio, offendens aures & vim communi Lectoris ſenſui faciens, ſiquidem ſenſus habeat tantillum in auditione veterum exercitos.

Sciverunt igitur omnes in Vrbe Roma eſſe Prætorium, *quod Prætoriani cuſtodiebant; non habuerunt tamen Vrbani in ore* Prætorii *appellationem, quod* Palatium *occupaverat, auguſtius, civilius & uſitatius nomen, ipſique Cæſari gratius, cum ob ea quæ dixi, tum quod a Provincialibus & ruranis Prætoriis, Cæſaris habitaculum nomine diſtingui, majeſtas Imperialis exigere videretur: Diximus abunde ſuperius: Sed Provinciales domi ſuæ, Aulam Ducis* Prætorium *appellare ſueti, hanc conſuetudinem Romæ, ubi æque Prætorium & ejus Præfectum eſſe videbant, nihil circuitione vel diſſimulatione uſi, quod erat, hoc ſimpliciter appellabant. Ita Imperatores fuiſſe veros Reges initio a Cæſare dictatore facto, ut Cicero* ad Marium *ſcribit, non eſt dubium: Nemo tamen Latinus in urbe ita lo-*

que

quebatur; Græci nunquam Cæſares cunctati ſunt appellare βασιλεῖς *Reges. Idque tandem adſiduo Græcorum uſu in ſermonem flexit Latinum, non quidem, ut Cæſares ipſi Reges, ſed eorum res, Domus* Regia, *Lex* Regia, *adoptio* Regia, *ſimiliaque apud Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores uſitata, dicerentur. Eodem modo, etſi Prætorium Cæſares* πολιτικῷ σοφίσματι *in urbe vulgo non memorari mallent, Provinciales tamen illud* σόφισμα *non magis, quam in Legis Regiæ nomine, ſequendum putarunt. Ita de Græcis, Græcum audivimus Chryſoſtomum teſtantem,* Τέως τὰ βασίλεια πραιτώριον ἐκάλουν. *Ante hac* Regiam vocabant Prætorium. *Atque hæc eſt ratio, quod etſi apud Latinos Scriptores Palatii nuncupatione Prætorii tanquam domus aut ejus partis appellatio abſorpta minusque uſurpata fuerit, Paulus tamen Græce ad Græcos ſcribens, PRAETORIUM, quod erat, rotunde appellaverit. Solicitus eſt Vir Cl. Interpres novus, ne hæc veritas ſuo*

Lectori ſedeat. Ideo dat operam, ut eximat hanc opinionem. Erunt forſan alii, *inquit*, qui ſic exiſtiment, Paulum Provincialem ipſum & ſcribentem ad Provinciales, apud quos Prætorium ſignificabat Aulam Præſidum, ſummam iſtic perſonam ſuſtinentium, ad hoc exemplum Aulam quoque Imper. Romani eo vocabulo forſan deſignaſſe, pag. 259. *Audiamus rationes, quare in hanc ſententiam non ſit concedendum, tam dialecticas, quam fuerint ullæ, quas protulit unquam.* Illi vero ſi qui ſunt, velim cogitent, *inquit*, Provinciales ſatis ſuperque cognitam habuiſſe differentiam dignitatis ac Majeſtatis, quæ erat inter Imperatorem & Præſides Provinciarum, idque ipſum abunde patere etiam ex Pauli exemplo, ad Imperatoris tribunal ex Provincia provocantis, ut & ex eo, quod in ipſis Actis 25. 26. Imper. Nero ab ipſo Provinciæ Præſide, κατ' ἐξοχὴν ϗ ἐμφατικῶς μάλα vocatur ὁ κύριος Dominus. *Bene eſt, Paulus appellavit a Provincia ad Cæſarem;*

rem; ſcivit hujus majeſtatem eſſe majorem dignitate Præſidum. Ergo Paulus non appellavit, Aulam *Cæſaris* Prætorium. *Aliud, Feſtus Cæſarem appellavit* τὸν κύριον *Dominum. Ergo Paulus non potuit* Aulam *Romæ vocare* Prætorium, *ut Provinciales Aulam ſimpliciter Prætorium vocabant. Hæc eſt Dialectica. Tu necte conſequentiam, Lector, nec mirare, quod dixi ab initio; Ex hoc Viri Cl. tractatu poſſe aliquem venire in ejusmodi opinionem; quod diſſertationes hiſtoricæ & philologicæ ad doctrinam ratiocinandi non ſint exigendæ.*

RESPONSIO

Ad Cap. XXVI.

Paulo majoris momenti hoc quidem eſt Caput, ſed acrioris etiam ac ſolitæ Viro A. acerbitatis, licet ſimul in eo cauſam tamen ſuam, quæ conſiſtit in controverſa *Prætorii* ſignificatione, quodammodo prodat,

ſicuti rebus ipſis declarabo. Repetit initio Capitis, *Prætorium* etiam ſub Cæſaribus notaviſſe in Caſtris Tabernaculum Summorum Ducum, & in Provinciis Habitationem Præſidum, id quod nunquam a me negatum, ſed e contrario ſuis exemplis in utraque Diſſertatione probatum eſt. Quin immo de Cæſaris ipſius, quum bello intereſſet, Tabernaculo Caſtrenſi adhibitum id vocabulum ex Uſu Linguæ, quæ nullum aliud eo ſenſu habebat, reperies apud Capitolinum in Clod. Alb. cap. 9. *jacuiſſe ante Prætorium Severi per dies plurimos Albini corpus dicitur, laniatumque a Canibus in profluentem eſſe abjectum.* Verum ex eo ſequi, *alienum ergo eſſe ab illius Temporis Vſu, ut Prætorium etiam pro ipſis Caſtris prætoriis, vel Cohortibus accipiatur*, hoc eſt, quod pernegamus, quum in Inſcriptionibus diſertiſſime *Prætorium Caſtrum* ſæpius memoretur, & in ſignificatum Cohortium ſæpe etiam, & quidem clariſſime, determine-

minetur variis circumſtantiis apud præcipuos illius Temporis Scriptores, nunquam vero apud quenquam in alterius Urbanæ rei deſignationem. Non ergo mutata, ſed aucta eſt, illo tempore *Prætorii* ſignificatio, ut multis docuimus ad Cap. XII. Sed Vir A. qui ſine ulla auctoritate aut exemplo, ſine Vſu, ſine Analogia demonſtrata, vocabulum illud exponit proprie de Auditorio judiciali, oſtendere debuiſſet ipſe, quando, & qua ratione illud a Tabernaculo atque integro ſeu Ducis ſeu Præſidis Habitaculo ad tale Auditorium proprie denotandum tranſierit. Ipſe, utique D. Marcus, quem laudat, *Aulam*, non vero *Auditorium*, dicit eſſe *Prætorium*. Sed nunquam id oſtendet, ſiquidem nunquam illis ſeculis ea vox illam habuit ſignificationem.

Quæ dein de *Prætorio* & *Prætorianis* memorat, manifeſtiſſime ſunt falſa, & partim refutata jam ſuperius. Nec enim *Prætoriani* denominationem trahunt a *Prætorio*, ſed a *Prætoria cohorte*, nec ad *Prætorium*, h. e. ha-

e. habitationem Prætoris directe & proxime pertinent, ſed ad *Prætorem* ipſum: ut adeo *Prætoriani* poſſint eſſe ſine *Prætorio*, ut ſunt in claſſe, & itinere, ſed vix eſſe ſine *Prætore*, certe non ſine eo conſtitui queant. Et proinde, ſi ex eo, quod *prætoriani* in Vrbe excubabant ad Palatium, neceſſario ſequeretur, id Palatium revera appellatum fuiſſe *Prætorium*: multo magis ea ratione debuiſſet Imperator ipſe, cujus proprie & unice Corporis Cuſtodes erant hi Milites, *Prætor* appellari, immo & in Claſſe, Prætoria quoque Navis *Prætorium*. Verum ſicuti hæc non acciderunt, nec ſtatuuntur aut ſtatui poſſunt, ſic neque illius ſtatuendi ulla eſt ratio, nedum neceſſitas. Accedit, quod proprie inter nos quæritur, Vtrum vere *Prætorii* vox, ubi occurrit apud Veteres de re Vrbana, notaverit vel Palatium vel Auditorium judiciale; non autem, An Habitatio Vrbana Cæſaris aliqua ex parte convenerit cum Tabernaculo Caſtrenſi ſummi Ducis, veluti in eo, quod

quod utrobique Prætoriani Milites excubabant: Neque, An, ſi voluiſſet Vſus, potuiſſet eam Habitationem *Prætorium* vocare, quum multa & voluerit & potuerit etiam præter Analogiam, ſæpeque in Abuſum degeneraverit: ſed, An id voluerit, ſeu, An Cæſaris Habitationem Vrbanam & priſtinam novo & militari vocabulo *Prætorii* revera inſigniverit, idque inſuper, licet Cæſarem nunquam appellarit *Prætorem*, immo eum ſupra hanc appellationem longe evexerit, & licet neque Prætoriam Navim, neque Habitationem Vrbanam Conſulum, cujus eadem plane erat ratio, unquam vocaverit *Prætorium*. Sed dicit V. A. *Nuſquam*, ſcil. ſub Cæſaribus, *Milites illi Cuſtodes Prætoriorum in Caſtris aut in Provinciis vocantur* Prætoriani, *ſicut olim*, h. e. ante Cæſares, *a Prætoriis cuſtodiendis dici ſolebant.* Prætoriani *in Vrbe ſoli habebantur.* Ergo in Vrbe inprimis debuit fuiſſe *Prætorium*, *quod cuſtodirent.* *Notanda* hæc ait Vir A. ſed & Ego.

Ego. Primo enim velim ſcire, quare aſſeveret, Milites Prætoriorum Cuſtodes in Caſtris aut Provinciis, ſub Cæſaribus non amplius appellatos *Prætorianos*. Dicet haud dubie, *Nusquam ita vocantur*. Recte omnino. Sed quid? ſi nunc alius quispiam verba ipſius ipſi reponat; *Inſana eſt hæc aſſertio. Non potuerunt non ita appellari*. Quæ enim ratio quod diſcrimen, quare Viro A. liceat, iſthoc argumento uti adverſus *Prætorianos* in Caſtris, mihi vero non liceat adverſus *Prætorium* in Vrbe? Nam neque uſquam, ut ſæpius dixi, & ipſe fatetur, Palatium Cæſaris vocatur *Prætorium*, ſeu nuſquam ullis circumſtantiis id vocabulum in Vrbanam Cæſarum Habitationem determinatur. Quid ergo hinc concludendum, niſi, ſicuti, quia *Nuſquam Milites Prætoriorum Provincialium aut Caſtrenſium Cuſtodes* ſub Cæſaribus ex ſententia Viri A. *vocantur Prætoriani*, idcirco neque ita appellatos eſſe contendit; ſic neque Palatium appellatum eſſe *Prætorium*, quia item *Nuſquam ita*

voca-

vocatur, aut eo vocabulo apud Veteres deſignatur.

Deinde velim me doceat, quo jure aut qua ratione affirmet *notandumque* moneat, tanquam indubium, *olim* ante Cæſares *in Caſtris aut Provinciis Milites Prætoriorum Cuſtodes dici ſolitos Prætorianos*, qui poſtea ſub Cæſaribus, quando jam in Vrbe erant Prætoriani Milites, *nuſqnam ita fuerint vocati*. Nam ſicuti poſterius hoc aſſerit, quia non habet Loca, in quibus ita appellentur illi Cuſtodes Caſtrenſium Prætoriorum ſub Cæſaribus: ſic neque inveniet, ut prorſus opinor, Loca, in quibus etiam *olim* ante Cæſares eo vocabulo inſigniti compareant, quos tamen ita tunc, at nunquam deinde, *dici ſolitos* tradit. Nec eſt, quod ſua ſibi ratione heic utatur, *Non potuerunt non ita appellari*, ſiquidem ea in omne tempus valeret, atque adeo, ſi illi Prætoriorum Cuſtodes olim ante Cæſares dicti fuiſſent neceſſario *prætoriani* per illam rationem *Non potuit non*, æque

&

& poſtea per eandem ita appellati eſſe debuiſſent. Adde his falſiſſimam illam rationem, quam inter *Prætorianos* & *Prætorium*, tanquam ſi illi ſine eo concipi nequeant, ſtatuit, toties & clariſſime a me refutatam. Hos autem tot Viri A. errores, & varias ac contrarias in eadem re, eodemque halitu, aſſertiones, dum modo contra ſuam illam rationem, *Non potuit non*, ex Vſu: modo contra Vſum ex illa ratione pronunciat: modo *dici ſolitum* tanquam ex Vſu affirmat, quod tamen nuſquam, vel certe vix uſquam reperietur: modo non admittit *prætorianos* in Vrbem ſine *Prætorio*, licet hoc *Prætorii* vocabulum eo ſenſu, quo vult, neutiquam in Vrbe fuerit in Vſu, nec a *Prætorio* illi Milites, ſed a *Prætore* nomen acceperint, idque ipſum *Prætoris* vocabulum minime tamen de Militum iſtorum Duce in Vrbe receperit Vſus; hos, inquam, errores, hanc varietatem, hanc Dialecticam, qui perpendere volet, dijudicabit facile, meæne, an Viri A. *aſſertiones*
ſint

ſint *incongruæ*, *non Romanæ*, *nec Hiſtoricæ*, *nec Latinæ*, *offendant aures*, *& vim communi ſenſui Lectoris faciant*: utrum, qui talia affirmat, *ſenſus habeat vel tantillum in auditione Veterum exercitos*, quibus elogiis ſatis inſolenter, ſed pro ſuæ humanitatis more, mihi Vir A. inſultare voluit.

Progreditur deinde ab hac tam inconſulta acerbitate ad aliam æque importunam & abſurdam. Fatetur primo, *non habuiſſe Vrbanos in ore Prætorii appellationem*, *quam occupaverit Palatium*, *uſitatius nomen*, *quia ipſi Cæſari gratius*, *& quia Majeſtas Imperialis exigeret ejus Habitaculum nomine diſtingui a Provincialibus & ruranis Prætoriis*. Recte ſane, ſed adde etiam: quia in Vrbe, non Cæſares, ſed alii Magiſtratus, unice & proprie dicebantur *Prætores*, & quia alieniſſimum ab iſtis imperii Auguſtei initiis & cruda adhuc ſervitute erat, rem plane Vrbanam Caſtrenſi & Odioſo vocabulo præter ullam neceſſitatem

inſigniri. Deinde vero contendit, quamvis *Prætorium apud Latinos Scriptores de Aula vel Palatio non legatur uſurpatum*, ut cap. 24. ait, *Provinciales* tamen, & Græcos potiſſimum, *Aulam* Præſidis ſui ſeu *Ducis*, *Prætorium appellare ſuetos*, etiam Aulam Cæſarum in Vrbe Roma appellaſſe *Prætorium*: plane quemadmodum etiam Latini Scriptores Cæſares ſuos non vocent *Reges*, Græci vero frequentiſſime. Seu, etſi *apud Latinos Scriptores*, *Palatii nuncupatione*, *Prætorii appellatio pro Aula Cæſaris* vel *ejus Auditorio abſorpta ſit*, *Paulum tamen Græce ad Græcos ſcribentem*, *PRAETORIVM iſthoc ſenſu adhibuiſſe.* Rationem hanc Ego ipſe nuper propoſueram Diſſ. II. §. 46. quia exiſtimabam fore forſan ALIOS, qui nimium quantum, ut ferme fit, difficiles in recipiendis interpretationibus, quæ ipſis inauditæ, licet concederent *prætorii* vocem nunquam apud priſci illius Temporis Scriptores reperiri in ſignificatu Palatii aut Auditorii Palatini,

tini, tamen apud animum ſuum id unum forſan mihi de Paulo eſſent objecturi potius, quam meam & ipſis novam recepturi interpretationem. At neutiquam ego credideram, Virum A. ad eam rationem eſſe decurſurum, quippe qua ſuam ille cauſam prorſus & plane prodit. Diſputat enim mecum non de eo ſolum, in quem ſenſum proprie Paulus *Prætorii* vocem adhibuerit, ſed quid ea ſignificet in vulgatiſſima *Præfecti prætorio* appellatione, & ubicunque de re Vrbana apud Romanos & Latiniſſimos Scriptores occurrit. Etenim ſi in tot Locis apud Tacitum & Suetonium, in tot Inſcriptionibus Lapidum, in uſitiſſima illa *Præfecti* appellatione, *Prætorium* notat Palatium, ut Vir A. contendit, tum ſane alieniſſimum eſt confugere ad hanc rationem, quaſi Paulus in loco controverſo præter morem Latinorum Scriptorum, quia *provincialis* erat, & *Græce ad Græcos ſcribebat*, Palatium deſignaverit Latina illa *prætorii* voce. Feciſſet enim ſemel,

quod ſæpius feciſſent etiam Latini, Tacitus ac Suetonius, quod tot alii vulgo in ſepulchrorum maxime monumentis, quod *Vrbani omnes in ore habuiſſent*, quando de Palatii Præfecto, ut quidem vult Vir A. loquerentur: atque adeo feciſſet illud juſtiſſima ratione, nec præter morem, ſed ex more Latinorum Romanorumque. Quod ſi contra ea, vere tamen Paulus præter *Vrbanorum* & *Latinorum* morem aut exempla, *Prætorium* appellaverit Aulam Imperatoris, ea ſcilicet tantum ratione, quod *provincialis* eſſet & *Græcus* Scriptor, & quia in provinciis hoc vocabulo deſignabantur Aulæ Præſidum: tum ſane proditur manifeſte, & corruit, miſeri illius Præfecti in Vrbe Roma *prætorium*, quod unice ſe fulturum in initiis noſtræ controverſiæ Vir A. promiſerat: neque etiam de Palatio interpretandum erit, quod tamen facit idem magna contentione & ſtudio, quando in eadem Vrbe dicebatur vulgo *Præfectus, Tribunus, Centurio*, aut *Miles Prætorii*, de Duci-

cibus ac Militibus Prætoriarum cohortium; ut neque, quando eadem vox apud Tacitum & Suetonium in rei Vrbanæ ſignificationem determinata occurrit.

Contra ALIOS ergo hanc objectionem mihi formaram, qui quoniam vulgari & in Verſiones recepta interpretatione locus Pauli de Palatio exponitur, videbantur eam tuituri forſan iſthac ratione, quaſi, licet *Prætorium* ceteroquin in Vrbe Prætorias Cæſaris Cohortes notarit, & hoc ſolo ſenſu de re Vrbana occurrat apud ejus ætatis Scriptores Latinos, Paulus tamen id vocabulum, non ex Vſu Linguæ Latinæ, neque ex conſuetudine Populi R. ſed tantum, quia Provinciales ita Aulas Præſidum appellarent, ad Palatium deſignandum adhibuerit. Verum ſi qui ita ſentiunt, eos etiam nunc denuo ſecum exputare velim, annon hoc pacto omnis ratio & fides interpretationis prorſus convellatur, ſi liceat nobis præter neceſſitatem in interpretando a probata & cognita vocabuli,

cabuli alicujus ſignificatione recedere ad aliam nullo exemplo aut auctoritate ſubnixam. Quid enim certi habebimus in Hiſtoriis, Scientiis, & Scriptis Veterum, in ipſo Jure, immo in Scriptura Sacra, ſi hæc interpretationi arbitrariæ, ut dicitur, feneſtra aperiatur: ſi fas fuerit, vocabulum alio ſenſu alibi ſemper adhibitum noſtro arbitratu in peculiarem & plane inuſitatam redigere ſignificationem, ſine ulla neceſſitate aut ratione, quæ nos eo adigat? Quin immo ſi ea interpretandi ratio nobis ullo ſe modo approbare poſſit, quid cauſæ, quo minus, exempli gratia, (unicum enim, ſed prorſus ſimile adferam exemplum) admittamus & eam, ſecundum quam Romanenſes *Babylonem* 1. Petr. V. 13. exponere malunt de Roma, quam de vera Babylone, ut habeant ſaltem aliquid ex S. Scriptura, quo Petri ſedem in Vrbe Roma probare poſſint. Idque tanto magis, quia jam olim etiam Euſebius Hiſt. Eccleſ. II. 16. aliiq. eum ſecuti, ita fecerunt, immo & *Babylon* figurata locutione Romanam

Vrbem

Vrbem vere in Apocalypſi denotat. Quæ profecto longe potiores videntur rationes, quam quod Chryſoſtomus Euſebio multum junior Latinum *Prætorii* vocabulum apud Paulum de Palatio interpretari cœpit, Vetereſque illud in provinciis de Aula Præſidum uſurparunt. Sed tamen, quia *Babylon* proprie & uſitate notat vel Chaldaicam vel Aegyptiacam Vrbem, & dein, quia in loco Petri, ubi ſimpliciter eos, ad quos ſcribit, dicit *ſalutari ab Eccleſia, quæ ſit Babylone*, nulla omnino eſt ſpecies, neque ulla poteſt dari ratio figuratæ aut propheticæ locutionis præ genuina adhibitæ, explodimus utique nos omnes ſine hæſitatione eam Romanenſium expoſitionem, quæ a recepta & vera vocabuli ſignificatione citra ullam neceſſitatem, tantum quia ita malunt, recedit. Sic ergo, quum & *Prætorium* in re Vrbana notet unice Prætorias Cohortes, earumque Caſtra, nec a Paulo de provinciali ſed Vrbana re adhibeatur, nec in ullam aliam ſignificationem, non Palatii, multo

minus Auditorii Palatini, ullis circumſtantiis apud eum coerceatur, denique etiam uſitatam Latinis & Vrbanis Prætoriarum Cohortium ſignificationem recipiat iſtic quam commodiſſime & facillime, ut oſtendimus in paragraphis ultimis Diſſ. I. & II. ut & ad Cap. VI. hujus *Libri Singularis*, neceſſario itaque, niſi omnia volumus miſcere & turbare; de iis etiam Cohortibus unice eſt a nobis interpretandum.

Sed neque veriſimile, ipſum Paulum alio, & quidem *Prætorii* vocabulo, deſignaſſe Palatium, quam ceteroquin in Vrbe fieri ſolebat. Res enim erat longe notior, quibus vocabuſis habitatio Imperatoris in Vrbe appellaretur, quidve in eadem Vrbe *prætorium* notaret, quam ut id ignorare poſſet Paulus, qui a Prætorianis militibus iſtic cuſtodiebatur, & qui, quando Epiſtolam ad Philippenſes exaravit, per biennium, vel circiter, in Vrbe jam fuerat. Præterea etiam Provinciales ſatis ſuperque norant diſcrimen, quod eſſet inter ſignificationem vocabulorum *Prætorii*

rii & *Palatii*, ſiquidem neque in provinciis Aulæ Imperatorum unquam *Prætoria*, neque Præſidum appellabantur *Palatia*, ut videbimus, & Vir A. ipſe ſic ſatis agnoſcit ſeq. Capite. Nulla itaque fuiſſe potuit, ſi Paulum ſpectemus, ratio, quare is ſolus diſtinctæ adeo & ſæpe ſibi invicem oppoſitæ ſignificationis vocabula confudiſſet, *Prætoriumque* Latina voce appellaſſet, quod neque in Vrbe neque in Provinciis eo nomine, ſed *Palatii*, deſignabatur, immo quod neque ipſe neque Philippenſes ignorabant, *Palatium* Latine vocari, non *Prætorium*. Neque etiam, ſi Interpretes Pauli ſpectemus, ratio eſt, quare citra neceſſitatem ullam, in eo interpretando, ab uſitata vocabuli Latini ſignificatione deflectere illis liceat ad eam, quæ nullo poteſt firmari uſu aut exemplo.

Addideram hiſce aliam rationem, quam adeo arripere & exagitare tam inclementer Viro A. fuit viſum, ſed quod ejuſmodi eſt, ut non defugiam

Lectoris arbitrium, an ex hac mea *Dialectica poſſit aliquis venire in ejuſmodi opinionem*, ut ait, *quod Diſſertationes Hiſtoricæ & Philologicæ ad doctrinam ratiocinandi non ſint exigendæ*. Diſputabam proprie adverſus illos, qui concederent quidem *Prætorium* Latina in Lingua neutiquam & nuſquam denotaſſe ædificium Habitationi Imperatoris exſtructum, & revera diverſæ omnino fuiſſe ſignificationis *prætorium* ac *palatium*: ſed qui tamen ſimul ſtatuerent, Paulum, utpote Provincialem & ad Provinciales ſcribentem, hæc forſan confudiſſe, quia in provinciis Præſidum Aulæ appellentur *Prætoria*. Illos igitur, ut oſtenderem nullam eſſe hanc rationem, memoria primum repetere juſſi, etiam in Provinciis *Prætorii* & *Palatii* appellationem diverſis plane tributam fuiſſe ædificiis, diſtinctam omnino eorum ſignificationem, nunquam a Græcis Scriptoribus Joſepho, Plutarcho, Dione, Herodiano, Aulam Cæſaris vocari πραιτώριον, ſed vel Latino vocabulo

πα-

παλάτιον, vel Græco τὰ βασίλεια, *Regiam;* atque adeo nullam ex provinciis peti poſſe cauſam, quare Paulum ad provinciales ſcribentem pro Palatio *Prætorium* uſurpaſſe præter Linguæ Latinæ uſum, credi debeat. Deinde vero, provinciales addidi ſatis ſuperque cognitam habuiſſe etiam Dignitatis ac Majeſtatis differentiam, quæ fuerit inter Imperatorem & Præſides provinciarum; immo præcipuos fuiſſe & immodicos in extollenda Cæſarum majeſtate magnificis plane appellationibus: primos dediſſe Cæſaribus *Regium* nomen: quin ipſos Judæos appellaviſſe & Cæſares *Reges*, Joh. XIX. 12. 15. Actor XVII. 7. & eorum habitationem *Regiam*, ut ſit paſſim apud Joſephum: ipſum Paulum provocaſſe a Præſide Judææ ad Cæſarem: denique in ipſa S. Scriptura ab illo Judææ Præſide Cæſarem κατ' ἐξοχὴν vocari τὸν Κύριον. Poſteriora hæc invadit Vir A. & ex iis abrupte concludit, ut habeat, quod exagitet meæ *Dialecticæ* ſpecimen: *Paulus appellavit a provin-*

vincia ad Cæſarem: Feſtus Cæſarem appellavit τὸν Κύϱιον. *Ergo Paulus non potuit Romæ Aulam vocare Prætorium.* Sic ille. Mea vero, quæ ex iis ducitur, ratio hæc eſt. Ergo, licet Paulus provincialis fuerit, & ad provinciales ſcripſerit, tamen, quum probe ſciret & ipſe & illi, Cæſaris majeſtatem longe eſſe majorem dignitate Præſidum, neutiquam veriſimile (nec enim mea, ſed Viro A. propria eſt hæc locutio de rebus antiquis & reconditis, *Non potuit*) confudiſſe eum diverſas Romanis appellationes provincialium Præſidum, & Imperatoris ipſius: ſeu majeſtatem Cæſaris promiſcua appellatione præter morem Romanorum ac Vſum Linguæ æquaviſſe quodammodo Præſidibus, quod feciſſet, ſi tribuiſſet Imperatoris Aulæ vocabulum, quod nunquam, nec a Romanis, nec a Provincialibus, nec a Latinis, nec a Græcis, ei tribuebatur, ſed Præſidum Aulis erat proprium. Etenim ſicuti Judæi ingeſſerunt Pilato, eum *non eſſe Cæſaris amicum*, ſi impuni-

punitum dimitteret illum, qui ſe, præter Cæſarem, in Judæa *faceret* aut diceret *Regem:* ſicuti hodie multum peccaret in honorem Regibus ac Principibus debitum, qui illis tribueret appellationes uſu quotidiano infra eorum majeſtatem poſitas, & Miniſtris ac Præfectis, quos ipſi conſtituunt, proprias: ſic utique & Paulus parum convenienter fuiſſet locutus Majeſtati ejus; ad quem provocaverat a Præſide provinciæ, & præter quem nullus erat in Judæa Rex, immo qui ab ipſis Præſidibus ἐμφατικῶς dicebatur *Dominus*, ſi eum vel res ejus propriis Præſidum vocabulis inſigniviſſet, ipſumve ad exemplum Præſidum ſimpliciter *Prætorem*, aut ejus Habitationem *Prætorium* appellaſſet contra Vſum & Morem publicum. Quod adeo verum eſt, ut ipſe Vir A. hoc Capite inter rationes, quare Palatium vulgo non appellatum fuerit *Prætorium*, hanc quoque adferat, *quod a Provincialibus prætoriis Cæſaris Habitaculum nomine diſtingui, Majeſtas Imperialis exigere videre.*

deretur. Hæc autem omnia quum neutiquam ignoraverit, aut ignorare potuerit Paulus, minime ergo credibile ſum arbitratus, eum ſcientem prudentemque publicum illum morem conturbare, atque ita contra Cæſaris majeſtatem peccare voluiſſe; certe id a nobis temere ac præter omnem neceſſitatem neutiquam eſſe ſtatuendum. De qua conſequentia & collectione tuum jam eſto judicium, Mi Lector, ut & quo jure ita inſolenter de ea exclamet Vir A. *Hæc eſt Dialectica!* jubeatque Te ex hoc ſpecimine vel tractatu opinari, non tantum meas, ſed in genere *Hiſtoricas & Philologicas Diſſertationes ad doctrinam ratiocinandi non eſſe exigendas*. Nolo Ego gravius quicquam illi reponere, ſed propriam hanc ipſi ejusque ingenio & ſtylo acerbitatis gloriam relinquam, tuoque arbitrio addicam.

CAP.

CAP. XXVII.

De Prætoriis & Palatiis, quæ fuerint in Provinciis, obiter, & Concluſio libri.

Sed eſt alia paulo melior ratio in hanc rem; Ait, in ipſis Provinciis, etiam multis ſeculis poſt, diſtinctam ſemper fuiſſe Palatii & Prætorii ſignificationem; *quod prolixe, ut omnia, proſequitur. Hæc igitur eſt conſecutio; Non eſt probabile, Paulum vocaſſe* Palatium *Cæſaris*, Prætorium, *ut Aula Ducum Hieroſolymis vocabatur; quia Palatium ibi & in Provinciis ſemper a Prætorio diſtinctum fuit. Bene merebitur Vir Cl. de ſtudioſis antiquitatum Judaicarum, quod ſtudium magis indies effloreſcit; ſi doceat illos, Tabulas & deſcriptiones urbis Hieroſolymitanæ tam notabili acceſſione locupletare, non modo ut Prætorium, ſed etiam Palatium ibi fuiſſe meminerint. Nec erit indigna res Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſore, ſi demonſtrare potuerit, qua parte,*

quo

quo monte Hieroſolymorum fuerit Palatium, cujus a Prætorio diſtinctam appellationem Paulus ſibi propoſitam habens, non commiſerit hanc in urbe Roma confuſionem, ut Prætorium fuiſſe in Palatio ſive in Aulica domo ſignificaret. Sed ego contra dixerim, quod de Hieroſolymis nemo veterum aut recentioris ævi ſcriptum reliquit, eo novus Interpres argumentum nullo jure fundare poteſt. Atqui nihil tale ex antiquis, fuiſſe Hieroſolymis, nec quidem in aliis Provinciis, adfertur, vel, ut confido, proferri poteſt, iſto ſæculo, ad probandum Palatia & Prætoria fuiſſe res ubique diſtinctas. Me antea ſuperbe accuſavit noſter, quod ex Symmacho probaveram, Provincialium appellationum cauſas in Palatio fuiſſe actas; id ego a Symmacho retro ad usque Neronis tempora pari modo ſe habuiſſe probavi. Ille nobis hac parte ſimili modo præſtet, Palatia & Prætoria fuiſſe domos ſeparatas Hieroſolymis, a qua urbe ducitur hujus argumenti conſequentia, cæteris-
que

que Provinciis & hoc temporibus Pauli. Dicit pag. 260. *ETIAM* multis ſeculis poſt. *Ergo & Pauli ſeculo & quidem Hieroſolymis? expectamus, dum probetur. De multis ſeculis poſt,* ex Codice Theodoſiano *probat* pag. 152. & ſeqq. *qualitercunque, fuiſſe tunc urbes, in quibus Prætoria diſtincta erant a Palatiis. Atqui hoc ipſe jam pridem his verbis agnoveram, FUISSE ALICUBI DIVERSA PALATIA ET PRAETORIA, non eſt quod negemus. Hactenus igitur cum umbra ſua luctatur Vir Cl. dum ſe Lectoremque fatigat excerptis Conſtitutionum ſeri ævi Principum Conſtantinopolitanorum, qui Prætoria & Palatia quandoque ſeorſim deſignant. Probaveram tamen* ex l. ult. C. de Rector. Provinc. *quæ eſt Leonis, ne tum quidem fuiſſe moris Romanis, ut Prætoria & Palatia diſtinctis domibus haberentur; quin promiſcue ſumi in* d. l. ult. *e verbis* Palatia ſeu Prætoria. *Hic Vir Cl. Philologiæ ſuæ loculos aperit & fuſe*

 pro-

probat, Seu, *non ſemper exegeticum, aliquando disjunctum eſſe: Avertens oculos ab ipſo textu, in quo cum Leo dixiſſet*, Palatia ſeu Prætoria, *quæ ſint in urbibus Provinciarum, mox oppoſita oratione ſic ait;* ubi autem & Palatium & Prætorium eſt, Palatium quidem habitationi Præſidis, Prætorium autem vel ſuſcipiendis conſervandiſque ſpeciebus publicis horreorum vice, vel alii neceſſariæ rei deputetur. *Primo dixit, Magiſtratus non debere ſibi vindicare domos privatorum inhabitandas; Palatiis ſeu Prætoriis eſſe debere contentos. Mox addit, quid faciendum ſit*, ubi & Palatia & Prætoria reperiuntur. *Heic de utriſque disjunctim agit: Prius igitur in oppoſito verſu perinde promiscue accepiße neceſſarium dictu eſt. Fuerunt igitur Prætoria & Palatia iu Provinciis dicta & uſurpata promiscue, alicubi tamen diſtincta; ſed ubi diſtincta fuerunt, ibi Cæſar non vult, ut diſtincta maneant, quod ſane vellet, ſi moris eſſet, ut ſeparatim habe-*

haberentur; Ille vero jubet, alterum ex illis in horreum converti & altero ſe continere Præſides. Quod certo, inquam, argumento eſt, non fuiſſe id inſtituti Romani, ne ſeris quidem illis temporibus, ut Prætorium, ubi Auditorium Præfecti erat, a Palatio ſeorſim haberetur; etſi quibusdam locis diſtincta fuiſſe non negabamus. Ita abſolvimus hanc diſputationem, nec ullum novæ interpretationis argumentum, quod ullam haberet ſpeciem, intactum reliquimus. Deſinimus in eo, quod Ariſtoteles ait, τὸ πρῶτον αἴτιον ἐν τῇ εὑρήσει ἔσχατόν ἐστι. *Quod primo erat propoſitum, inventionis exitu poſtremum eſt; PRAETORIVM Cæſarum fuit,* Pars Palatii, in qua fuit Auditorium Imperatoris & ejus Præfecti, cum ſtatione militum Prætorianorum.

RESPONSIO
Ad Cap. XXVII.

Inter rationes, quare neutiquam veriſimile affirmarim, Paulum præter morem Romanorum Latinum *Prætorii* vocabulum pro Palatio uſurpaſſe. hæc quoque erat, quod *in ipſis provinciis diſtincta fuerit* Palatii & Prætorii *ſignificatio*: atque adeo etiam Provincialibus ſatis ſuperque cognitum, *Prætorii* voce non Palatium, ſed aliud quid, deſignari. Illud vero cavillatur Vir A. inſulſe prorſus, reſtringendo ejus probationem ſimul ad *Hieroſolyma*, & ad *Pauli ſeculum*, quem ipſum toties in ſuperioribus affirmantem ſine ullo alio argumento audivimus, Non poſſe non tempore Neronis fuiſſe uſitatum, quod tempore Imp. Severi, immo Gratiani exſtitiſſe, probatum a ſe, incertiſſimis licet documentis, putabat: quum Ego neutiquam heic voluerim, Palatii & Prætorii ædificia fuiſſe per omnes provincias & Vrbes jam primo Cæſa-

Cæſarum ſeculo ſparſa, ſed tantum cognitam fuiſſe eorum *ſignificationis diſtinctionem*: certe de *Hieroſolymis* nihil ſpeciatim affirmaverim (Vide ſupra Diſſ. II. §. 21. pag. 158.) & quod ad *Tempus*, quo Palatia in provinciis jam exſtiterint, diſertiſſime ſcripſerim §. 20. (V. omnino pag. 152.) *Palatia in uſum Cæſarum DEINCEPS quoque in Provinciis exſtructa.*

Ceterum de *diſtincta vocabulorum* nunquam in unam eandemque rem denotandam olim concurrentium *ſignificatione*, hæc mea fuit ratio, quam velim examines, Lector, & cum hoc Viri A. Capite conferas. Nempe, licet innumeris plane Locis *Palatii* ſeu Aulæ Cæſarum, etiam extra Romam, mentio fiat, nunquam tamen ea apud Veteres *Prætorii* voce occurrit deſignata, etiam quum ceteroquin oportuniſſima eſſet occaſio. Veluti, quando de Militibus Prætorianis agitur, quos utique Vir A. a *prætorio*, quod ſit Palatium, denominatos tradit. Spartian. in Sept. Sev.

c. 7. *Inde in Palatium eodem habitu perrexit, prælatis ſignis, quæ Prætorianis ademerat: tota deinde Urbe Milites in Templis, in porticibus, in ædibus Palatinis manſerunt.* Lamprid. in Heliog. 14. *Sed ubi primum lutati ſunt tituli ſtatuarum* Alexandri, *Milites* prætoriani *omnes exarſerunt, & pars in Palatium*, (cur non *Prætorium?*) *pars in hortos, ubi erat Varius, ire tendunt.* Sic alibi ſæpius. Vno verbo, nunquam & nusquam reperitur *Prætorii* vox, quantacunque ejus eſſet oportunitas, adhibita ad Palatium denotandum. Contra nunquam etiam *Palatium* ſignificavit ædificium habitationi Præſidum in provinciis exſtructum. Porro autem orta ſunt ex hac ſignificationis diverſitate diverſa etiam munera, *Cura Palatii* & *Cura Prætorii*. Hoc nomine appellabatur, qui Duci ac Præſidi provinciarum erat additus, ut ejus Prætorium ſeu Habitationem curaret. Quo pertinet, quod Valerianus Imp. apud Trebell. Poll. c. 14. jubet Claudio Tribuno

Mar-

Martiæ Legionis dari *Curam Prætorii unum*. At *Cura Palatii* erat, qui Palatiorum Principis curam gerebat, (Vide Caſſiod. Var. VII. 5. ubi *formulam Curæ Palatii* exhibet) & poſtea *Curopalates* fuit dictus, magni honoris & frequentiſſimæ mentionis in Hiſtoria Byzantina vocabulum. Tum vero occurrunt paſſim varii generis & ordinis Miniſtri Cæſarum, dicti ſemper *Palatini*, nunquam *Prætoriani*. Habemus titulum in ipſo Codice, *de Palatinis ſacrarum Largitionum*. Similiter innumeri fuerunt alii, qui a diverſis Aulæ Miniſteriis dicebantur *Palatini*. Vide me ſupra ad Cap: XXIV. &, ſi lubet, etiam Lexicographos ſequiorum temporum. Cur, ſi *Prætorium* & *Palatium* ejusdem fuerunt ſignificationis, ſi *promiſcue dicta & uſurpata fuerunt*, ſi Milites *Prætoriani* ita a *Prætorio* palatium ſignificante vocati ſunt, cur nunquam & nuſquam ulli Cæſarum Comites aut Miniſtri, ullæve res ad Aulam Cæſarum pertinentes, appellantur

æque, ac illi Milites, *Prætoriani*, ſed ſemper *Palatini* vel *Aulici*? Denique *Palatii* nomen ſic erat proprium Habitationi Imperatoris, ut etiam extra Romam ædificium omne, in quo Imperator manere & morari ſoleret, *Palatium* diceretur. Dio Lib. LIII. καὶ διὰ τοῦτο, κἂν ἄλλοθι που ὁ αὐτοκράτωρ καταλύῃ, τὴν τοῦ παλατίου ἐπίκλησιν ἡ καταγωγὴ αὐτοῦ ἴσχει. Vertitur, *ideoque* (quia ſcil. in Vrbe Roma Cæſaris Habitatio *Palatium* proprio vocabulo appellabatur) *etſi alibi Imperator Domicilium ſuum habeat, tamen id quoque Palatii nomen obtinet*. Atque hinc legitur jam Antoninus Pius apud Capitol. cap. 2. *ſibi palatium exſtruxiſſe* Lorii in Italia, ubi erat educatus. Sic de Septimio Severo in Britannia apud Spartian. c. 22. *Quod quum eſſet aſpernatus, atque ad Palatium ſe reciperet, negligentia Miniſtrorum nigræ hoſtiæ uſque ad limen domus Palatinæ Imperatorem ſecutæ ſunt.* Similiter Lamprid. in Alex. cap. 60. & alibi. Evenit ergo in provinciis ſæpe,

ut

ut in una eademque Vrbe eſſet ſimul *Prætorium* habitationi Præſidis deſtinatum, & *Palatium* habitationi Cæſaris, maxime poſtquam Cæſares quidam, vel bellis extracti, vel aliis cauſis adducti, magnam ſæpe imperii ſui partem extra Romam in provinciis egerunt.

Quæ etiam cauſa eſt, quod in utroque Codice *Palatia* & *Prætoria* in quibusdam Vrbibus pariter exſtitiſſe, vel non exſtitiſſe, memorentur, atque ad eo manifeſtiſſime a ſe invicem diſtinguantur, & quaſi opponantur, tanquam diverſæ prorſus ſignificationis vocabula. Probavi illud tam liquido ex Codice Theodos. Tit. *Ne quis in Palatiis maneat*, ut Vir A. hunc titulum, tanquam ulcus aliquod, refugiat, ſeque jam pridem *fuiſſe alicubi diverſa Palatia & Prætoria* agnoviſſe, affirmet, immo me *cum umbra mea luctari*, dum me Lectoremque fatigem Conſtitutionibus Principum adferendis, *quæ Palatia & Prætoria quandoque ſeorſim deſignarint.*

narint. Tuam fidem, Ampliſſ. Hubere! Nonne hæc tua fuerunt verba, quibus Ego illas Conſtitutiones oppoſui? *Qui diſtinctas & diverſi generis ædes fuiſſe narrant Hieroſolymis aliisque in provinciis Prætorium & Palatium, adhuc operam dare debent, ut rem Novam probent: fuiſſe alicubi diverſa non negamus, ſed plerumque eadem & promiſcuæ appellationis fuerunt*. V. ea ſup pag. 96. *Novum* itaque affirmas, & a me *probari* poſtulas, quod *Palatium & Prætorium fuerint in provinciis* (nam de *Hieroſolymis* nihil ſpeciatim dixi) *diſtinctæ & diverſi generis ædes*. Quum id facio & tibi obſequor, *cum umbra me luctari* ais. Sed *fuiſſe alicubi diverſa* agnoviſti. At quomodo? Vt ſcil. *Habitatio Præſidum* & *Auditorium Judiciale*, quæ duo fuerint plerumque conjuncta in unum ædificium, aliquando etiam, ſed *præter exemplum & morem*, fuerint ſejuncta, & tunc quidem Habitationem ipſam deſignaverit vox *Palatii*. *Prætorii* vero Audito-

ditorium. Neutiquam ergo diſtinctas & diverſi generis ædes ſignificari iis vocabulis, ſed duas ejuſdem ædificii partes, quæ ita fuerint jungi ſolitæ in unum illud ædificium, ut etiam appellationem ſuam ſecum invicem communicaverint, &, ſicubi contingeret, ut ſepararentur in diverſas ædes, id *præter exemplum & morem* acciderit. Nonne hæc Tua eſt, Vir A. ſententia de horum vocabulorum diſtinctione ac ſignificatione? Si negas, recognoſce tuam Digreſſionem §. 8. pag. hujus edit. 96. 97. Si fateris, tuam iterum appello fidem, tuamque conſcientiam, annon convictus ſis, ex Codice Theodoſiano, & illis *ſeri ævi Principum Conſtitutionibus* (ut de iis quaſi per contemptum loqueris, quia quam maxime Tibi adverſantur) non *qualitercunque*, ſed clariſſime eſſe a me probatum, *Prætoria & Palatia* fuiſſe, non *alicubi* & *præter morem diverſas*, ſed plane & prorſus, & ordinarie, longeque alio ſenſu, quam quo a Te explicantur, *diſtinctas ac*

diverſi

diverſi generis ædes; fuiſſe *Palatia* ædes Imperatoris manſioni unice deſtinatas, nihil ad Præſidem pertinentes, at *Prætoria* ædes habitationi Præſidum exſtructas? Docent hæc tam manifeſtum profecto in modum illæ Conſtitutiones, ut nihil clarius eſſe poſſit, ſiquidem primum vetantur iſtic, quiqui ſint, *etſi vel dignitate aliqua vel fortunis nitantur, in qualibet Civitate vel Manſione manere intra Palatia*: Sed tamen, quia poſtea animadvertebatur eſſe quasdam Civitates ab aggere publico remotas, in quibus Palatia quidem eſſent, ſed nulla eſſent Prætoria, & quia ſæpe Ordinarii judices in eas Civitates proficiſci, atque adeo, quum non liceret iis manere in Palatiis per illam Conſtitutionem, in privatorum ædes iſtic devertere præter morem Romanorum & commoda provincialium cogebantur: hinc iidem Imperatores reſpectu talium Civitatum retractaverunt quaſi priorem illam de Palatiis conſtitutionem, caveruntque, ut *Ordinarii judices*;

dices, in Civitatibus ab aggere publico remotis, ſi Prætoria non ſint, habeant facultatem manendi in ædibus, quæ Palatii nomine nuncupantur, metu Legis, quæ de Palatiis lata eſt, & per quam non licebat neque his Ordinariis judicibus manere in Palatiis, *adempto*. Quid clarius, quid certius, quam diſtingui hic *Palatia* & *Prætoria*, non tanquam *alicubi & præter morem ſeorſim aliquando habita*, verum ut plane & penitus diverſi generis, ac diverſorum hominum manſionibus deſtinatas ædes: fuiſſe Civitates, inquibus *Palatia* eſſent, *Prætoria* non eſſent: fuiſſe *Palatia* Cæſarum manſioni unice deſtinata, atque idcirco omnes alios, etiam Ordinarios Judices ac Præſides illarum Provinciarum & Vrbium, in quibus eſſent illa Palatia, iis tamen diſertiſſime excluſos, niſi ubi Prætoria nulla eſſent: fuiſſe *Prætoria* præſidum habitationi propria, & propterea, ubicunque ea eſſent, non licitum Præſidibus in Palatia devertere.

Conferamus jam cum hiſce tuam, Vir A. ſententiam, ſiquidem ipſe id facere noluiſti, licet ſæpius id jam in Diſſert. II. flagitatum a me fuerit. Concilia, ſodes, *Palatium* a Prætorio alicubi ſeorſim habitum, ſignificare habitationem ipſam Præſidum, & tamen hoſce Præſides excludi primo generatim ex *Palatiis*, tanquam Cæſari propriis, quæ proinde in illa conſtitutione ipſi Cæſares *Noſtra* vocant; dein vero admitti quidem in Palatia, ſed earum tantum Vrbium, in quibus non ſint Prætoria. Porro autem *prætorium* ſi alicubi præter morem & exemplum ſit a Palatio ſeparatum, denotare tunc proprie Auditorium judiciale, & tamen Præſides ac Ordinarios judices provinciarum in iis Vrbibus, ubi ſint & *Palatium*, h. e. ut ipſe exponis, Habitatio Præſidum, & *Prætorium* h. e. Auditorium judiciale, *non habuiſſe facultatem manendi intra Palatia*, ſed debuiſſe omni modo in *Prætoria*, ſeu Auditoria nuda, ſe recipere, *manendi*, h. e. habi-

bitandi & devertendi gratia. Oſtende quæſo, quî conveniat, ſi *præter morem & exemplum fuerit*, quod *Prætorium & Palatium alicubi diſtinctis domibus ſint habita*, ut tamen in quibusdam Vrbibus alterutrum fuerit prorſus ſolum, in quibusdam quidem utrumque, ſed ita & ibi ſeparatum, ut in altero manere liceat Præſidi, in altero non liceat: immo quî conveniat, ut in Vna eademque Vrbe *Palatium* quidem ſit, ſeu ædificium Habitationi Præſidis exſtructum, nullum autem *Prætorium*, ſeu Auditorium judiciale, ſive extra ſive intra Palatium: quum in quibus Vrbibus inveniri poterat locus Habitationi Præſidum, haud dubie etiam Auditorio locus quiſpiam facile potuiſſet aſſignari; & præterea in quibus Vrbibus Præſidi Habitatio erat exſtructa, factum id fuerit ea potiſſimum gratia, quod in iis maxime Vrbibus conventus agi, & totius regionis judicia exerceri ab eo ſolerent: atque adeo, ſi uſquam, iſtic vel maxime debuerit judi-

judiciale haberi Auditorium. Haſce difficultates vere *vim facientes communi Lectorum ſenſui*, jam in Diſſ. II. tuæ ſententiæ oppoſitas, amoliri aut conciliare cum Cæſarum Conſtitutionibus debuiſſes, vel tam abſonam & alienam a vero ſententiam dimittere aut emendare, niſi malles juſtiſſima ratione hanc *necti conſequentiam, Tuas* potiſſimum *Diſſertationes vel aſſertiones ad Doctrinam ratiocinandi non eſſe exigendas.* Sed tutius erat, hæc omnia ſilentio involvere ac diſſimulare, & nihilo minus magnificis ſe efferre verbis, jactareque inſuper, *nullum te meæ interpretationis argumentum, quod ullam haberet ſpeciem, intactum reliquiſſe*; ne ſcil. videatur uſquam Viro A. hæſiſſe aqua adverſus *Juvenem*, lectores quippe habituro pauciſſimos, qui meam Diſſertationem cum hoc *Singulari Libro* eſſent collaturi, & ita turpe illud eremodicium animadverſuri.

Ceterum ex his quilibet etiam facile intelligit, quantum tædii exhaurien-

iendum mihi fuerit in refutando tali Adverſario, qui, ubi manifeſtiſſimis eſt documentis convictus, ea ſtudioſe diſſimulat, & nihilo minus eandem apud ſuos Lectores canit cantilenam, *Romani moris non fuiſſe, ut Prætoria & Palatia ſeparatim ſeu diſtinctis domibus haberentur, idque etiam probaviſſe ſe l. ult. Cod. de Rect. prov.* Tu vero, mi Lector, Vide Diſſ. I. §. 34. & II. §. 20. 21. ubi eam legem, quæ eſt Imp. Leonis, attuli ipſe primus & exhibui integram, docuique clariſſimum in modum, iſtic quoque *Palatia* & *Prætoria* diſtingui itidem eodemque ſenſu, quo fit in Cod. Theodoſiano. Scilicet quia Palatia prolabebantur incultu, quando non erant Imperatores peregrinationum ſtudioſi, dum non licebat cuiquam, *etſi vel dignitate aliqua vel fortunis niteretur, manſionem in iis prava temeritate ſibi præſumere*, & quia Præſides etiam Prætoriis relictis malebant in privatorum domibus habitare: idcirco Leo Imp. tandem conſti-

 tuit

tuit, ut *Judices, qui provincias regunt, non privatorum domos ſibi ad habitandum vindicent, ſed Palatia ſeu Prætoria omnibus modis inhabitare cogantur*, ratione hac addita, *ut ea neceſſitate compellantur eorum reparationi providere.* Sed quia erant quædam *Civitates, in quibus ſacra Palatia, aut Prætoria erant*, ut loquitur, h. e. alterutrum ſolum, aliæ vero, *ubi & Palatium & Prætorium eſſet* ſimul, jubet in prioribus quidem Civitatibus non privatorum domos, ſed *omnibus modis ſacratiſſima Palatia, ſeu Prætoria inhabitare*, prout ſcil. alterutrum eorum, vel Palatium, vel Prætorium, iſtic ſolum erat: in poſterioribus vero, ubi utrumque erat pariter, *Palatium*, tanquam præcipuum & potiſſimum, *habitationi Præſidis deputari, Prætorium autem*, tanquam dignitate inferius, *ſuſcipiendis conſervandiſque ſpeciebus publicis horreorum vice.* Sed heic ait Vir A. quia in poſteriori Conſtitutionis parte de *Palatiis & Prætoriis disjunctim agitur*, ergo in

priori

priori *promiſcue ea accipi, neceſſarium dictu eſt.* Verum quis unquam quicquam abſurdius audivit, in eadem Conſtitutione eadem vocabula ſimpliciter adhibita, modo *promiſcue* & ἐξηγητικῶς ſumi, modo *disjungi* manifeſte in diverſam ſignificationem; & ſibi quaſi opponi? Immo vero clariſſima eſt heic Civitatum inter ſe oppoſitio, in quibus erat alterutrum ſolum, *ſacra Palatia, aut Prætoria,* & mox iterum, *Palatia ſeu Prætoria*, h. e. ſeu Palatia, ſeu Prætoria: & in quibus erat utrumque ſimul, *& Palatium & Prætorium*, manente utrobique eadem vocabulorum ſignificatione. Agitur diſjunctim de *Palatiis* & *Prætoriis* in poſteriori parte, quoniam, in quibus Civitatibus erat utrumque ſimul, iſtic in disjunctos & diverſos uſus ab Imperatore diſtribuuntur; ut erant diverſa & diſtincta ædificia: at in priori per voculas *aut* & *ſeu* conjunguntur, non quod promiſcue accipiantur, ſed quod, in quibus Civitatibus erat alterum ſolum, iſtic utra-

que in unum ac præcipuum illum Habitationis uſum conferantur. Deinde vero, quæ quæſo eſt ratio, ut, ubi eſſet utrumque ſimul, ibi *Prætorium* in horrei vicem converteretur, ſi *Prætorium* iſtic proprie ſignificaret Auditorium judiciale? In quem enim uſum fuiſſet exſtructum, ſervare eum vel maxime deberet, quando Præſes in Vrbe illa Palatium occupabat. Sed dicit Vir A. voluit Imperator Habitationem & Auditorium conjungi, quia *moris non eſſet, ut ſeparatim haberentur*. At, ſi cauſa fuerat, cur præter morem ſeparatim in quibusdam Vrbibus exſtruerentur, cauſa etiam fuit haud dubie, & manſit, cur ſeparatim porro haberentur, veluti quia forte locus in iis Vrbibus Palatio ſeu Habitationi aſſignatus, nimis erat anguſtus, quam ut etiam Auditorium illud reciperet. Deinde, quod de *more* hic dicitur conjunctim habendi Palatium & Prætorium, alieniſſimum eſt a vero, & liquet contrarium ex ipſis hujus Conſtitutionis verbis, qui-

bus,

bus clariſſime ſignificatur, fuiſſe Vrbes quamplurimas, in quibus alterutrum, *Prætorium*, *aut Palatium*, ſolummodo eſſet. Porro æquius longe & convenientius fuiſſet, in tali negotio Conſtitutionem accommodare ad diverſiſſimas ſæpe Civitatum rationes, quam haſce omnes ad eandem omnino redigi velle formam. Denique, quod præcipue animadverti debet, nullum omnino occurrit in ea Conſtitutione verbum ejus rei, quam Vir A. comminiſcitur; conjungendi ſcilicet illa, quæ male fuiſſent hucusque ſeparatim habita. Tantum dicitur, *ubi autem & Palatium eſt & Prætorium*, *Palatium quidem habitationi Præſidis*, *Prætorium autem ſuſcipiendis conſervandiſque ſpeciebus publicis deputetur*. Quis tam cæcus, qui non videat, ſimpliciter iſtic diverſas plane res vocabulis hiſce, *Palatio* & *Prætorio*, deſignari? Eas res fuiſſe in quibusdam Vrbibus pariter & ſimul, in quibusdam non: Vbi pariter erant, iſtic ſimpliciter in diverſos Vſus converti?

Nullum utique verbum in hiſce de contrahendo *Palatio* ac *Prætorio* in unum ædificium, ſicuti & ejus nulla erat utilis, nedum neceſſaria, ratio, quæ multo minus erat in *Prætorio*, ſeu Auditorio judiciali, ad *horrei* Vſum transferendo: quum e contrario ex mea, immo Jac. Gothofredi aliorumque, interpretatione, commodiſſima ejus tranſlationis ratio ultro quaſi oculis ſe ingerat. Etenim ubi eſſet ſimul & Palatium Imperatoris & Prætorium Præſidis, iſtic neceſſario alterutrum relinquebatur vacuum & ſine Vſu, quando Imperator a peregrinationibus alienior hærebat ſemper in Vrbe CPolitana, nec utebatur provincialibus illis Palatiis, quia pariter a Præſide inhabitari utraque non poterant: atque idcirco in hac Conſtitutione, ubi ſimul eſſent, diverſis uſibus ſunt aſſignata, ne inuſu & incultu alterutrum collaberetur, ſed ita, ut ea quoque in re *Palatii*, ſicut oportebat, potior habeatur ratio. Ceterum poſt hanc Leonis Conſtitutionem ſenſim & pau-

paulatim factum eſſe, facile crediderim, ut, quia *Palatia* tum cœperunt etiam a Præſidibus provinciarum inhabitari, eo tandem nomine ornarentur omnes Majores ſplendidioresque Regum, aliorumque Magnatum ædes, ſicuti fit hodie in omnibus pene Europæorum linguis.

Verbum non addam, (pluribus enim de hiſce jam egi in Diſſ. II. §. 20. 21.) niſi unum hoc, quod Vir A. quia videt has Cæſarum Conſtitutiones ſuæ ſententiæ prorſus & diſerte adverſari, eas quaſi per contemptum vocat *ſeri ævi*. Ille vero, ſi ſuam tueri cauſſam recte potuiſſet, debuiſſet omnino oſtendiſſe, ea vocabula unquam ergo *vetuſtiore ævo* concurriſſe in eandem ſignificationem. Quod quando facere nequivit, mea ratio, qua uſum me dixi ad probandum, *Palatio* & *Prætorio* non promiſcue unam eandemque, ſed diverſas omnino res in Veteri Lingua denotari, annon certiſſima eſt, & pene Mathematica? Quod ſcil. nunquam apud Veteres hæc duo vocabu-

la ad eandem rem deſignandam reperiantur promiſcue adhibita, neque per ſe, neque per derivata. Quod nunquam *Prætorium* neque in Vrbe, neque in provinciis denotarit Aulam Imperatoris, licet hæc innumeris in Locis memorata occurrat, ſemper *Palatii* aliisve vocabulis deſignata: immo neque *Prætorianus* Aulæ Miniſtrum, licet infinitis item in Locis, variisque ordinibus, hi Miniſtri, nomine *Palatinorum* deſignati, inveniantur. Quod quando diverſæ illæ res, quas iſtis vocabulis ſignificatas docui, ſimul in iisdem provinciis & Vrbibus eſſe cœperunt, reperiantur & a me exhibeantur Loca, in quibus *Palatium* & *Prætorium* ſibi invicem tanquam diverſæ prorſus ſignificationis vocabula quaſi opponuntur, reſque illis ſignificatæ, ut prorſus diverſæ, in diverſos etiam uſus conferuntur. Ad hanc rationem exigeſis, Lector, quæ Vir A. pro ſua ſententia in hoc Capite repoſuit, licet jamdudum refutata. Judica etiam, quo jure & fide

hunc

hunc Librum concludat jactando primum, *nullum ſe novæ*, quo modo meam appellat, *interpretationis argumentum, quod ullam haberet ſpeciem, reliquiſſe intactum*, quum hoc ipſo in Capite *qualitercunque* a me ex Codice Theodoſiano narret probatum, *fuiſſe alicubi diſtincta Palatia* & *Prætoria*, & interim tacita prætermittat argumenta, ex illo Codice petita, quibus longe amplius quid adverſus ejus ſententiam probaveram; nempe non fuiſſe tantum *diſtincta alicubi*, ſed plane *diverſi generis ædificia*, quod negatum ab ipſo, & in hoc Capite, licet non refutentur meæ rationes, eadem prorſus cantilena denuo negatur: Deinde, inveniri tanquam ex præmiſſis & ante diſputatis definitionem, quam *Prætorio* adſcribit, *fuiſſe* ſcilicet proprie *partem Palatii, in qua fuerit Auditorium Imperatoris &c.* quum neque Vſum neque Analogiam iſtius ſignificationis vel in ſpeciem, usquam toto hoc Libro probaverit: certe nullum plane attulerit Lo-

cum, in quo vocabulum illud tali ſenſu fuerit vel ex ipſius interpretatione adhibitum: nullum ſimilis ſaltem ſignificationis in hocce vocabulo exemplum ad declarandam ejus Analogiam vel ex Libera Rep. vel ex Caſtris, vel ex provinciis (ut facere tamen conatur, quando *Prætorium* pro Palatio accipit) in medium protulerit: nusquam *Prætorium* oſtenderit pro Loco poſitum, ita, ut proprie Judicialem Locum vel in Palatio, vel in Vrbe Roma, vel in Caſtris aut Provinciis, immo ut ſaltem alium qualemcunq; præterquam Habitationis, Locum denotarit: denique quod ex ſuperfluo, & juſtis quidem rationibus, inſuper negavi, rem ipſam h. e. ſtatum ac publicum juris dicundi Auditorium in Palatio Cæſarum primi ſeculi fuiſſe, nullo probare modo potuerit. Nihilo tamen minus, quaſi re optime geſta, magnificis plane verbis triumphat & Pæana canit. Ego vero facile patior & ſuſtineo καυχώμενον, eumque ſuo ſibi ingenio, resque ipſas omnemque no-

ſtram

ſtram controverſiam eorum judicio, qui utrimque ſcripta legere & inter ſe conferre non gravabuntur, lubens permitto.

F I N I S.

IACOBI PERIZONII

DISSERTATIO

DE

AVGVSTEA

ORBIS TERRARVM

DESCRIPTIONE,

ET

LOCO LVCAE

eam memorantis.

IACOBI PERIZONII

DISSERTATIO

DE

Auguſtea Orbis Terrarum Deſcriptione, & Loco Lucæ eam memorantis.

Omnium, quotquot ſunt, aut fuerunt, epocharum longe clariſſima eſt illa, quæ à tempore, quo ad ſalutem humano generi adferendam natus t Jeſus Chriſtus, initium ducit. Hæc enim t, qua nunc potiſſima & politiſſima Ors terrarum pars utitur, quæ omnem Hioriam, cum ſacram, tum profanam, in uas dividit partes, quæ vere fuit ſuperioum temporum ἐποχὴ, & rerum deinceps erendarum ac referendarum novam ſeriem onſtituit, cujus denique principio, vel rca, non modo a Iuda receſſit ſceptrum legiſlator, Iudæâ in provinciæ formam dactâ, legesque alienas coactâ recipere, immo

immo tandem prorſus vi ſubactâ & deſolatâ, ſed & omnes pene populi τῆς οἰκουμένης in unius poteſtatem ac ditionem conceſſerunt, immo & ipſe ille Victor gentium populus Romanus, exſtincta libertate, ſuorum Cæſarum jugo collum tantum quod ſubdiderat. Breviter longe alia tunc exſtitit rerum facies toto terrarum Orbe, quam ſuperioribus ſeculis fuerat, ut vere dici potuerit,

Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo,
Quum nova progenies cælo demittitur alto.

II. Ceterum quo illuſtrior hæc ipſa eſt Epocha, eo diligentius non Theologiæ modo, ſed & Hiſtoriarum omnis generis ſtudioſo inquirendum eſt in eam, verumque ejus principium, h. e. in Hiſtoriam nati τοῦ Σωτῆρος, cogitandumque de ſolvendis nodis & amoliendis difficultatibus, quæ implicare eam & obſcurare videntur. Has inter vel præcipua eſt illa, quæ circa τὴν ἀπογραφὴν verſatur, memoratam a D. Luca in Euang. Cap. II. Quapropter, cum de ea recedamus a vulgata per omnes verſiones, quæ hodie manibus verſantur, ſententia, videmur operæ facturi pretium, ſi nunc accuratius paulo explicemus rationes, tum quibus moti eam repudiaverimus, tum etiam, quibus aliam neglectam hactenus certius & planius confirmari poſſe putemus.

Sed

ed antequam rem ipſam aggrediamur, reviter commemorandus Iudææ tunc temoris Status, ut pateat, quare deſcriptio æc Auguſti juſſu in eâ quoque, & qualis, t facta.

III. Exſtincta jam erat ſeries Haſſamoæorum Regum, poſtquam Antigonus riſtobuli F. ab Herode, auxilio C. Soſii, ntoniani ducis; obſeſſus Hieroſolymis, aptusque, ac dein ſecuri a Romanis peruſſus fuerat. Succeſſit iis ipſe ille Herodes, m ante opera M. Antonii a Senatu R. Rex udææ appellatus, & idcirco in Actiaco bello usdem partes ſecutus, confirmatus poſtea men etiam ab Octaviano Auguſto, cum gratia ad illum eſſet profectus, victo jam ntonio, & hujus beneficiorum in ſe magnidinem, ſuamque viciſſim gratam erga im benevolentiam ingenuo & magno anio excuſaſſet. Rex itaque erat Iudææ, d precario, atque ita, ut & ipſe & omes ejus ſubjecti majeſtatem Populi R. ſeu tius Imp. Cæſaris Auguſti, comiter verari deberent, eique dicto eſſe audientes. enim ab Occidente ad Euphratem uſque *rbem jam totum victor Romanus habebat*; nnesque in eo tractu populi ac Reges, am tributi immunes, muneribus tamen, que omni reverentia Auguſtum proſequentur, quippe cujus benignitate regnum

Libertatemve obtinebant, & ſine cujus aſſenſu jam dato non poterant ſuccedere etiam parentibus. Quantopère ſuccenſuerit Auguſtus Aretæ Arabum Regi, quod Obode mortuo temere regnum ſuſcepiſſet, antequam ipſius conſenſum haberet exploratum, multis refert Ioſephus Antiq. XVI. c. 15. 16. Hujus ipſius Herodis Filius Archelaus poſt patris mortem ſtatim ipſe Romam eſt profectus, ut ab Imperatore regnum ſibi a patre relictum confirmaretur, neque tamen Regis ab eo, ſed Ethnarchæ titulum obtinuit, Ioſeph. XVII. 11. immo aliquot annis poſt per accuſationem Iudæorum Viennam fuit relegatus, Idem cap. 15. Sed nulla ex re clarius elucet poteſtas Cæſaris Auguſti in Judæam, quam quod omnes Judæi jurejurando fuerint coacti non Regi ſuo tantum, ſed & Cæſari Auguſto (Joſeph. XVII. 3.) ſuam affirmare fidem, ac benevolentiam. Et hæc cauſa, quare, quum exiit edictum ab Auguſto, ut deſcriberetur omnis terra Romanis ſubjecta, quæ quidem eſſet οἰκουμένη, h. e. ab hominibus incoleretur, etiam Judæi, quamvis proprium habuerint Regem, huic edicto obtemperaverint, & quiſque in ſuam originis patriam abierint εἰς τὸ ἀπογράφεσθαι.

IV. Sed & ex hoc ipſo Judææ Statu, quæ tamen nondum erat provincia, non tri-

tributaria Populi R. ſed ſuum habebat Regem, colligi facile etiam illud poteſt, qualis iſthæc fuerit deſcriptio: ſcilicet ἀπογραφὴ τῶν ἀνθρώπων, ſeu deſcriptio ſingulorum hominum nominatim in publicis tabulis. Nam ne aliter ſentiam, aut cum multis tributi causâ eam arbitrer factam, h.e. fuiſſe ἀποτίμησιν τῶν οὐσιῶν, non parum me movet, quod nulla omnino ejus fit mentio apud alios ſcriptores, immo nec ipſum Joſephum, non prætermiſſuros haud dubie, ſi illo tempore per totum orbem, vel etiam ſolam Judæam, fuiſſet facta pecuniarum ſingillatim ἀπογραφή, ex eaque renovatio tributorum. Attulerunt quidem nonnulli quædam loca Veterum, de hac, ut putabant, deſcriptione agentia. Verum ea aliena prorſus ſunt, & ab aliis jam repudiata. Præterea fuiſſet tunc etiam periculoſæ alcæ opus, ſimul totius Orbis opes tributi cauſa cenſere, quum ſæpe tales cenſus in ſingulis regionibus magnas dederint turbas. De Judæis poſt Archelai relegationem, quando Quirinus advenerat ἀποτιμησόμενος αὐτῶν τὰς οὐσίας, refert Joſephus XVIII. 1. jam ab initio eos de hac ſuarum opum deſcriptione iniquo animo audiviſſe, & ab Iuda Gaulanite ad defectionem ſollicitatos, dicendo, *cenſum hunc nihil aliud, niſi palam ſervitutem adferre.* Similiter apud Tacitum An. VI. 41. Cli-

tarum natio Cappadoci Archelao ſubjecta, quia *Romanum in modum deferre cenſus, pati tributa, adigebatur*, in juga montis Tauri abſceſſiſſe rebelli animo legitur. Immo Imp. Claudius in Oratione ad Senatum laudat Gallos, quod quietem Druſo patri ſuo contra Germanos bellanti præſtiterint etiam poſt cenſum, *novum tunc & inadſuetum Gallis opus: Quod opus*, pergit, *quam arduum ſit nobis, nunc cum maxime, quamvis nihil ultra, quam ut publice notæ ſint facultates noſtræ, exquiratur, nimis magno experimento cognoſcimus.* Si res etiam ſub Claudio in ſingulis provinciis tam ardua generatim fuit, non credibile eſt, πᾶσαν τὴν οἰκουμένην fuiſſe ſimul jam olim iſto modo cenſam ab Auguſto, maxime cum paulo ante ex illo ipſo ſolius Galliæ cenſu tumultus tamen in ea, veteri jam provincia, fuerit exortus, ut docet Epit. Livii 137. Sed & ipſe Auguſtus, quum tribus vel quatuor annis poſt natum Chriſtum, iſtius generis ἀπογραφὴν in Italia ageret, eos tantum, qui in ea habitabant, nec minus quam ducena ſeſtertia habebant in bonis, recenſuit, non item pauperiores, nec eos, qui extra Italiam incolerent, veritus, ne quid novarent, rebellarentve, his deſcriptionibus turbati, ut Dio tradit lib. LV. Cui ergo fiet veriſimile, eum, quum in Italia ad omnes incolas cenſum extendere non aude-

auderet, pauciſſimis annis ante, & Imperio nondum ſibi ſatis confirmato, omnes Romanæ Civitati ſubjectos ſingillatim ad publicam bonorum ſuorum profeſſionem per totum Orbem adegiſſe: quippe quum ea re veluti denunciaretur gravior deinceps & acerbior ex cenſu tributorum exactio, ſiquidem iſtiuſmodi cenſus, ſeu illa ὑσιῶν ἀποτίμησις in provinciis, revera fiebat a Romanis *tributi* gratia vel imponendi vel augendi. Hinc apud Tacitum, *noſtrum* (h. e. Romanum) *in modum deferre cenſus* & *pati tributa* conjungitur, & quum Judæa remoto Archelao in provinciæ formam redigeretur, atque adeo fieret Romanis tributaria, ſtatim in eam venit Quirinus, docente Joſepho, *bona Judæorum* ἀποτιμησόμενος, *cenſiturus*, ut ſcil. ex illo bonorum cenſu tributum novæ provinciæ conſtitueretur; immo vero inde etiam eſt, quod Hieronymus, quum putaret *hanc totius Orbis Romani deſcriptionem* fuiſſe ὑσιῶν ἀποτίμησιν, exiſtimaverit proinde, per errorem licet ingentem, quando ea fiebat, Judæam jam tunc *Romanis fuiſſe ſubjectam, factamque ſtipendiariam*, in Matth. XXII. 15. Denique & hoc inde ortum, ut Latinum vocabulum *Cenſus*, Κῆνσος, in provinciis & Lingua Græca pro ipſo poneretur tributo. Matth. XVII. 5. *Reges terræ, a quibus capiunt tributa vel*

cenſum, τέλη ἢ κῆνσον? & XXII. 17. 19. Phariſæi ac Herodiani rogant Chriſtum, *Licetne dare* Κῆνσον, *Cenſum*, *Cæſari*, *nec ne?* reſpondente eo, *oſtendite mihi nummum Cenſus*. Monere hæc volui & paulo uberius exponere, quia vidi Doctiſſ. ceteroqui Virum Henr. Noriſium in Cenotaphiis Piſanis Diſſ. II. Cap. 16. §. 12. affirmare: *Cum cenſus a Romanis in provinciis agebatur, nihil pecuniæ a deſcriptis exigebant, ſed eo tantum fine cenſum faciebant, ut Nihil ultra, quam ut publice notæ eſſent facultates, exquireretur*. Decepere Virum Eruditiſſimum poſteriora hæc verba, quæ ſunt Imp. Claudii, a nobis etiam paulo ante exhibita, & ab illo de ſuo tantum tempore & cenſu a ſe acto uſurpata, quum ſine dubio meticuloſus ille Imperator per iſta *nimis magna experimenta*, quæ memorat, progredi non auderet a Cenſu ad ipſam Tributi exactionem, ſicuti conſtituerat, & ſicuti ſolebant alii poſt ejusmodi cenſum in provinciis facere.

Accedit ad hæc ratio ipſa factæ in Judæa deſcriptionis, ut ex qua liquet item manifeſtum in modum, ipſos ſolummodo homines, non bona aut opes eorum, in cenſum eſſe ac numerum relatos. Cenſi enim fuerunt, non ubi habitabant, & proinde ſaltem plerique ſua habebant bona, (vix enim alia in longe maxima Judæorum parte

parte poteſt dari ratio, quare cœperint extra priſtinam, ſeu Majorum ſuorum, patriam habitare, quam quod tandem in aliis oppidis ſuas quæſiverint fortunas conſtituerintque) ſed unde per Majores ſuos erant orti, ſeu ubi Majores eorum perpetua ſerie vixerant, & ubi idcirco Genealogicæ illorum tabulæ reperiebantur, ſecundum quas recenſio illa poterat facilius fieri, & fieri debebat ex Veteri Reip. iſtius more, quæ, ut pluribus docui in Diſſertat. Triade de Nomine & memoria Defuncti Fratris per Superſtitem propaganda, tota erat Genealogica, & in Familiis conſiſtens. Hinc ergo Joſephus ex Vrbe Galilææ Nazaretho abire coactus eſt Bethlehemum Iudææ, *quia erat*, ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς δαβὶδ, *ex domo & familia Davidis*. Et Tertullianus contra Marcion. IV. 19. *Ex cenſibus ſub Auguſto in Judæa actis Genus Chriſti inquirere eos potuiſſe* tradit. Quod ſi aliud quid in facienda hac ἀπογραφῇ ſpectatum fuiſſet, quam ut iniretur hominum numerus, ſeu ſi in ea etiam opum & facultatum cenſendarum fuiſſet habita ratio, vel ut eæ ſolummodo eſſent notæ Auguſto, vel ut revera ex iis tributum conferretur, tum ſane multo fuiſſet convenientius, ut iſtic potiſſimum cenſerentur homines cum ſuis opibus, ubi habitabant, & ubi proinde eæ opes erant notæ omnibus vel

ſaltem certius cognoſci & æſtimari poterant.

V. Denique quum etiam in Judæam miſſum fuerit hujus deſcriptionis δόγμα, non fuiſſe eam τῶν οὐσιῶν ἀποτίμησιν, ſed tantum ἀνθρώπων ἀπογραφήν, ex ipſo iſtius regionis *Statu*, vel maxime, ut dixi, colligitur, quandoquidem vivo Herode nullum plane ſtipendium pendebat Cæſari nec ipſa, nec etiam Rex ejus Herodes. Erat ille Amicus & Socius Cæſaris, non tributarius, immo nec proprie ſubjectus, niſi quatenus infirmior ſemper eſt in poteſtate vicini longe validioris, & ejus gratiam quovis obſequio ſibi conciliare debet. Cum accuſatus eſſet apud Cæſarem calumniis Syllæi, offenſus ille literas ad eum dedit, quibus inter alia denunciabat, ὅτι πάλαι χρώμενος αὐτῷ φίλῳ, νῦν ὑπηκόῳ χρήσεται (Joſeph. XVI. 15.) *quod antea ipſum habuiſſet pro Amico Rege, deinceps vero habiturus eſſet pro ſubiecto.* Manifeſtum ex his verbis, cujus conditionis Rex fuerit Herodes reſpectu Cæſaris, φίλος, Amicus & Socius, non ὑπήκοος, non *Stipendiarius*, quales intelliguntur iſtic per τὸ ὑπηκόου vocabulum; nam ceteroquin ex reverentia quadam ὑπήκοος, h. e. dicto audiens, Auguſto revera erat. Et manſit is, qui fuerat, uſque ad exitum vitæ, quippe

qui

qui Syllæi dolis per Nicolaum Damaſce-
num detectis multo majore apud Cæſarem
gratia deinceps floruit. Quod ergo Appia-
nus Εμφυλ. V. 715. eum inter Reges ἐπὶ
φόροις τεταγμένοις conſtitutos nominat, ſi
verum de Herode, quod tamen non puto,
omnino illud ad prima M. Antonii tempo-
ra, de quibus ibi agitur, & quibus ille
bellum adverſus Parthos meditabatur, re-
ferendum eſt. Sed ſi maxime tributarius fu-
iſſet, omnis tamen tributi ex cenſu, aut
quacunque de cauſa, imponendi remitten-
dive poteſtas etiam ſic penes ipſum neceſſario
fuiſſet, id quod ex Ioſepho XVII. 2. conſtat.
Etenim cum vellet fines ſuos munire ad-
verſus latrocinia Trachonitarum, evocaſſe
traditur Babylone Judæum quendam, 10.
equitibus & præterea centum aliis ex cog-
natione ſua comitatum, eumque locaſſe in
confinio Trachonitidis, ſed ita, ut regio-
nem, quam illi incolerent, pronunciaverit
ἀτελῆ *immunem tributi*, & ipſos itidem om-
nium tributorum, quæ alii pendere ſole-
rent, unde brevi regio illa exſtiterit πολυ-
άνθρωπος ἀδείᾳ τοῦ ἐπὶ πᾶσιν ἀτελοῦς. Videmus
hinc clariſſime, in poteſtate & arbitrio He-
rodis fuiſſe tributorum in Judæa rationes:
quod & oportebat, etiamſi ille, ut dixi,
Rex fuiſſet tributarius, quandoquidem hoc
facto tributum quidem quotannis pendere

Mmm 5 de-

debuiſſet Romanis, ſed ex ſuis reditibus, & tributis per ſe exactis a ſui regni incolis & civibus, ut adeo neque ſic quicquam rei fuiſſet Romanis cum privatorum hominum in Judæa facultatibus, nedum ut eos ad cenſum & profeſſionem opum ſuarum adigere, & dein ex cenſu tributum illis imperare ullo jure potuiſſent, quandiu Regem illis ſuum relinquebant.

V I. Quorſum ergo etiam in Judæa deſcriptio hæc fuerit facta, ſi quis quærat, ſciendum, Socios Reges, Sociaſque civitates auxilia militarium copiarum ſubminiſtrare Romanis debuiſſe, ſi bellorum ratio id expoſceret. Liquet id ex eo, quod de noſtris majoribus, Batavis, qui libertati ac legibus ſuis relicti erant a Romanis, diſerte Tacitus variis in Locis, fuiſſe prorſus *Tributorum expertes: Viros tantum armaque imperio Romanorum miniſtraſſe: illis non Tributa, ſed Virtutem & Viros indici.* Nulla ergo cauſa faciendæ iſtic τῶν οὐσιῶν ἀποτιμήσεως, ſed multa, & ſatis idonea peragendæ τῶν ἀνθρώπων ἀπογραφῆς. Quæ paulo uberius exſequitur de Germ. cap. 29. *Manet honos iis, & antiquæ Societatis inſigne. Nam nec Tributis contemnuntur, nec Publicanus atterit. Exempti oneribus & collationibus, & tantum in uſum præliorum ſepoſiti. veluti tela atque arma, bellis reſervantur.* Similiter de

Thra-

Thracibus, qui itidem liberi adhuc erant a provinciali Romanorum jugo, tamen, *auxilia mittere*, & *adverſum accolas belligerare ſolitos*, legimus apud eundem Tacit. An. IV. 46: immo tum rebellaſſe, quod *pati dilectus, & validiſſimum quemque militiæ Romanæ dare aſpernabantur*, quia *rumor inceſſerat, fore, ut disjecti aliisque nationibus permixti diverſas in terras traherentur.* Hac itaque conditione apud Romanos quum eſſent Socii Reges ac Populi, nemo amplius mirabitur, opinor, juſſiſſe Auguſtum Judæam, immo πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, quæ quidem finibus imperii Romani contineretur, tali modo deſcribi. Nec enim accedere poſſum Virorum Eruditorum ſententiæ, qui πᾶσαν τὴν οἰκουμένην heic improprie prorſus & abuſive de terra tantum Iſraelitica vel Judæa accipiunt, quippe quum nullam prorſus videam rationem, a genuino & uſitato hujus locutionis ſignificatu in tantum recedendi. Certum utique phraſi iſtac proprie deſignari Orbis terrarum eam partem, quæ ab hominibus tum incolebatur, vel illis nota erat. Matth. XXIV. 14. *Et prædicabitur hocce Euangelium regni mei*, ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ *in omni habitata terra* εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι *in teſtimonium Omnibus gentibus*. Lucas Actis XXIX. 27. ἣν ὅλη ἡ Ἀσία, καὶ ἡ οἰκουμένη σέβεται, *quam Dianam omnis*

Aſia

Aſia & Orbis colit. Et ita alibi paſſim. Quod ſi LXX. Interpretes alicubi Hebraicum, כל הארץ / de *terra* tantum *Iſraelis* adhibitum, ut recte fieri potuit, verterunt per πᾶσαν τὴν οἰκουμένην potius, quam γῆν, improprie, immo perperam locuti, nec ſatis attendiſſe ad Auctoris mentem videntur. Ceterum quia Orbis habitati potiſſimam partem complectebatur Imperium Romanum, & quia, quæ extra illud ſita erant, vix erant cognita, inde factum, ut Romani, & qui Romanis ſubjecti, hoc eorum Imperium ὑπερβολικῶς deſignare *Totius Orbis* vel Græce πάσης τῆς οἰκουμένης appellatione, populumque ipſum *Dominum Gentium* vocare fuerint ſoliti. Audiamus ejusmodi ὑπερβολὴν ex Floro in præfatione: *populus Rom. ita late ubique per Orbem Terrarum arma circumtulit, ut, qui res ejus legunt, non unius Populi, ſed* GENERIS HVMANI *fata diſcant.* & III. 13. *Populus Gentium Victor, Orbisque poſſeſſor.* Atque adeo hinc a Chriſtianis etiam Concilia Eccleſiaſtica totius Romanorum imperii dicebantur proprie σύνοδοι οἰκουμενικαὶ, immo & Epiſcopi ac Doctores Vrbis, quæ iſtius Imperii erat ſedes, ut poſtea fuit Conſtantinopolis, ſimiliter οἰκουμενικοὶ fuerunt olim appellati. Tali itaque ſenſu etiam apud Lucam dicitur, *ab Auguſto*, qui illius Imperii erat Princeps

Princeps, *exiiſſe edictum, ut deſcriberetur* πᾶσα ἡ οἰκουμένη, h. e. *omnis terra illius Imperii.* Nulla in hiſce ratio comparet coercendæ ta in arctum, præter uſitatum ceteroqui morem, ſignificationis. Quod ſi in hacce Hiſtoria jam præceſſiſſet aliqua Judææ mentio, & Lucas pergeret de ea loqui, tum ſane ferri utcunque poſſet illa interpretatio. At neutiquam ulla in hiſce Judææ mentio facta eſt: Neque vero ad eam interpretationem amplectendam nos adigit, quod mox dicuntur *Omnes abiiſſe in ſuam Civitatem, ut deſcriberentur*, ſive eos *Omnes* de Judæis, ſeu *Omnibus* in ſpecie illis, qui erant in ea regione, ubi Auctor vixit, & hæc Hiſtoria accidit, ſive de aliis accipiamus. Etenim ſolenne hoc eſt Auctoribus, ut primo rem aliquam generatim tantum verbo memorent, & dein ad ea, quæ deſtinarunt, ſpeciatim memoranda tranſeant. Quo exemplo etiam Lucas, ſimulac dixiſſet ab Auguſto præceptum, ut deſcriberetur omnis Imperii Romani terra, ſubdit confeſtim, abiiſſe proinde *Omnes in ſuam Civitatem*, ut Edicto Cæſaris obtemperarent. Quos *Omnes*? De quibus nempe ſcire illud & affirmare poterat, & inter quos ipſe erat, h. e. ſuæ Gentis homines. Sin quis τὸ *Omnes* ad πᾶσαν τὴν οἰκουμένην referendum omnino cenſeat, commodiſſimam vel ſic illud reciperet

ret interpretationem. Poſſet enim exponi de Omnibus in genere, qui aberant a ſuæ Civitatis Vrbe variis de cauſis, vel quod ruri habitarent, quod plerique olim præcipuæ fortunæ homines faciebant, ſicuti conſtat de Civibus Vrbium (ut duas tantum, ſed Celeberrimas, nominem) Athenienſis & Romanæ: vel quod in alià Vrbe, quam cujus erant Cives, morarentur. Qua gratia etiam Italicos aliquando juſſerunt Romani ire ſingulos in ſuas Civitates, ut iſtic, non Romæ, cenſerentur. Liv. XLII. 10. *L. Poſtumius Conſul pro concione edixerat, qui Sociûm Latini nominis ex edicto C. Claudii Conſulis redire in ſuas Civitates*, εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν, *debuiſſent, ne quis eorum Romæ, ſed omnes in ſuis Civitatibus cenſerentur.* Sed neque illam tam coerciti ſenſus interpretationem quicquam juvat, quod nulla ejus deſcriptionis per omne Imperium Rom. fiat mentio apud profanos Scriptores. Neque enim inde colligi poteſt, *non factam eſſe in aliis regionibus*: non magis, quam non factam neque in Judæa, eo quod accuratiſſimus ceteroqui rerum Judaicarum Scriptor Joſephus nusquam & ipſe ejus meminerit. Vt taceam, fuiſſe hanc, quemadmodum in ſuperioribus docui, levioris momenti deſcriptionem, tantum ἀπογραφὴν ἀνθρώπων, non ἀποτίμησιν

οὐσι-

ἐσιῶν. Quæ & cauſa, quare nihil periculi metuendum fuerit Auguſto ex hac ſolorum hominum deſcriptione, atque adeo nihil abſoni, aut a veri ſimilitudine alieni, in vulgata τῆς οἰκȣμένης hoc in loco interpretatione inſit. Cenſus, qui in ſingulis regionibus dederunt olim magnas ſæpe turbas, fuerunt alterius generis, conſiſtebantque in æſtimationibus bonorum. In hac nihil aliud agebat Auguſtus, quam ut ſibi conſtaret, quam frequens eſſet quæque regio, & quantum auxiliorum poſſet tum provinciis tum etiam illis Sociis civitatibus & Regibus, ſi res ita exigeret, ac vicina forte provincia bello flagraret, imperari. Adde ingenium Auguſti non minus curioſum harum rerum, ac fuerat olim Davidis, qui & ipſe recenſeri ea tantum de gratia ſuos juſſit populos. Et profecto tam diligens erat ille Imperii Romani veluti paterfamilias, ut ejus breviarium ex hac deſcriptione potiſſimum, uti opinantur Viri Eruditi, ab ipſo confectum, eadem cura, qua teſtamentum, ſervaverit, inque eo *opes publicas, quantum civium ſociorumque inarmis, quot claſſes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia, & neceſſitates ac largitiones, cuncta ſua manu perſcripſerit*, Tacit. Ann. I. 11. Accedit denique conſuetudo Romanorum, quibus frequentes erant

iſtæ

iſtæ deſcriptiones, non tantum ut ſingulorum bona in cenſum deferrentur, ſed & nomina, cum ſua, tum & uxorum, liberorum, atque infantium, publice ederentur, atque ita omnium, *præter orbos orbasque* (Liv. III. 3. & alibi) quoniam hi patrem vel avum non habebant, qui eorum in cenſu faceret mentionem, numerus iniretur, ut, quæ multitudo civium, quæ ſpes ſobolis, in promptu ſemper & explorato eſſet. Atque hinc cum bellis civilibus multa civium millia interiiſſent, Vrbis ἡ ὀλιγανθρωπία ἐκ τῶν ἀπογραφῶν ἠλέγχετο, *paucitas hominum ex cenſualibus tabulis arguebatur*, ut ait Dio lib. XLIII. Ad hanc Romanorum conſuetudinem, & huic congruam Auguſti curioſitatem referendum cenſeo, quod etiam ſequior ſexus in Judæa fuiſſe videatur deſcriptus, ſiquidem vere ea gratia Bethlehemum quoque fuerit profecta Maria, & non, ut comitaretur ſolummodo Joſephum, cui erat deſponſa: quam interpretationem ceteroqui locus Lucæ, ſi non nimium tribuimus vulgatæ diſtinctioni, ſatis commode recipere queat, ut jam monuerunt Beza & Eraſmus. Sed quibuscunque tandem cauſis mota vel inducta fuerit Maria, ut maritum comitaretur Bethlehemum, Deus, quum vellet Chriſtum in ea potiſſimum Vrbe naſci, ſicuti impulerat ea gratia Auguſtum

ad

ad iſtiusmodi deſcriptionem hoc temporis momento per Orbem terrarum edicendam, ille etiam Mariam admirabili ſua providentia in eam impulit mentem, ut per hanc deſcriptionis occaſionem eo tempore, quo infantem erat editura, Bethlehemum cum Joſepho, ſi maxime non cogeretur per illud Auguſti edictum, ire vellet. Certe qui ex eo ſolo comminiſcuntur & aſſeverant, Mariam, quia ad hanc deſcriptionem, æque ac Joſephus, venit, fuiſſe omnino fæminam ἐπίκληρον, tanquam ſi hæc deſcriptio reſpexiſſet potiſſimum τὸν κλῆρον, facultates & opes cujusque, nec nomen ſuum in ea profiteri neceſſe habuiſſent, niſi qui ſimul, quæ profiterentur, poſſiderent, graviter profecto hallucinantur. Hæc uberius paulo demonſtrare volui, quia plerique vulgatiſſimorum interpretum tributi ex cenſu conferendi cauſa ἀπογραφὴν οὐσιῶν tunc factam eſſe putant, & quia ad ſequentia non parum utilitatis adferet controverſia hæc recte atque ordine prius diſputata, quamvis leviſſima ſane ſit, præ ea, quæ ſequitur ex ipſis D. Lucæ verbis.

VI. Nam ubi ille de hac deſcriptione agit, per parentheſin, & ὡς ἐν παρόδῳ interſerit hæcce, αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου: ea autem vulgo in verſionibus redduntur, *Hæc*

 de-

deſcriptio prima facta eſt præſide Syriæ Cyrenio, vel *quum præſes Syriæ eſſet Cyrenius.* At vero, nati Chriſti atque adeo deſcriptionis hujus tempore vixit etiamdum Herodes, hujus autem extremis annis Syriæ præfuiſſe non Cyrenium quendam, ſed Sentium Saturninum, & Quintilium Varum, qui illi ſucceſſit, ex Joſepho, accuratiſſimo Scriptore, certum eſt, nec in controverſiam ab ullo vocatur. Immo diſerte Tertullianus, antiquiſſimus Latinorum Patrum, adv. Marcion. IV. 19. cenſus iſtos per Sentium Saturninum actos tradit: *Sed & cenſus conſtat actos ſub Auguſto tunc in Judæa per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus* (Chriſti) *inquirere potuiſſent.* Unde hoc ille, & ita ſine ulla hæſitatione, niſi ex certa tunc Hiſtoria temporis non adeo remoti a ſuo ſeculo, quod ſecundum fuit a nato Domino? Porro ex Joſepho etiam illud in confeſſo eſt, ſactam deſcriptionem aliam x. annis poſt, cujus reſpectu iſta recte vocari queat πρώτη, eamque factam, cum vere Cyrenius, vel Quirinus Syriæ eſſet Præſes, Judæamque juſſu Auguſti in formam provinciæ redigeret. Apparet hinc ſatis ſuperque, quantis difficultatibus, quantis etiam ſuſpicionibus ille D. Lucæ locus, ita ſi vertatur, ſit obnoxius.

VII. Difficultates hæ Virum ſummum,

& præclarum Galliæ Decus, Henr. Valeſium, eo adegerunt, ut exiſtimarit ad Euſeb. Hiſt. Eccl. I. 5. pro Κυρηνίȣ reponendum Σατυρνίȣ: Ceteroqui contraria inter ſe loqui Lucam & Joſephum, *fallique alterutrum neceſſe*. Sed audacior hæc eſt Criſis, quam ut ullo modo in Scriptura quidem S. ferri queat. Et neutrum illorum falli, nec contraria loqui, ſervata licet vulgari lectione, in ſequentibus probare annitar. Neque etiam ex Tertulliani verbis conficitur, quod Idem voluit, lectum ita illius tempore fuiſſe D. Lucæ locum, ſed forte aliter ab illo expoſitum, quam nunc vulgo fit.

VIII. Neque tamen ita, quemadmodum idem Valeſius exponit, quum emendationi ſuæ ipſe, ut videtur, parum tribuens, aliud quid excogitat: nimirum poſſe etiam dici, deſcriptionem cœptam quidem ſub Herode & Saturnino, ſed finem accepiſſe demum poſt relegationem Archelai, quum jam Syriæ præeſſet Quirinus, & idcirco, quod ſub eo terminata ſit, appellari a Luca hanc deſcriptionem *Quirini*: *primam* autem dici, non reſpectu alterius poſt factæ, ſed quod nunquam ante ulla alia fuerit facta. At vero ſimilia talium locutionum loca adferre debuiſſet Vir Doctus. Nam quæ illa tandem temporis deſignatio? „ Chriſtus na-„ tus eſt Bethlehemi, quum Auguſtus

 „ juſſiſ-

„ juſſiſſet deſcriptionem hominum fieri per „ totum terrarum orbem: Ea autem de„ ſcriptio facta eſt *prima*, h. e. unica ha„ ctenus, & quidem, quum Præſes eſſet „ Syriæ Quirinus, h. e. x. & amplius an„ nis poſt natum Chriſtum. Præterea aperte hallucinatur, quum de una deſcriptione Lucam & Joſephum poſſe intelligi ſentit. Loquuntur illi de diverſis plane, non tempore tantum, ſed & modo ac ratione agendi. Prior ex edicto Auguſti fuit ἀπογραφὴ πάσης τῆς οἰκουμένης, fuit recenſio hominum in toto terrarum Orbe, Romanis ſubdito: at poſterior ἀποτίμησις τῶν οὐσιῶν, cenſûs facultatum in ſola Judæa, quæ Archelao fuerat ſubjecta, idque ex cauſa tunc demum nata, ſcil. quod illa terræ portio, relegato Archelao, in provinciæ formam tunc redigebatur. Neque etiam tantum temporis ſpatium requirebat in una regione, vel ἀπογραφὴ τῶν ἀνθρώπων, vel ἀποτίμησις τῶν οὐσιῶν. Certe Joſephus XVIII. 3. de iſto Quirini cenſu cum egiſſet, ſubjungens, τῶν ἀποτιμήσεων πέρας ἐχουσῶν, αἳ ἐγένοντο τριακοστῷ καὶ ἑβδόμῳ ἔτει, &c. *Cenſibus his finem ſortitis, qui facti* XXXVII. *anno*, ſatis liquide verbis illis declarat, eas ἀποτιμήσεις uno anno maximam certe partem peractas. Nam ſiquidem eadem illa deſcriptio, quæ Mariæ Sponſum perduxit Bethlehemum, tam longo tem-

pore

pore duraſſet in ſola Judæa, & tunc demum finem accepiſſet, debuiſſet omnino Joſephus dixiſſe, ad τὸ πέρας reſpiciens, ὃ ἐγένετο, h e. *qui* (finis) *contigit anno* &c. Denique ipſa illa a Luca memorata deſcriptio, ſtatim acta, & haud dubie etiam peracta fuit. Nam ſicuti Joſephus confeſtim, ut deſcriberetur, abiit ex Galilæa Bethlehemum, ſic tunc etiam *OMNES* alii, *quisque in ſuam civitatem*, ea gratia *profecti ſunt*, ut refert ipſe Lucas §. 3. Duæ itaque & diverſæ omnino fuerunt hæ deſcriptiones, & ideo prior reſpectu alterius, quæ itidem, quum hoc ſcriberet Lucas, jam acciderat, πρώτη dicitur γενέσθαι: nec porro admittit contortam illam & violentam expoſitionem ipſa rerum Hiſtoria. Fuſius hæc egi, tum quia fuerunt alii, qui eadem interpretatione, quaſi cœptæ tunc, & longe poſt ſub Quirino peractæ deſcriptionis, difficultates hujus loci tollere, ſed incaſſum, etiam Beza judice, voluerint, tum ut pateret, quid auſus, quid commentus fuerit Vir Eximius, tantum ut eas vel expediret, vel evaderet.

IX. Longius etiam progreſſus eſt Doctiſſ. Capellus in Hiſt. Judaicæ Comp. pag. 107. Hariolatur parentheſin illam eſſe inſiticiam plane, & ab alicujus minus periti hominis mala manu profectam, vel ſi Lucæ ſit, legen-

dum in ea pro Κυρηνίȣ, aut Κυντιλίȣ, aut Κ. Οὐάρȣ, h. e. *Quintilii Vari*, qui paulo ante mortem Herodis Saturnino in Syria ſucceſſit. Verum iſta quidem vis eſt, qua nodus ſecatur, non ſolvitur. Repugnat emendationi Tertullianus, & conſtans omnium codicum Scriptura. Rejectioni totius commatis tanquam ſpurii, & ab homine inſerti, qui meminiſſet notiſſimam illam ſub Quirino factam ſolius Judææ ἀπογραφὴν, refragatur idem codicum pro eo retinendo conſenſus, & præterea vocabulum πρώτη, quod Auctorem ejus commatis non de unâ tantum, illa ſub Quirino facta, ſed de duabus, ex quibus altera πρώτη, cogitaſſe, atque adeo comma illud neutiquam ab imperito homine, quod vult Capellus, huc illatum eſſe, declarat.

X. Prorſus itaque improbanda hæc quoque ſententia, ut quæ nimis violentæ & temerariæ κρίσεως ſpeciem præ ſe fert. Sed æque rejicula mihi eſt, nec minus graviter, licet contrario modo, peccat illa Sculteti in Exerc. Euang. I. 47. dicentis, non laborandum eſſe de conciliandis Scriptura S. & profanis Scriptoribus, & illi plus credendum, quam omnibus his ſimul, ſi diſcrepent. Verum hoc quidem, ſi nulla ratio ſupereſſe poteſt conciliandi. Ceteroqui quidvis potius comminiſcendum, quam ut il-

lo

lo Scripturam S. tuearis modo: quod his quidem moribus nihil aliud eſt, quam exponere eam cavillis & ludibriis hominum, qui debitam illi fidem derogare omni ratione conantur. Memini, qui dicerent, ita ſi ſcripſiſſet alius quiſpiam, neminem dubitaturum, quin ἁμάρτημα μνημονικὸν ille commiſiſſet, & pro Sentio Saturnino Quirini nomen poſuiſſet, quandoquidem hujus deſcriptio, quia multo tum celebrior, & re, & tempore, magis memoriæ Auctoris inhæſerit, & ita errandi occaſionem præbuerit. Hujusmodi ſuſpiciones auctoritati Codicis divini ſane quam adverſas iſta agendi & commentandi ratione, deſperationem ſe expediendi palam præ ſe ferente, non reprimi, ſed mirum in modum confirmari, nemo, opinor, negabit.

XI. Videamus jam tandem, quo pacto plerique Interpretum, qui vulgarem hujus loci Interpretationem ſequuntur, ſuſpicionibus iſtis, & difficultatibus modo commemoratis obviam eant. Nempe fingunt, quod nuſquam nec ſcriptum, nec lectum, in illius temporis Scriptoribus: Duas ſcilicet deſcriptiones factas ab uno Quirino diverſis temporibus, non modo illam a Joſepho, ſed & hanc priorem a Luca literis mandatam, & ad hanc quidem peragendam illum cum extraordinario Imperio in Syriam miſſum,

Saturninoque Ordinario ejus Præſidi adjunctum tanquam Cæſaris Procuratorem, vel ſibi adjunctum ea in re habuiſſe Saturninum. Sic Beza, Scaliger, Caſaubonus, Petavius, Grotius, Spanhemii, Noriſius, Pagius, atque alii. Verum an ejuſmodi commentum, nulla ex antiquis Hiſtoriis auctoritate ſubnixum, os obſtruere valeat cavillatoribus, viderint, quibus hoc negotii publice eſt datum. Non ſatisfecit certe Capello, non Valeſio, non Huetio, qui maluerunt, eo relicto, opem & ſubſidium petere a conjecturis, in S. Codice ceteroqui non adhibendis, ſi ulla alia, ſed tamen commoda & veri ſimilis, evadendi ratio ſuperſit. Nam & Eruditiſſ. ille Vir, quem poſtremum nominavi, in Demonſtr. Evang. IX. 10. pro Κυρηνίȣ reponendum in Luca judicat Κυιντιλίȣ, quoniam hoc propius accedat ad vulgatum, quam τȣ̃ Σατορνίνȣ nomen: & porro hac de cauſa, cœptam quidem extremis temporibus Saturnini, idque propter auctoritatem Tertulliani, ſed peractam ſub ejus ſucceſſoſore Quintilio Varo deſcriptionem auguratur. Et profecto multa ſunt, quamobrem nec ego figmentum illud extraordinarii imperii recipere queam, imo a veri ſimilitudine, & Romanorum more, ac verborum Lucæ ſententia alienum prorſus arbitrer, quæ quia non occurrunt alibi literis prodita,

paulo

paulo accuratius hic exponere non gravabor, ut ita refutata prius, ſicut fieri par eſt, vulgata illa interpretatione, ad alteram, quæ ſola eſt vera, probandam, mihi & lectori viam certius muniam.

XII. Et primo quidem haud injuria urgeri ab aliis affirmo ſilentium omnium Hiſtoricorum, & maxime Joſephi ipſius, de hoc extraordinario Quirini imperio in Syria & Judæa. Recte ὁ πάνυ Huetius: *Duos cenſus a Quirino actos, nullius defendi poteſt Auctoris ſuffragio, & a Ioſepho fuiße prætermiſſum, vix credibile eſt.* Alios Auctores quum dico, nolim mihi opponi Juſtinum, Martyrem Chriſtianum, cujus quidem auctoritate utitur Vir Summus Th. Beza, & ejus exemplo Caſaubonus, Grotius, atque alii, quandoquidem ille Apol. 11. ad Imp. Anton. Pium & ejus filios, de nato Chriſto conſtare ait ex deſcriptionibus actis ἐπὶ Κυρηνίου τοῦ ὑμητέρου ἐν Ἰουδαίᾳ πρώτου γενομένου ἐπιτρόπου, *tempore Quirini, qui Veſter in Iudæa primus fuit Procurator.* Etenim nulla hic eſſe nobis debet auctoritas Juſtini, non Hiſtorici, nec illorum temporum Scriptoris, ſed qui iſta hauſit partim ex ipſo Luca male intellecto, partim ex Joſepho, & præterea confudit duas diverſas deſcriptiones, errore manifeſto, ſed quem & alii Patrum admiſere, & clariſſime Euſebius Hiſt: Ec-

cleſ. I. 5. diſerte tradens, *Chriſtum natum ſub prima tunc deſcriptione, cum Quirinus Syriæ eſſet Præſes; Ejus autem deſcriptionis Quirinianæ meminiſſe etiam Joſephum*; & adferens deinde, quæ ille lib. XVIII. de Galilæorum ſecta, & Juda Gaulonite relatæ deſcriptioni ſubtexit. Quapropter nollem ſane a Viro ceteroqui Doctiſſimo, & immatura morte noviſſime nobis & Reip. literariæ erepto, Th. Ryckio, ad Tacitum Ann. II. 36. memorato huic Auctorum ſilentio oppoſitum nuper Chronicon Euſebii, qui ad natales Chriſti annotet, *Quirinum edicente Cæſare in Judæam miſſum, cenſus hominum profeſſionumque deſcripſiſſe*; immo & ipſum Syncellum, qui idem tradat. Nec enim quando hoc Veterum ſilentium urgetur, intelliguntur alii, quam Scriptores Auguſtei ſeculi, certe non Patres Chriſtiani, qui tanto tempore poſt vixerunt, & qui, quicquid ejus deſcriptionis memorant, id non aliunde, ut diximus, quam ex ipſo Luca & Joſepho hauſerunt, ſed ita, ut manifeſtiſſimum ſit, eos & hanc ἀπογραφὴν ἀνθρώπων, cujus Lucas meminit, & illam ἀποτίμησιν οὐσιῶν, a Joſepho expoſitam, & ad quam peragendam vere Quirinus poſtea in Judæam a Cæſare eſt miſſus, tempore & natura rei divertiſſimas, ingenti tamen errore confudiſſe. Atque ita etiam ille modo

modo laudatus Juſtinus, eorum pene omnium antiquiſſimus, ſed qui Hiſtoriarum illius temporis adeo rudis erat, ut etiam paulo ante in ead. Apol. Herodem ac Ptolemæum Ægypti Regem, qui Bibliothecam Alexandrinam inſtituit, inſigni anachroniſmo, æquales ætate faciat, illumque ab hoc rogatum tradat, ut ſibi libros propheticos in Græcam linguam vertendos, & dein etiam homines, qui eos vertere ſcirent, mitteret; Ille, inquam, ſimiliter hic errans, quum putaret Lucam dixiſſe, *eam deſcriptionem factam ſub Quirino:* ex Ioſepho autem ſciret, per eundem vere factam aliquam deſcriptionem, & quidem quum Judæa in formam provinciæ redacta primum accepit Procuratores Cæſaris: immo illum ipſum Quirinum in Judæam tunc fuiſſe profectum, ut regionis ſtatum ordinaret, in formam provinciæ componeret, & cenſum ageret; credidit continuo, eandem eſſe utramque, ſeu iſto Quirini Præſidis Judææque in ſervitutem redactæ tempore contigiſſe deſcriptionem a Luca memoratam: & porro Quirinum, qui primus in Judæa, jam provincia Romanorum, ſummo cum imperio a Cæſare dato, fuit, fuiſſe primum in ea Cæſaris *Procuratorem* ſeu ἐπίτροπον, quippe a quo eam genere Præſidum deinceps adminiſtratam ſciebat, licet multo minoris illi fuerint revera

vera dignitatis, quam Syriæ Præſides, qui Cæſaris erant & dicebantur *Legati Conſulares*, qualis fuit & Quirinus. Suet. Tib. 41. *Hiſpaniam & Syriam per aliquot annos ſine Conſularibus Legatis habuit.* cap. 52. Per *Cn. Piſonem Legatum Syriæ.* Ut adeo fateri debuerit Grotius, *Procuratoris* proprie nomen non convenire Quirino, qui Senator fuerit & Vir Conſularis, quum illi eſſent Equites; atque etiam *Regnante Herode* Procuratorem in Judæa non fuiſſe, nec eſſe potuiſſe; adde eadem ratione, neque alium quemcunque, ſummo cum imperio ἡγεμόνα aut ἐπίτροπον.

XIII. De Joſepho autem, cum ille identidem & quaſi quodam ordine commemoret Ordinarios Syriæ Præſides, M. Titium, deceſſorem Saturnini, tum Saturninum, Varum, Quirinum, immo & una cum his Præſidibus ordinarios Cæſaris Procuratores, veluti ſub Saturnino Volumnium, Varo Sabinum, Quirino Coponium, quis credere poterit, ita prorſus ſilentio eum involviſſe extraordinarium illud Quirini imperium, Viri Clariſſimi, & ſummis in Vrbe Honoribus perfuncti, ac miſſi unice, ut volunt, & extra ordinem ad deſcriptionem non in Syria modo, ſed & Judæa peragendam: immo vero, ne quidem poſtea ullam ejus feciſſe vel verbo mentionem, quando eundem

eundem retulit ordinario cum Imperio in Syriam veniſſe, atque etiam in Judæam, & quidem ſimilem propter cauſam, nimirum ad faciendam bonorum ſimul & hominum deſcriptionem in præcipua Iudææ parte, cui Archelaus præfuerat. Potuitne ulla melior dari occaſio, ſi maxime in ſuperioribus fuiſſet præteritus, quam hæcce, commemorandi breviter, eum jam antea quoque in Judæam, ſed extra ordinem, fuiſſe miſſum, ut ſimilem hominum ἀπογραφὴν faceret?

XIV. Sed dicet forte aliquis, ne ipſius quidem deſcriptionis a Luca memoratæ meminiſſe Joſephum, atque adeo nihil mirum prætermiſſam ab eo mentionem illius, qui eam fecerit. At vero hoc ipſum, quod neque apud Joſephum, neque alium quenquam illorum temporum, hujus deſcriptionis ulla exſtat memoria, indicio mihi eſt, non fuiſſe ad eam peragendam in Syria, ſuum utique habente tunc Ordinarium Præſidem, alium, & maxime Quirinum, ita extra ordinem ab Urbe miſſum. Nam ſiquidem ut ille in Syriam, ſic in omnes orbis Romani partes & provincias ea gratia ſimiliter alii extra ordinem fuiſſent ablegati, haud dubie alicubi vel per rem occaſione illius deſcriptionis geſtam, vel per homines, quibus eam mandaſſet Auguſtus, cauſſa fuiſſet præbita Scriptoribus eam breviter utcumque memoran-

morandi, imo ſi dignam duxiſſet Auguſtus, ad quam perficiendam tam illuſtres Viros, alium alio, extra ordinem mitteret, duxiſſent certe Hiſtorici etiam dignam, quam alicubi commemorarent. Nunc cum ſilentio ab omnibus omnino prætereatur, certum habeo, ut prædixi, fuiſſe eam nil niſi ſimplicem hominum enumerationem, eamque ab Ordinariis Præſidibus in ſua cuique provincia peractam, ut a quibus etiam optime, certe longe melius, quam a Novis & provinciæ ignaris, peragi potuerit; atque ideo Scriptoribus levioris momenti viſam, quam ut memoriæ poſteritatis mandarent. Ad rem itaque tam levem, eamque ſolam, adminiſtrandam, qui ſine ullis Auctoribus ponunt miſſum in Syriam extra ordinem Quirinum, ubi alius tunc erat Præſes, ignorare illi prorſus videntur & dignitatem utriusque, & morem Romanorum.

XV. Etenim velim mihi decernant, utrum majus habuerit Quirinus Ordinario Præſide imperium, vel æquale, an minus. Quicquid horum ſtatuetur, a perſona utriuſque valde erit alienum. *Fortaſſe majus* habuiſſe auguratur Caſaubonus: *adjunctum ei haud dubie Sentium Saturninum* Grotius. Dico Ego, etiamſi æquale ſolummodo dediſſet illi Auguſtus Imperium in Syria, magnam ea re feciſſet injuriam Saturnino, cui ipſe

pro-

provinciam commiſerat, & præterea dignitati ejus ac perſonæ, cui Quirinus nulla ratione poterat præferri, Viro, æque ac ipſe, & diutius Conſulari. Ἄνδρα ὑπατικὸν, ϗ τῶν ἐπ᾽ ἀξιώματος, *Virum* non *Conſularem* modo, *ſed etiam ex illis, qui in dignatione ſunt* magna, vocat Joſephus XVI. 17. Immo vero erant, quamobrem Quirino potuerit præferri Saturninus, utpote nobilior genere, ætate provectior, & VII. annis ante Conſul, & Conſul magni nominis ac virtutis, qui Conſulatum, abſente Cæſare Collega, ſolus in Urbe geſſerat, & quidem *priſca ſeveritate, ſummaque conſtantia, vetere Conſulum more,* ut fuſe Vellej. II. 92. Cui ergo ſummum in Urbe Imperium ſoli commiſit Auguſtus, & tam recte ac feliciter commiſit, & dein etiam præcipuam in Oriente provinciam, ei ut non committeret hominum ἀπογραφὴν, rem leviſſimam, in illa ipſa provincia faciendam, ſed Quirinum ea de cauſa iſtuc mitteret, atque ita Saturninum cogeret in ſua provincia videre alium majore vel æquali cum imperio, ſibi ætate ac genere inferiorem, credat quicunque volet, nunquam ego. Novi, quantam conflarit invidiam Pompejo, quantas inter eum alioſque concitarit inimicitias, quod ipſi bello Piratico in omnibus maritimis provinciis æquale cum earum Præſidibus imperium Lege Manilia fuiſſet datum. Et tamen

ille jam tunc *Magnus* erat, & ſupra omnes alios dignitate ac gloria aſcenderat. Quo exemplo quidem poſtea etiam Cæſares miſerunt ſæpe Filios aut deſtinatos ſibi Succeſſores in provincias majori cum imperio, quam earum præſides haberent; ſic Auguſtus Nepotem ſuum, vel adoptione Filium, C. Cæſarem, in Orientem miſit, ut ſummo cum imperio præeſſet illius tractus omnibus provinciis, & poſtea Germanicum in Trans Alpinas regiones, ſupra ipſos Provinciarum Legatos evectum. Tacit. An. I. 31. *Duo apud ripam Rheni exercitus erant, cui nomen ſuperiori ſub C. Silio Legato, inferiorem A. Cæcinna curabat. Regimen ſummæ rei penes Germanicum agendo Galliarum cenſui tum intentum.* Germania erat diviſa in duas provincias, ſuperiorem & inferiorem. Vtraque ſuum habebat exercitum & Legatum Conſularem. Sed utriſque pariter ſumma cum poteſtate præerat Germanicus, qui Auguſtum avunculum, & adoptione avum habebat, patruum & adoptione Patrem Tiberium. Neque vero exiſtimandum, ut facit Doctiſſimus Noriſius in Cenotaphiis Piſanis pag. 321. fuiſſe Germanicum proprie *ad Cenſus in Gallia accipiendos ab Auguſto deſtinatum*, qui ab extraordinariis Magiſtratibus accipi ſolerent. Etenim ſimpliciter & generatim *ſummæ rei* non in Gallia ſolum, ſed vel maxime in Germania erat præfectus, atque

atque idcirco *cenſum* illum *Galliarum*, cui *TVM intentus* erat, quia conſiſtebat, non in ſolo hominum ineundo numero, ſed & in bonis ſingulorum æſtimandis, tributoque ex ea æſtimatione ordinando, atque adeo, quia *Arduum* erat *opus*, ut loquitur Claudius, & *Novum* tunc temporis in provinciis, ipſe Germanicus per ſe agebat, ſiquidem tempeſtas anni & ratio bellorum permitteret; Sin, aliis iſtam cenſus curam demandabat, ipſe in bellum ducebat copias. Tac. An. II. 6. *Igitur huc intendit* (ad hoſtes tali modo invadendos) *miſſis adCenſus Galliarum P. Vitellio & Cantio.* Præter hoſce autem Cæſarum Filios, ſupra ordinem, & comparationem, ac invidiam privatorum longe evectos, quibus proinde Quirinum æquiparari nolim: & præter belli periculoſi cauſam, qua ratione Corbuloni & Veſpaſiano, illi adverſus Parthos, huic Judæos, ſub Nerone bellum & extraordinarium in partibus Syriæ imperium eſt mandatum, ordinariâ Syriæ, maximæ ſane provinciæ, adminiſtratione OrdinariisPræſidibus relicta: præter illos itaque, & hanc graviſſimi belli cauſam, haud facile quem alium extra ordinem, non dicam majori, ſed pari cum imperio in provincias, quæ ſuum habebant Præſidem, miſiſſe reperientur Romani Cæſares aut Senatus. Diſerte Tacitus, quum XII. Aſiæ Vrbes no-

ſturno terræ motu corruiſſent, & publico indigerent auxilio, *miſſum ex Senatu* narrat An. II. 47. *qui præſentia ſpectaret, refoveretque. Delectumque* ea gratia *M. Aletum e Prætoriis, Ne Conſulari obtinente Aſiam æmulatio inter Pares & inde impedimentum oriretur.* Multo majoris momenti, præ ſimplici hominum numeratione, erat hæc Cura, quæ ita extra ordinem Aleto data, ut præſens inſpiceret miſerarum Vrbium cladem, iisque pro iſtius cladis diverſa magnitudine plus minusve auxilii partim ipſe in continenti ferret, partim Senatus ac Tiberius Cæſar, quibus ſingularum Vrbium ſtatum redux exponere debebat, & melius exponere poterat præſens, quam per literas abſens Ordinarius ille Provinciæ Præſes. Et tamen Vir ſolummodo Prætorius in eam rem eſt delegatus, ne Prꝣſes Aſię, qui Vir Conſularis erat, alium ęquali cum imperio & dignitate in ſua provincia videret: cujus Conſularis ut majorem putemus a Tiberio habitam rationem in hoc negotio, quam Saturnini ab Auguſto in re, quę ab ipſo illo Saturnino omnium optime adminiſtrari poterat, nec adeo magni erat momenti, nulla eſt exiſtimandi cauſa.

XVI. Supereſt ergo, ut minus imperium in Syria, Saturnini provincia, tribuatur Quirino, licet ſimpliciter *Præſes*

Syriæ

Syriæ fuiſſe, quaſi ſolus vel præcipuus, dicatur a Luca. Et tribuunt revera, qui eum non Ordinarium Præſidem, ſed vel Procuratorem Cæſaris, vel Legatum extraordinarium ad deſcriptionem hanc ſolam curandam delegatum fingunt, quo pacto Ordinarii ſane Præſidis curæ & imperio ceteras omnes ſummas belli paciſque res relinquunt. Verum ea ratione nimium quantum deprimitur etiam Quirini dignitas. Certe Procurator Cæſaris nequaquam eſſe potuit ſalva dignitate Conſulari, quum Procuratores fuerint vel Equites, vel etiam Liberti. Hinc Tacitus in Vita Agric. c. 4. quum dixiſſet, ejus utrumque avum fuiſſe Cæſaris Procuratorem, addit, *quæ Equeſtris nobilitas eſt*, q. d. quod munus confert quandam nobilitatem Equitibus, ſicuti Senatoribus Curules Magiſtratus in Vrbe, & Imperia in Provinciis. Idem Hiſt. v. 9. de Judæa, quam novimus a Procuratoribus fuiſſe rectam, *Iud. provinciam Equitibus R. aut Libertis permiſit*, h. e. Imperator præfecit iſtius generis homines illi provinciæ. Jam vero, qui Quirinum, Virum Conſularem, Procuratorem Cæſaris in Syria vel Judæa ſtatuunt, & nominant, viderint, cui probare id queant, & quo auctore. Nam Juſtinum Mart. heic nihil moror, cujus errorem, quando Quirinum vocat Cæſarum

πρῶτον ἐν Ἰουδαίᾳ ἐπιτρόπων, ejusque erroris cauſam ſatis ſuperque ſupra redargui. Nec patiuntur ipſi Caſaubonus & Grotius, Quirinum Procuratorum numero & ordini adſcribi.

XVII. Ceterum quocunque etiam titulo Quirinum in provinciam, in qua alius ſummum obtinebat imperium, miſiſſet Auguſtus, idque ſolummodo ad curandam multitudinis deſcriptionem, rem leviſſimi momenti, ac curæ ignobilis, non ſane juſtam ſatis habuiſſet dignitatis ejus & perſonæ rationem. Quippe erat Vir non ſimpliciter Conſularis, ſed & omnes alios honores pervaſerat, & τὰ ἄλλα ἀξιώματι μέγας σὺν ὀλίγοις, *quod ad cetera Vir dignitate magnus inter paucos*, ut de eo Joſephus XVIII. 1. & qui ſecundum Taciti Ann. III. 48. *acribus miniſteriis Conſulatum meritus*, ad longe majoris deinde gloriæ res gerendas fuit adhibitus, ex Cilicia triumphi etiam inſignia adeptus, in Africa Marmaridum & Garamantum victor, ita ut ex ſententia Flori IV. 12. redire potuiſſet *Marmarici* cognomine inſignis, niſi modeſtior in æſtimanda fuiſſet victoria: poſtea & C. Cæſari Auguſti filio rector datus ad Armeniam recipiendam ab hoſtibus proficiſcenti, & denique in prœmium laborum, Syriæ, provinciæ Parthis vicinæ, ſummo cum imperio adminiſtrandæ, ac Judææ in formam

pro-

provinciæ redigendæ præfectus. Hunc ergo Virum tot tantiſque negotiis ex voluntate Auguſti identidem occupatum, perpetuum ac glorioſum ſane bellatorem, *impigrum militiæ*, ut Tacitus, & non ullo generis ſplendore, aut majorum meritis, ſed *acribus miniſteriis*, ac bellicis operibus, honores ab Auguſto adeptum, nunc aliquot annis poſt Conſulatum ad vile & inglorium illud pacis opus in Syriam, ubi alius ſummæ rerum præerat, habiturus ipſum & muneris ratione, & imperii honore longe inferiorem, fuiſſe miſſum, nunquam mihi perſuadebitur, quamdiu conjecturis, non liquidis probationibus, res agetur.

XVIII. Sed vel præcipue interpretationem hanc, Cenſus iſtius a Quirino, extraordinario Syriæ Præſide, tunc acti, refellunt ipſa Lucæ verba, quę manifeſte arguunt non alia de cauſa parentheſin iſtam ab eo interpoſitam, quam ut caveret, quoniam duæ, quum hæc ſcriberet, factæ jam erant deſcriptiones, ne idcirco Lector in Tempore nati Chriſti erraret, illud perperam in poſteriorem deſcriptionem, quæ tunc præcipue in memoria erat hominum, rejiciendo. At vero quum poſterior hęc ſine ulla controverſia facta ſit, vere & proprie ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, cum certo eſſet, & Ordinarius, Syrię Præſes Quirinus: tum ſane,
 ſi

ſi maxime prior facta etiam fuiſſet ſub Quirini τῆς Συρίας ἡγεμονίας, eaque extraordinaria, & hoc ſignificare voluiſſet Lucas, neutiquam tamen iſtis quidem verbis, quæ explicamus, caviſſet hunc errorem, nec lectorum cogitationes, quod tamen haud dubie voluit, & velle debuit, abduxiſſet a poſteriore deſcriptione, ſed potius in errorem & confuſionem ultro induxiſſet: id quod neutiquam facturum fuiſſe veriſimile eſt, imprimis quum tam facile huic rei potuiſſet occurrere, ſcribendo paulo aliter, αὕτη ἡ ἀπογραφὴ ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τὸ πρῶτον τῆς Συρίας Κυρηνίου, *Hæc deſcriptio facta eſt, cum primum*, ſeu *prima vice*, *Præſes Syriæ fuit Quirinus*. Atque ita omnino, ſi id quod heic commentantur Interpretes, ſenſiſſet, & ex hac parentheſi voluiſſet intelligi, ſcripſiſſe debuiſſet. Adde, quod etiam Joſephus, quando ſimpliciter tempus per *Quirini* nomen deſignat, ut heic ex Interpretum ſententiâ facit Lucas, intelligat tunc nullum aliud tempus, quam quo Quirinus fuit Ordinarius Syriæ Præſes. Ita enim Belli Jud. II. 32. de Juda Galilæo, ὃς ἦν σοφιστὴς δεινότατος καὶ ἐπὶ Κυρηνίου ποτὲ Ἰουδαίους ὀνειδίσας, ὅτι Ῥωμαίοις ὑποτάσσονται μετὰ τὸν θεόν. *Qui fuit ſophiſta acerrimus, & quondam tempore Quirini Judæis exprobraverat*, &c. Simplici illa temporis deſignatione per Quirinum, intelligi iſtic

omnino

omnino illud tempus, quo is Judæam redegit in formam provinciæ, manifeſtiſſimum eſt conferenti Joſephi Antiq. Lib. XVIII. cap. 1. ubi illud, quod heic de Iuda dicitur, iſto tempore accidiſſe ex profeſſo narratur.

XIX. Quapropter, ut ad Lucam revertamur, implicuiſſet ille, ut dixi, errore certiſſimo mentes lectorum, qui ex his ejus verbis, ut ea intelligerent, decurſuri erant omnes ad Ordinarios Syriæ Præſides, atque ita, cum in iis Quirinum demum poſt Quintilium Varum, non ante, reperirent, exiſtimaturi haud dubie, natum Chriſtum, quum facta eſt deſcriptio ſub illo Ordinario Præſide, quippe qui Ordinarii Præſides vere, proprie, & κατ' ἐξοχὴν erant ἡγεμόνες. Nam & Procuratores ac Legatos Præſidi Ordinario adjunctos, quando illorum alia, quam temporis notandi cauſſa, fit mentio, dici aliquando ἡγεμόνας, & ἡγεμονεύειν, largior quidem ultro; at vero ut Scriptor, qui nunquam Præſidum Syriæ fecit mentionem, ſed tantum tempus rei geſtæ indicare voluit, ſcripſitque ſimpliciter, accidiſſe quid, *quum unus ille*, κατ' ἐξοχὴν, *Præſes Syriæ eßet*, iſtis verbis Extraordinarium intellexerit vel Legatum vel Procuratorem, quum alius, & quidem Ordinarius & ſummus in provincia eſſet Præſes, id exemplo probare operæ ſane pretium erit, vel potius hoc opus, hic labor erit.

Et ignoſcant mihi iſtius Sententiæ Patroni, ſi, quamdiu ejus locutionis exemplum nullum profertur, ego illorum interpretationi fidem derogem. Nam ſicuti Ictus erubeſcit loqui ſine Lege, Theologus ſine Scriptura, ita ab Hiſtorico & Interprete in re controverſa congruum deſideramus exemplum. De errore & confuſione ceteroquin ex iſta locutione oritura non temere me loqui, declarant evidenter, etiam antiqui illi Patres, Juſtinus, Euſebius, Nicephorus atque alii, qui cum perperam, & eodem modo, quo etiam nunc fit, interpretarentur Lucam, quaſi *deſcriptio iſta*, cujus tempore natus eſt Chriſtus, *facta fuerit ſub Quirino Syriæ Præſide*, ſtatim etiam putarunt, hanc eandem eſſe cum illa poſteriore, quæ vere ſub ipſo hoc Quirino, quando is Ordinarius erat Syriæ Præſes, facta eſt. Atque ideo, niſi velimus ſtatuere, Lucam adeo inepte locutum, ut nihil mirum ſit, eum fine ſibi in hac parentheſi propoſito excidiſſe, idque non tam vitio lectorum, quam obſcuræ, ambiguæ, & errori plane obnoxiæ ſuæ locutionis, ſtatuendum omnino, aliam fuiſſe ipſius, quam noſtrorum Interpretum, ſententiam.

XX. Neque etiam admiſſa jam illorum Interpretatione, dixiſſet Lucas, deſcriptionem hanc factam *a Quirino*, ſeu Quirinum ad eam faciendam extra ordinem eſſe

miſſum in Syriam, quod tamen illi inſuper eliciunt vel comminiſcuntur ex ſolis his Lucæ verbis. Solummodo enim deſignaſſet deſcriptionis tempus per Syriæ Præſidem (*facta*, inquit, *cum Syriæ Præſes eſſet Quirinus*) idque ex uſitata iſtius Græcæ Locutionis Significatione, & ex More ſui ſeculi. Locutione enim iſta ſimpliciter adhibita denotari proprie Tempus, ſatis conſtat inter omnes Græcæ linguæ gnaros, & liquet ex ipſo Luca III. 2. ἡγεμονεύοντος Ποντίȣ Πιλάτȣ τῆς Ἰȣδαίας ἐγένετο ῥῆμα &c. Qui locus tanto eſt notabilior, quoniam ex eo obſervare datur, Præpoſitionem ἐπί, a qua regitur ille Temporis per Præſides vel Magiſtratus deſignandi Genitivus, omitti, quando in eam rem adhibetur Participium, veluti ἡγεμονεύοντος, ſed exprimi ſolere, quando Scriptor ſolo vel hominis Proprio, vel dignitatis Subſtantivo Nomine defungitur. Sequitur enim iſtic, poſtquam etiam per τετραρχȣ̃ντας Galilææ, Iturææ, & Abulenes, deſignatum fuiſſet Tempus, ἐπὶ Ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα. Plane quemadmodum modo ex Joſepho habuimus ἐπὶ Κυρηνίȣ, & quemadmodum Lucas ipſe cap. IV. ubi quum Chriſtum inducit dicentem, *tempore Eliæ* fuiſſe multas quidem viduas in Iſraele, ſed tamen Sareptanam ſolummodo ab eo adjutam, & *tempore Eliſæi* multos exſtitiſſe in Iſraele

Leproſos, ſed tamen ſolum Naamanem, hominem Syrum, ab eo ſanatum, in priori parte ait §. 25. ἐν ταῖς ἡμέραις Ἠλίου, at in poſteriori ſimpliciter ἐπὶ Ἐλισσαίου τοῦ προφήτου. Manifeſtum ex his, quæ Locutionis iſtius eo, quo volunt, modo conſtruendæ, ſit vera ſignificatio, quæque ejus ratio Grammatica. Mos vero ſeculi erat, ut ſimpliciter ad Tempus deſignandum adhiberetur ſummi, ſed Ordinarii, Magiſtratus mentio. Sed tamen etiam ea in re receſſiſſet Lucas, ut paulo ante monuimus, a communi & conſtanti Scriptorum uſu, ſi ad denotandum ſimpliciter Tempus advocaſſet non ſummum & Ordinarium Syriæ Præſidem, ſed extraordinarium quendam minoris imperii & poteſtatis, qui utique ad ſeriem temporis conſtituendam nihil prorſus conferre poteſt. Atque idcirco longe alia fuit conſuetudo Priſcis illis Scriptoribus, qui in notando tempore nullam omnino habebant rationem extraordinarii Magiſtratus, etiamſi ille Ordinario longe eſſet Superior jure ac dignitate. Clariſſime illud probari poteſt ex Hiſtoria Romana, in qua neminem ignorare puto, annos deſignari mentione Conſulum; ſcilicet quia is ordinarius, & inter ordinarios ſummus erat Magiſtratus, unde & a Græcis ὕπατος ἀρχὴ proprie vocatur. Verum tamen fuerunt in rep. Romana & Dictatores, imperii & poteſtatis longe excedentis

cedentis Conſulare faſtigium; neque tamen ab iis petita reperitur temporis deſignatio, non alia de cauſa, quam quia hi Extraordinarii erant Magiſtratus. Quin immo etiam ſub Cæſaribus, quum jam illorum Principatus pene eſſet ordinarius, tamen quia non erat Magiſtratus, & quia Conſules retinebant titulum inter Ordinarios *Summi Magiſtratus* Suet. Cæſ. 19. & *ampliſſimi*, Aug. 26. immo & longe poſt, apud Amm. Marcell. XXVI. *Tranſlato in Gratianum adhuc privatum & Dagalaiphum ampliſſimo Magiſtratu*; hinc manſit etiam tunc penes Conſulatum deſignatio annorum. Et idcirco Plin. Paneg. c. 58. Domitiano, qui, ut Suetonius ait, Conſulatus XVII. cepit, plures quam quiſquam ante eum, exprobrans, quod quaſi perpetuum invaſiſſet Conſulatum, dicit eum *Continuis conſulatibus feciſſe longum quendam & ſine diſcrimine annum*, immo *omnes annos poßediſſe, ſummumque illud purpuræ decus quaſi præcerptum & præfloratum tranſmiſiſſe*, h. e. omnium annorum initio Conſulatum ordinarium cepiſſe, & ita annis a ſe jam denominatis honorem iſto modo præfloratum ad Conſules ſuffectos, a quibus non denominabatur tempus, transmiſiſſe. Et conſtanter adeo hæc temporis deſignatio ſub Cæſaribus obtinuit, ut etiam, ſi quando per bella inteſtina comitia Conſularia

laria non eſſent habita, tunc annus, qui erat ſine Conſulibus, tamen a proximis Ordinariis, qui fuerant, denominaretur. Cum A. V. C. 1224. Conſul in Occidente fuiſſet Fl. Feſtus, at ſeptem ſequentibus nullus, omnes hi anni ab illo Fl. Feſto denominabantur, hoc modo; *Primus* &c. *poſt Conſulatum Fl. Feſti.* Paſſim ita in Codice reſcriptis Impp. ſubſcribitur; Veluti l. 31. De Epiſc. aud. *Dat. Conſtantinop. Kal. Octobr. poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis; VV. CC. Coſſ.* Scilicet ordinarii hi fuerant ſuperiore anno. Similiter vero & apud Græcos ἐπώνυμος ἀρχὴ, h. e. quæ tempori ſeu annis nomen dat, erat in quaque Civitate unica, erat ſumma, erat Ordinaria: qua ratione, cum condita Nicopolis, atque ibi omnium honorum præcipuus eſſet Auguſtale Sacerdotium, illud quoque ἐπώνυμον fuit, adhibito Sacerdotis iſtius nomine ad ſignandos annos, ut erudite docuit Caſaubonus ad Suet. Aug. 18. Clariſſimum ex his, quam longe receſſiſſet Lucas a conſtanti Scriptorum conſuetudine, ſi quum tempus factæ deſcriptionis vellet indicare, eam ad rem extraordinarii & minore imperio præditi nomen adhibuiſſet, quamvis eodem tempore in Syria Ordinarius eſſet Præſes, per quem tempus deſignari ſolebat, & ab iis, qui tempus, a ſe ſignificatum, cognoſci a Lectoribus vellent, debebat. Ig-

noſce

noſce vero, mi Lector, ſi diutius te moratus ſum refutanda hac Sententia. Rei momentum id exigebat, quandoquidem, quum ſuperiores leviter eſſent defuncti, objecto tantum Joſephi aliorumque Auctorum ſilentio, & nihilo interpretationi locutionis oppoſito, pleriquc vulgatam illam per omnes verſiones ſententiam etiamnum tuebantur, atque adeo, ut etiam nonnulli dicam periculoſæ Novitatis in conventibus Eccleſiaſticis impingere voluerint illis, qui præterita hac a perpetua Scriptorum locutione, Romanorum in provinciis conſuetudine, immo omni veriſimilitudine alieniſſima, & præterea erroribus, emendationibus, ſuſpicionibus & cavillis obnoxia, præferrent aliam, quæ haud dubie ſola eſt vera, omneſque difficultates præcidit, & e medio tollit interpretatione commodiſſima.

XXI. Eam ego, quoniam necdum liquido ſatis probata eſt, hic quoque uberius paulo & certius novis ex uſu linguæ Græcæ petitis rationibus atque exemplis confirmare annitar. Verus itaque mea ſententia verborum ſenſus eſt: *Hæc deſcriptio prius*, vel *ante*, *facta eſt*, *quam præſideret Syriæ Quirinus*. Interpretationem hanc primus protulit Joh. Georg. Herwartus Chronol. cap. 241. 242. multiſque argumentis vel potius exemplis probare laboravit, ſed in quibus non

pauca

pauca attulit valde ἀπεργοδιόνυσα. Tanto ſpecioſius mox eam refutavit Vir vere Doctiſſ. Iſ. Caſaubonus in Exerc. ad Baronium, idque ſua auctoritate effecit, ut nulla deinceps illius mentio aut ratio haberetur a Viris Excellentiſſ. Valeſio, Huetio, aliis. Recepit tamen eam Clariſſ. Reineſius in Epiſtola ad Rupert. 57. & e noſtris Joh. Coccejus, *Vir δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς*. Sed &, ut didici ex Noriſio, Doctiſſimi Jeſuitæ Henſchenius & Papebrochius in Vaſto opere, quo occupantur, *Actis Sanctorum*.

XXII. Voluit autem Herwartus πρώτη poni ἀντὶ τοῦ προτέρα, atque hujus locutionis vi genitivum, qui ſequitur, a τῷ πρώτη, tanquam a Comparativo, regi. Durum hoc pleriſque viſum. Ego rem aliter expediendam omnino cenſeam. πρώτη ſimpliciter, ut Adjectivum numerale, jungitur verbo, quemadmodum ſolent Adjectiva habitum vel modum rei geſtæ ſignificantia, tanquam ſi ſint Adverbia: Exempla paſſim obvia. Non prætereundus tamen hoc loco uſus vocabuli *Nullus* ſimiliter verbis additi. Plaut. Aſin. II. 4. 2. *Nullus is venit.* Cic. ad Attic. xi. 24. *Philotimus non modo nullus venit, ſed ne per literas quidem me certiorem facit, quid egerit.* Catull. carm. 8. *At tu dolebis, quum rogaberis nulla.* Etenim vocabulum hoc, originem ejus ſi conſideres, habet æque ac

ſuper-

ſuperlativa implicitam denotationem plurium. Quid enim eſt *nullus*, niſi ne unus quidem ex omnibus, vel ex omni multitudine? Et tamen verbis ita adjunctum etiam de uno homine ſine ullo inſuper multitudinis intuitu uſurpatur, ſolamque habet negantis Adverbii cum aliqua vehementia ſignificationem. Sic plane πρῶτος, verbis adjunctum, ſæpe deſignat ſolam ordinis & numeri rationem, ſine diſcrimine, pluresne ſint, an unus, qui ſequantur; atque adeo tunc non tam ſuperlativi, quam Poſitivi naturam induit, eandemque ſubit conſtructionem, quam δεύτερος & ſeqq. Pati hoc naturam rei ſignificatæ evidens ex lingua Hebraica, ubi, ut conſtat, eodem vocabulo ראשון *prior* & *primus*, אחד *primus* & *unus*, promiſcue ſignificantur. Poſitivi autem naturam vere quaſi induere aliquando τὸ πρῶτος apud Græcos, vel inde colligas, quod ex eo formatum fuerit aliud plane ſuperlativum πρώτιστος, id quod non fuiſſet opus, ſi ſemper iſtius gradus vim retineret πρῶτος.

XXIII. Hæc vera eſt cauſa, cur ſæpe τὸ πρῶτος cum unius hominis vel rei vocabulo conſtruatur, ſeu cur de duobus tantum uſurpetur, quorum alterum ſit πρῶτον, alterum δεύτερον. Obtinere hoc etiam apud Latinos, ſatis vel ex una, ſed frequenti locutione patet, qua is, qui bis Conſul fuit,

fuit, a Scriptoribus in priore Conſulat *primum Conſul* appellatur. Apud Græcos re etiam manifeſta ex ipſo uſu & conſtructio ne. Nam quemadmodum Joſephus XVII 2. φίλιππος δὲ δεύτερος ἐκείνου παραλαβὼ τὴν ἀρχὴν, *Philippus Secundus ab illo* (h. e proxime poſt illum) *ſuſcipiens regnum*: ea dem ratione Johannes Euang. cap. I. ὃ πρῶτός μου ἦν, *quod ante me erat, reſpectu me primus erat.* Sic ibid. XX. 4. ἔτρεχον δὲ οἱ δύ ὁμοῦ, καὶ ὁ ἄλλος μαθητὴς προέδραμε τάχιον Πέτρου, καὶ ἦλθε πρῶτος εἰς τὸ μνημεῖον. Diſert hic de duobus tantum agitur, qui ſimul cu currerint, ſed alter altero celerius, & ita ve nerit ad ſepulchrum *primus*, ſcil ante alterum ſeu unum Petrum. Nam ut exponas *omniun primus*, non patitur Maria Magdalene quæ jam ante eum ſepulchro adfuerat, & nunciaverat his duobus, ſublatum eſſe Do minum. Similiter accipienda verba Joh. XV 18. εἰ ὁ κόσμος ὑμᾶς μισεῖ, γινώσκετε, ὅτι ἐμ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκε. Heic itidem τὸ πρῶτο non fungitur vicem Superlativi ejus, quod ſignificat excellentiam quandam in ſuo ge nere: adeoque non recte verteretur, *m primum ex vobis* & veſtro numero, ſed ver tendum omnino cum ſignificatu Temporis *me primum ante vos.* Plane ut contrariæ ſig nificationis vocabulum 2. Maccab. VII. 41 ἐσχάτη τῶν υἱῶν ἡ μήτηρ ἐτελεύτησε h. e. *poſtre*

m

ma poſt filios. Nam etiam heic duo tantum ſunt, quæ opponuntur, ut iſtic Chriſtus & ejus Diſcipuli, ſic heic Mater & Filii, inter quos ipſa utique nunquam fuit, nec numerari potuit: ut adeo conſtructionis ratione perinde eſſet, ſive τῶν υἱῶν, ſive τοῦ υἱοῦ, ἐσχάτη legeretur. Eodem etiam modo τὸ πρῶτον adverbialiter; & tamen cum Genitivo, poſitum apud Veteres in manifeſtiſſima Temporis ſignificatione haud raro occurrit. Clariſſimus in hanc rem eſt locus Ariſtophanis in Avibus p. m. 564. de Gallo: ἦρχέ τε περσῶν πρῶτον Δαρείου καὶ Μεγαβύζου, h. e. *imperabatque Perſis prius, quam Darius & Megabyzus*, vel *ante Darium & Megabyzum.* Perperam omnino Interpres, qui & ipſe hanc locutionem minime intelligens, nullo plane ſenſu ea vertit, *Imperabatque Perſis primum omnibus, Dario & Megabyzo.* Immo vero ex hac ſignificatione ortum, ut etiam cum voculis Tempus proprie denotantibus, πρὶν ἤ, conſtructum reperiatur. Aelian. V. 18. οὐ πρῶτον αὐτὴν ἀπέκτειναν, πρὶν ἢ ἀπεκύησεν, *Non prius eam occiderunt, quam onus uteri depoſuiſſet.*

XXIV. Clariora hæc erunt, ubi conſtructionis iſtius rationem reddidero. Nempe Genitivi hi non reguntur ab Adjectivis, ſed a præpoſitionibus, quæ per ἔλλειψιν ſunt omiſſæ. Et ſic in omni etiam compa-

ratione apud Græcos ſecundus, apud Latinos poſtremus caſus a præpoſitione ſubintellecta omnino pendet: quæ præpoſitio, Comparationis vim complexa, ſæpe ſequitur poſitivum, aliquando etiam ſuperlativum, æque uti comparativum, ſed ob frequentem ejus uſum poſt comparativum fere ſemper omittitur, poſt illos plerumque exprimitur. Comparationis vim in ipſa præpoſitione conſiſtere, nec deſiderare omnino certum & perpetuum gradum, patet ex lingua Hebræa, ubi nulli Adjectivorum gradus, adeoque nec Comparativus: ſed comparatio fit ſimpliciter per particulam מן/ vel literam מ/ inter Adjectivum abſolutum & Nomen interjectam, ſignificantemque ſimul *præ* & *ex*. Similiter ergo & in aliis linguis comparatio abſolvitur ab intercedente particula, idque etiam cum Poſitivo, immo & Superlativo: quandoquidem ſuperlativum proprie quidem ſignificat in ſuo genere ὑπεροχὴν ὑπὲρ πάντων, ſæpe tamen & ad ſimplicem ὑπεροχὴν ſine reſpectu aliorum, ſeu τῶν πάντων, ſolamque αὔξησιν ſignificationis, quæ in poſitivo eſt, notandam adhibetur, atque adeo tunc quod ad conſtructionem induit quaſi naturam poſitivi. Ex. gr. cum Cicero ad Servium Sulp. ſcribit: *Præ nobis beatus videris*: quidni æque potuiſſet, *præ nobis beatiſſimus videris*, h. e. maximopere beatus

præ

præ nobis, vel longe *Beatior nobis:* in qua ComparativiGradus locutione itidem deſideraretur *præ*, quippe quæ apudLatinos propria eſt comparandi particula, ſed ob frequentem, ut dixi, uſumComparationis cum iſto gradu, huic rei proprie deſtinato, per ἔλλειψιν plerumque omittitur, quando illeGradus adhibetur. Expreſſit tamen eam, etiam poſt Gradum hunc Comparationis, Plaut. Epid. III. 4. 84. *Minoris præ illo me facio.* Quo ex loco evidens, Ablativum, qui ſequi ſolet hunc Gradum, regi ab illa ipſa Præpoſitione, quæ hic comparet, alibi fere deſideratur. Comparet tamen etiam poſt Abſolutum ejusdem Nominis apud Corn. Nep. Eumene c. 10. *Se, Eumene recepto, præ illo Parvi futuros.* Superlativi ſignificationem in ſimili comparatione præfert illud Plauti Moſtell. I. 3. 88. *Præ eo Nihili pendis omnes homines* h. e. prorſus, vel, pene plus quam, minimi. Nonnunquam etiam præpoſitio *Ante* comparationem perficit. Hinc apud Virgil. I. Aen. poſt ſecundum gradum: *Scelere ante alios immanior omnes*; poſt tertium VII. Aen. *Petit ante alios pulcherrimus omnes Turnus.* Petron. in car. de B. Civ. *Pax prima ante alios.* Apud Græcos hanc vicem præſtant præpoſitiones πρὸ & παρὰ, quarum illa reſpondet τῷ *ante*, hæc τῷ *præ*, & occurrit poſt Abſolutam formam apud Heſiod.

Heſiod. Ἔργων, 817. περὶ πάντων ἱερὸν ἦμαρ. *Dies ſacer præ omnibus aliis* : poſt Superlatam apud Apollon. Argon. lib. 2. de Phineo, ὃς περὶ δὴ πάντων ὀλοώτατα πήματα ἀνέτλη : *qui præ omnibus graviſſima mala ſuſtinuit.* Ex quo patet deſiderari illam, vel ab illa regi genitivum in vulgato Helleniſmo, quo quis ſeipſum aliqua in re vincere dicitur, veluti ἑαυτοῦ ἐλλογιμώτατος ἐγένετο, h. e. *ſeipſum eloquentia ſuperavit*, de qua phraſi monuit etiam Vigerus Cap. 3. ſect. 1. Facile jam ex his colligitur, Genitivos in comparatione regi a præpoſitionibus, comparationem autem fieri maxime quidem cum ſecundo gradu, ſed poſſe cum omnibus, & idcirco Superlativos recte cum eodem caſu, eademque ratione, conſtrui, quo, & qua, Comparativos, maxime quum verbis juncti naturam ſuperlativam quaſi exuunt : atque adeo eandem denique rationem conſtructionis eſſe, ſive dicam πρότερός μου, ſive πρῶτός μου : immo &, ſive dicam πρῶτος αὐτοῦ, ſive δεύτερος αὐτοῦ, ſive etiam ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν, ſive ἐσχάτη τῶν υἱῶν, niſi quod in his diverſæ intelliguntur præpoſitiones. Nempe ſicuti δεύτερος αὐτοῦ breviter dicitur pro δεύτ. ἀπ' αὐτοῦ, ἐσχάτη τῶν υἱῶν pro ἀπὸ τῶν υἱῶν : ita πρῶτός μου eſt πρῶτος πρό μου, πρῶτος ὑμῶν eſt πρῶτος πρὸ ὑμῶν.

XXV. Πρὸ enim eſſe particulam, qu

in iſta locutione deſideratur, & a qua regitur Genitivus, certiſſimum ex eo, quod ubi Ellipſis nulla, & ſententia plene ac integre exponitur, illa potiſſimum occurri expreſſa. Apud Anton. Liberalem fab. 29. καὶ πρὸ Ηρακλέους ἑορτῇ θύουσι Γαλινθιάδι πρώτῃ. Galinthias ibi optime dicitur merita fuiſſe de Hercule, & idcirco Thebanos *in feſto* Herculis *ſacrificare Galinthiadi prius*, ſeu primæ, *ante Herculem*, πρώτῃ πρὸ Ηρακλέους. Ita enim conſtruenda verba, quæ peſſime vulgo vertuntur; Thebani *ante ferias Herculis primæ Galinthiadi ſacrificant*. Nec enim conjungenda πρὸ ἑορτῇ Ηρακλέους, ut facit Interpres, ſiquidem πρὸ requirit gignendi non dandi Caſum, ſed πρὸ Ηρακλέους, & tunc ἑορτῇ accipiendum pro ἐν ἑορτῇ, quæ Ellipſis itidem frequens. Sed & ipſe Lucas Euang. XI. 38. expreſſit ſimiliter τὸ πρὸ poſt πρῶτος: ὁ δὲ Φαρισαῖος, inquit, ἰδὼν ἐθαύμασεν, ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου: *quod non primum ſe laverit, antequam cibum ſumeret.* Vides utrobique poſt πρώτῃ & πρῶτον ante Genitivum expreſſam hanc præpoſitionem, quod certo eſt indicio, ab ea etiam regi, quando nulla comparet, omiſſa per ἔλλειψιν, ſed tamen intelligenda: atque adeo explicandum etiam πρῶτον δαρείου, quaſi dictum eſſet, πρῶτον πρὸ δαρείου: ἡ ἀπογραφὴ πρώτη Κυρηνίου, quaſi πρώτη πρὸ Κυρηνίου.

XXVI. Tanto autem facilius & fre-

quentius omittitur, quoniam ea ipſa in τῷ πρώτως jam latet, vimque ſuam exſerit. Nihil quippe uſitatius Græcis & Latinis, quam præpoſitionem ante ſuum caſum prætermittere, ſi jam vel expreſſe addita, vel latenter inſita in alio verbo vel nomine præceſſerit. Hinc promiſcue dicimus *Adire aliquem*, & *ad aliquem*. Sic pro eo, quod plerumque dicimus *incumbere in gladium*, Plautus Caſin. II. 4. *Incumb. gladium*. Ita Nepos Timoth. Cap. 5. *Gentes, quæ mare illud adjacent*. Heic caſum Accuſandi non a Verbo, quod eum ex uſu linguæ non recipit, ſed a præpoſitione, quæ cum verbo compoſita & idcirco non repetita, regi, ſatis conſtat ex Mela I. 7. ubi additur præpoſitio: *Ad Syrtim adjacent hæ gentes*. Sic *Advolavit exercitum*, Obſeq. *Adnavigare littus*, *Egredi urbe*, & alia ſane quam multa. Neque vero in Latinis tantum Auctoribus ſed & Græcis. Notabilis in hanc rem eſt locus Æliani Var. Hiſt. XIV. 6. *μήτε τοῖς παρελθοῦσιν ἐπικάμνειν, μήτε τῶν ἐπιόντων προκάμνειν*. Senſus eſt *neque ſe torquere propter mala jam præterita, neque etiam, antequam advenerint ea, quæ futura videntur*. Quo in loco manifeſte videmus, idem verbum penes ſe habere diverſo caſus, prout cum diverſis præpoſitionibus eſt conjunctum, atque adeo ab his, non a ipſo verbo, illos caſus regi. Sic Herodian

II. 1

II. 11. προβέβληνται τῆς Ἰταλίας, *ſitæ ſunt ante Italiam* Alpes. Idem enim eſt, ac ſi legeretur πρὸ τῆς Ἰτ. Heſiod. Θεογ. v. 7. Ἀκροτάτῳ ἑλικῶνι χοροὺς ἐνεποιήσαντο, pro ἐν ἑλικ. Similiter ergo etiam in illo Lucæ loco, πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, quomodocunque interpreteris, neceſſario ſtatuenda Ellipſis præpoſitionis, ex vulgata quidem interpretatione, ἐπὶ, ſed ex noſtra, πρὸ, quæ commodiſſime poſt vocabulum πρώτη hic ſtatuitur, ut alibi expleta deprehenditur.

XXVII. Quo animadverſo nihil amplius difficultatis in locutione ac conſtructione hac ſuperfore cuiquam putem, immo nullam etiam rationem habendam ejus, quod Herwarto Caſaubonus objicit. Scilicet *fingamus*, aït, *ſcripſiſſe Lucam, ut ille vult exponi. Obſervabunt tunc Græci Sermonis periti participium eſſe poſitum pro Verbo*, προτέρα ἡγεμονεύοντος, *pro eo, quod dicendum erat*, πρότερον ἢ ἡγεμονεύειν, *vel* τοῦ ἡγεμονεύειν τὸν Κυρήνιον. *Hæc locutio novitatis & inſolentiæ multo plus habet, quam illa, cui aſſerendæ tantopere ſine cauſa Vir Doctus inſudat.* Quod ad me, aliter ego phraſin Lucæ expedii, mihique idem eſt, ac ſi dixiſſet Lucas, non quidem προτέρα ἡγεμονεύοντος, verum πρώτη πρὸ ἡγεμ. Sed & miror profecto, Participium pro verbo Infinito poſitum, a Viro Græcæ Linguæ pene omnium eruditiſſimo

tantæ novitatis & inſolentiæ arceſſi, quum iſti linguæ illud vel maxime ſit ſolenne, etiam in locutionibus multo durioribus. Veluti in elegantiſſima illa γνώμῃ apud Heſiod. ἔργ. v. 296. qua dicitur, illum hominem eſſe vere inutilem & improbum, *qui nec ipſe ſapiat, nec alteri auſcultare in animum inducat*, ὃς δέ κε μήτ᾽ αὐτὸς νοέῃ, μήτ᾽ ἄλλȣ ἀκȣ́ων ἐν θυμῷ βάλληται: pro ἀκȣ́ειν. Vide ibi politiſſimas Cl. Grævii Notas, hunc notiſſimum, ut ait, Helleniſmum, & tamen ibi quoque Interpretes omnes fugientem, præclare illuſtrantis. Imitatur Plautus Aſin. III. 4. 44. *Quas hodie adoleſcens Diabolus dixit ipſi daturus*, pro, ſe daturum eſſe. Anton. Liber. fab. LXI. ὁ δὲ Κέφαλος, ὅτε αὐτὴν ἔγνω παρελθȣ̃σαν εἰς τὸν οἶκον, καὶ κατακλινȣ̃σαν ὡς παρὰ τὸν ξένον, pro παρελθεῖν & κατακλινῆναι, h. e. *poſtquam eam vidit jam transgreſſam in ædes, & decubuiße tanquam apud hoſpitem*. Quo modo & Livius I. 57. *Quas in convivio luſuque viderant tempus terentes*, pro *terere*. Ipſe Lucas Act. VII. 12. ἀκȣ́σας δὲ Ἰακὼβ ὄντα σιτία ἐν Αἰγύπτῳ, manifeſte pro εἶναι. Jam vero quidni recte etiam dicatur aliquid factum πρὸ ἡγεμονεύοντος Κυρηνίȣ, certe æque ac πρὸ δύναντος ἡλίȣ, *ante occidentem ſolem*, ſeu *ante quam occiderit ſol*, quod utique Græcis frequentiſſimum? Simile eſt illud Herodiani III. 4.

ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι ἐπ' ἀλλήλους ἠπείγοντο; *Cum exoriente ſole adverſus ſe invicem movebant*, h. e. cum exortu ſolis, ἅμα τῷ ἀνίσχειν τὸν ἥλιον· Atque ita etiam Plaut. Bacchid III. 3. 22. *Ante ſolem exorientem niſi in palæſtram veneras*. h.e. ἐὰν μὴ εἰς τὴν παλαίστραν πρῶτος ἔλθῃς ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου, vel πρὸ ἀνατολῆς. Sed nihil ſimilius, quod ad Conſtructionis & Linguæ rationem, Lucæ verbis ſecundum noſtram eorum inpretationem, & Caſaubonianæ animadverſioni nihil magis contrarium eſſe poteſt, quam locus LXX. Interpretum, Ierem. XXIX. 2. quem attulit nuper Vir egregius, Pet. Keuchenius, in Eruditis ſane *Annotatis ad Novum Teſt.* οὗτοι οἱ λόγοι, οὓς ἀπέστειλεν Ἱερεμίας εἰς Βαβυλῶνα ὕστερον ἐξελθόντος Ἰεχονίου ἐξ Ἱερουσαλήμ: *Hæc ſunt verba, quæ miſit*, vel *ſcripſit*, *Jeremias Babylonem, poſtquam exiit Rex Iechonias ex Hieroſolymis.* Manifeſtiſſime enim iſtic eadem plane συντάξει, quam *novitatis* & *inſolentiæ* incuſat Caſaubonus, dicitur, οὓς ἀπέστειλεν ὕστερον ἐξελθέντος Ἰεχονίου, pro ὕστερον ἀπ' ἐξελθέντος, vel, ut Caſaubonus poſtulat, ὕστερον τοῦ ἐξελθεῖν τὸν Ἰεχονίαν, ſicuti apud Lucam, πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου, pro πρὸ ἡγεμονεύοντος.

XXVIII. Ita jam ſatis ſuperque, ni fallor, phraſin ipſam hujus loci in lucem clariſſimam dedimus, & ab omni etiam *novitatis* ac *inſolentiæ* ſuſpicione vindicavimus.

Vna tamen difficultas, quæ interpretationi noſtræ opponi poteſt, & opponitur a Caſaubono, amolienda reſtat. *Illud fortaſſe*, inquit, *minus probabile, quod hac nova interpretatione admiſſa, Lucas deſcriptionem, qua de loquitur, nulla ipſi propria nota inſigniverit, neque Auctoris, qui egerit, neque Temporis, quo eſt acta, ſed rei duntaxat annotatione, qua X. poſt annis evenit. Hanc vero accuratorum Scriptorum non eſſe conſuetudinem, nemo opinor, negaverit.* At vero, admiſſa jam illa veteri interpretatione, an magis iſta verba docebunt Lectorem de Auctore, a quo facta deſcriptio, aut etiam anno vel Tempore certo, quo facta? Ipſa hæc verba ἐγένετο ἡγεμονεύοντος &c. omnino ſignificarent quidem qualecunque Tempus, non Auctorem, vel Miniſtrum, qui tunc in Judæa fuit haud dubie ipſe Rex cum Primoribus populi. Et ineptum eſt Miniſtri requirere mentionem, cum Auctoris, qui fuit Auguſtus, utique meminerit Lucas, idque jure merito ſatis habuerit. De Tempore autem ipſo (quandoquidem volunt Quirinum extra ordinem ad hanc rem peragendam eſſe miſſum, & fateri coguntur poſtea iterum in Syria fuiſſe, ſed tunc, ut verum, Summum, atque Ordinarium Præſidem) quî jam ex iſtis verbis Lucæ ita expoſitis certus eſſe poterit Lector, cum nulla iis diſtinctionis nota ſit addita, & ſimpliciter ſig-

ſignificare ea debeant ex uſu Linguæ Ordinariam & ſummam ἡγεμονίαν, non, minorem quandam & extraordinariam. Et ſi maxime hanc ſignificare poſſent, tamen etiam ſic Lucas, ſiquidem tam exactum voluiſſet agere Chronologum, quam in noſtra Interpretatione deſiderat Vir Summus, addere omnino debuiſſet, ſub quo Ordinario Præſide, per quem ſolum notari poterat Tempus, Quirinus ita extra ordinem in Syriam fuiſſet miſſus. Sed non ea ſemper conſuetudo Veterum, maxime βιογράφων, non Plutarchi, non Nepotis, non Euangeliſtarum. Et D. Lucas non tam tempora, quam res ipſas notare ſibi curæ habuit. Verumtamen, quoniam ſcripſit hunc librum poſt factam jam Alteram Deſcriptionem, ea autem quia recentior, & multo gravior ac memorabilior, tum propter accedentem ἀποτίμησιν τῶν οὐσιῶν, graveſque ſeditiones inde exortas, tum propter redactam tunc in formam provinciæ Judæam, magis in ore hominum & mente verſabatur, idque adeo, ut etiam *Deſcriptionis* mentione ſimpliciter facta, iſta potiſſimum a plerisque intelligeretur, & ipſe in Actis v. 37. eam ἁπλῶς & κατ' ἐξοχήν; quaſi unicam & ſolam, τὴν Ἀπογραφὴν (ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς) nominaverit: idcirco voluit heic obiter & quaſi in tranſcurſu, inferendo parentheſin iſtam, ſaltem cavere, ne quis

per

per errorem putaret, Chriſtum natum ſub altera, illa celebri, Deſcriptione, a Quirino, & ſub Quirino Ordinario Syriæ Præſide peracta, h. e. decem amplius annis ſerius. Verebatur ſcilicet pleroſque ceteroqui, prioris deſcriptionis nullam ducentes rationem, quum legerent *deſcriptionem Auguſti juſſu factam*, de nulla alia cogitaturos, quam de poſteriore illa, quæ Judæam fecit provinciam tributariam, & ideo præcipue ac ſimpliciter tunc appellabatur ἀπογραφὴ, *deſcriptio*. Hoc ergo unum ne accideret, operæ pretium duxit, obiter monere, eam, de qua loquebatur, *factam, antequam Syriæ præſes eſſet Quirinus*, adeoque diverſam eſſe ac priorem illa, quæ ſub Quirini Imperio facta fuit; idque tanto magis, quoniam, ſi gravis & invidioſæ iſtius deſcriptionis tempore natus crederetur Chriſtus, poſſet videri quaſi inauſpicato ortu attuliſſe Judæis jugum ſervitutis, & tributi extrario populo pendendi onus. Hoc vere fuiſſe illi, & unice propoſitum, liquido apparet ex eo ipſo, quod iſta per modum parentheſeos addidit. Ceteroquin enim, ſi voluiſſet ſolummodo Tempus denotare deſcriptionis, non opus ea orationis interruptione fuiſſet, ſed multo commodius, multoque rectius priori commati inſeruiſſet tantum quatuor illa verba ἡγεμον. τῆς Συρ. Κυρ. Quod ſi quis nihilo-

nihilominus ſtatuat, Lucam Temporis tantum denotandi gratia ita ex profeſſo in medio inſtitutæ orationis curſu parentheſin iſtam interpoſuiſſe, & tamen ſic locutum, ut ex eo ipſo nulla ratione ſciri poſſet, quo Tempore res geſta, immo ut Lector potius, quod ad Tempus, in errorem inducatur, ſicuti oſtendi ſupra §. 18. opiner multo potiori forte jure Ego, neminem negaturum hanc non eſſe conſuetudinem accuratorum Scriptorum.

XXIX. Adeone autem iſthæc loquendi ratio, quam ex noſtra interpretatione ſecutus eſt Lucas, recedit a conſuetudine aliorum? Receſſit ergo & D. Johannes ſimili plane parentheſi, quando in Euang. XIV. 22. ait, λέγει αὐτῷ Ἰούδας (οὐχ ὁ Ἰσκαριώτης) τί γέγονεν &c. Nempe memorat interrogatum a *Juda* Chriſtum, ſed veritus, ne illo Nomine intelligeretur is, qui erat tunc ſuo ſcelere celeberrimus iſtius Nominis, interpoſuit, tantum, ut huic opinioni occurreret, parentheſin, nihil aliud declarantem, quam de iſto Juda ſe non loqui. Atque ita, quamvis plures iſtius Nominis eſſent inter Judæos, nec Johannes uſquam ante hujus, quem deſignat, Judæ feciſſet mentionem, non tamen diſerte notandum ſibi hoc loco duxit, quem intelligi vellet, quum facillime id potuiſſet, omiſſa parentheſi, & addito

dito tantum cognomine ejus, quod erat ζηλωτής: ſed ſufficiebat illi ſignificare hoc ſolum, non intelligi a ſe Judam Iſcariotèn; quo cognito, facile etiam illud conjectura aſſequi poterant Lectores, deſignari Judam Zeloten, qui ſolus iſtius Nominis ſupererat inter XII. Apoſtolos. Similiter vero ſatis habuit & Lucas, monere, deſcriptionem, cujus tempore natus Chriſtus, accidiſſe ante illam infamem & invidioſam Judæis, ſub Quirino factam: adeoque diverſam omnino ab illa; quo item cognito, facile haud dubie potuerunt & illud iſtis temporibus Lectores vel ex memoria aſſequi, vel invenire in Annalibus Judææ, quo tempore facta ſit, quandoquidem ante Quirinum vix credibile ullam aliam contigiſſe, præter hanc. Nam quod docti Interpretes huc referunt etiam extorſiones pecuniarum, quas Judæa paſſa a Pompejo, Gabinio, Craſſo, & Caſſio, alienum omnino, quum illæ indubie ſint factæ ſine tali hominum vel opum deſcriptione.

XXX. Priusquam te abſolvam, Lector, reddenda etiam eſt ratio, cur ſemper a me appellatus fuerit *Quirinus*, qui a D. Luca & aliis Græcis Κυρήνιος, a pleriſque Interpretibus *Quirinius* nominatur, adeo ut etiam emendandos putaverit faſtos Hugo Grotius in quibus *Quirinus* legitur. Ego vero

vero in Lingua Latina hominem Latinum ſeu Romanum appellandum cenſeo, non quomodo a Græcis ejus nomen ſcribitur, ſed quomodo in patria Urbe & lingua dictus fuit. Iſtic autem verum τῦ Κυρηνίε nomen fuit *P. Sulpicius Quirinus*, non *Quirinius*, ut vult Vir Summus. Etenim erat hoc, ut patet, tertium ejus nomen, ſeu Cognomen: non ſecundum, ſeu Gentilicium. Hujus autem generis nomina deſinebant apud Romanos in IVS, non item iſtius. Quin immo obſervant Eruditi tria ſolummodo ex tanta multitudine Cognominum, fuiſſe iſtius formæ, *Pius* & *Caprarius* Metellorum, *Triarius* Valerii. Addo tamen *Quadrigarius* Q. Claudii apud Gellium, *Lanarius* Calpurnii apud Plutarch. in Sertor. Sed præſtat pro numero eorum ineundo, certum dare de iis præceptum: nempe nullum omnino uſque ad tempora Auguſti fuiſſe cognomen in IVS deſinens, quod eſſet aliunde formatum in hanc formam: ſed omnia iſtius terminationis eſſe ſine ulla mutatione vel ex prænominibus, aut ſervilibus, ac peregrinis nominibus facta Cognomina, ut *Statius* Cæcilii poetæ, vel ex Appellativis ſumpta, ut omnia modo enumerata, qualia a Grammaticis deinde vocata ſunt proprio vocabulo Agnomina. Ergo quum *Quirinius* manifeſte fuerit tertium illius hominis nomen,

men, ſit formatum aliunde, nempe a *Quirino*, nihil notet, nihil ſignificet, certum mihi, non hoc, ſed ipſum illud *Quirinus* verum fuiſſe P Sulpicii cognomen. Et aſſentientem habeo non modo vulgatum Interpretem, qui *Cyrinum* vocat, ſed & Syrum, qui *Kurinus* vertit. Nec obſtat, quod Græci Κυρήνιος. Solenne enim illis dare iſtam terminationem nominibus propriis Romanorum, quia videbant eorum pleraque prænomina, omnia gentilicia, nonnulla etiam cognomina ita deſinere. Sic Imp. M. Clodius Pupienus in Græcis nummis Tarſi cuſis apud Patin. Theſ. p. 124. Πουπίνιος ſcribitur. Immo Lucianus caſtigat alicubi eos, qui Titianum vocent Τιτάνιον. Dionyſ. quoque Halicarn. Nautem Æneæ comitem Ναύτιον, Cælem Vibennam Κοίλιον nominat. Neque vero propriis tantum, ſed & appellativis in Linguam Græcam aſſumptis hanc formam ſæpe dederunt. Ita menſes appellant Απρίλλιον, Σεπτέμβριον &c. Flamines, Διάλιον, Μαρτιάλιον, Κυρινάλιον, qui Latine *Dialis*, *Martialis*, *Quirinalis*. Eadem vero cauſa, quæ Græcos impulit ita nominare Romanos, etiam librariis quibuſdam impoſuit, ut iſtac Nominis Gentilicii formâ cognomen hoc *Quirini* exararint in Taciti codicibus, qui ſuperſunt.

F I N I S.

INDEX
Rerum & Auctorum,
Qui in hoc volumine explicantur & illuſtrantur.

ADjectiva in IANVS exeuntia non derivantur a Subſtantivis Locum denotantibus, ſed multitudinem hominum pag. 607. 608.

Adjectiva habitum vel modum rei geſtæ ſignificantia ſæpe junguntur verbis tanquam Adverbia 954.

Aediles plebis etiam erant & dicebantur Judices 13.

Anton. Liberalis *exp.* 961.

Ariſtophanes in Avibus *exp.* 957.

Aſconius *expl.* 457.

Auctor de Cauſis corr. Eloq. *exp.* 203. 204.

Auctor ad Herenn. I. 14. *emend.* 40.

Auctores non aliter a nobis interpretandi, quam vult Linguæ ratio 866. 867.

Auditorium *ſtatum ac proprium juri dicundo in Palatio primor. Cæſarum non fuit.* 181....... 200. & *ad Lib. Sing. Cap.* 19.

—— *Severi Imp. tempore fuiſſe potuit.* 210. & *ad Lib. Sing. c.* 19.

—— *primo Cæſarum ſeculo notavit tantum Loca recitationum, & opponitur* Foro *ac* veris Litibus 202. 203.

—— *pro cœtu Auditorum qualicunque, & ipſo Judicum conſeſſu* 206...... 209.

— *Cauſæ leviores litium, ſeculo ſecundo Imperatorum, in Auditoriis cœperunt explicari, & cognoſci, ſed privatim, non publice* 204. 205.
Auditorii ſacri Cognitor *dicebatur Præfectus Urbis* 212. 213.
Cæſares non vocabantur Prætores 150. 151.
— *ipſi extra Conſulatum non adeo frequenter jus dixere, ſed aliis eam rem delegavere* 186. 187. *& ad Lib. Sing. c.* 20. 21.
— *dixere jus non tam ut Cæſares, quam quum eſſent Conſules* 771....774.
— *appellati ſunt* Reges *a provincialibus, etiam a Judæis* 871.
— *ſubſcribebant capitalibus ſententiis a Præfecto præt. latis* 175. 187.
in Caſtris jus dicebatur. 215. *&c.* 267. 268. *& ad Lib. Sing. c.* 18.
Caſtrorum *vocabulo in Urbe denotantur Caſtra Prætoria* 73.
Caſtrum Prætorium 143.
Cenſura a parvis initiis ad maximam progreſſa eſt dignitatem ac poteſtatem 599. 600. 601.
Cenſus bonorum in provinciis ſæpe excitabant tumultus 911. 912.
— *fiebant Tributi conſtituendi gratia* 913. 914.
— *frequentes & accurati Romanis* 924.
Chryſoſtomus in arg. Ep. ad Philipp. *exp.* 329. 330.
Cluilius & Clœlius *idem plane nomen* 20.
Cognomina Romanorum non deſinebant in IVS, niſi quæ ex Prænominibus aut Appellativis ſine mutatione erant ſumpta 971.
Comitium pati *notat virgis cædi in Comitio* 49.
Comparatio fit per Præpoſitiones, ſed quæ poſt gradum Comparativum plerumque ſolent omitti 958. 959.

fit

—— *fit etiam cum Poſitivo & Superlativo gradu* 958.
in Conſilium Præſidis provincialis convocari ſolebant omnes Senatorii Ordinis ac præcipuæ dignitatis ex U. Roma Viri, qui tunc forte in provinciis erant 36. 37.
in Conſilio Caſtrenſi cauſæ cognoſcebantur 40, 41, 42.
in Conſilium Mitti, Conſurgere, Ire, Secedere *dicuntur judices, quando de ſententia ferenda inter ſe deliberant* 717, 718. &c.
Conſules olim vocati etiam Prætores 9, 10, &c.
—— *an etiam* Judices *fuerint appellati?* 14. 15.
per Conſules etiam ſub Cæſaribus ſignificabatur Tempus apud Romanos 950, 951, 952.
Cyrenius in Lingua Latina appellatus fuit P. Sulpicius Quirinus 971.
—— *ejus Dignitas* 944.
—— *extraordinarium Imperium ad deſcriptionem faciendam refutatur* 933. &c.
Deſcriptio Auguſtea per Orbem Terr. conſtitit tantum in Numeratione Hominum 911. &c.
Deſcriptiones diverſas, a Luca, & a Joſepho memoratas, confuderunt plerique Patrum 933. &c.
Dio *expoſitus* 224. &c. & *ad Lib. Sing. c.* 14.
Ἐπὶ *cum Genit. adhibetur ad denotandum Tempus, ſed per Ellipſin omittitur, quando Genitivo illi additur Participium* 949.
Ἡγεμὼν *notat maxime Ordinarios Præſides provinciarum, ſed tamen etiam Procuratores* 947.
Feſtus *emendatur* 18, 19.
in Foro maxime dicebatur jus 192. &c.
Herodes Rex Judææ, erat non Tributarius, ſed Amicus Auguſti 916, 917.
Interpretationis faciendæ, ſeu ſignificationis eruendæ norma & ratio 127, 128, 866, 867.
Joſephus Antiq. XIX. 2. *expl.* 125, 126.

Iſidori *error* 64.

Judices prius deliberabant inter ſe, antequam ſententiam ferrent. 717, 718.

Judicia ejuſdem cauſæ per Comperendinationes & Ampliationes ſæpe differebantur & repetebantur. 375.

Jus dicebatur maxime in Foro, *ſed & in aliis locis* 192, 193, 716, 742....751.

Jus Ordinarium erat apud Judices in Foro, *at Extraordinarium & ſupra Leges apud Senatum & Cæſarem* 194, 195, 196.

Jus Romanum. Novell. XXIV. *expon.* 65, 66.

—— XXV. *exp.* 7.

—— Pompon. de Orig. Juris *exp.* 831.

Juſtinus Martyr *in Hiſtoricis ſæpe erravit* 935.

Livius III. 55. *exp.* 13, 14.

—— XXI. 45. *exp.* 120.

—— XXIII. 40. 25.

—— XXIV. 40. 26.

—— XXXVII. 50. 26.

—— XXXIX. 41. 27.

Maria quorſum cum Joſepho ad cenſum venerit? 924. 925.

Milites non excludendi regno cælorum 271. 434, 435. 783, 784.

—— *a ſuis ſignis haud facile aut diu retinebantur* 262. & ad Lib. Sing. c. 5.

Militare Imperium deponebant etiam Cæſarum filii, antequam Urbem intrare poſſent 150.

Nominibus Romanorum Græci plerumque dederunt Terminationem ΙΟΣ *IVS.* 972.

Nova Interpretatio Scripturæ Sacræ, præſertim in re Philologica, non eſt a Reformatæ Religionis principiis aliena. 334. &c.

Nummi aliquot Tabulæ XCIII. Oudani *explic.* 553. 554.

Oius-

Οἰκουμένη πᾶσα non terram Iſraelis, ſed Imperium Romanum denotat apud Lucam 919. &c.

Opima abſolute pro Opima Spolia 550.

Extra Ordinem ſæpe ad notandam Temporis circumſtantiam adhibetur 749.

Extra Ordinario cum imperio haud facile quis mittebatur in Provinciam, quæ Ordinariam habebat Præſidem. 941.

Palatium & Prætorium fuerunt diverſæ ſignificationis vocabula, & diverſi generis ædificia 69. &c. 152.....172. & ad Lib. Sing. c. 27.

—— poſt Tempora Imp. Leonis promiſcuæ cœperunt eſſe ſignificationis 538. 539.

Palatini & Prætoriani erant diverſi plane 822. 822.

Participia ſæpe pro Infinitis ponuntur 964. 965.

Phlegon explic. 252.

Pœnæ Capitales ſumebantur apud Romanos etiam in Urbe 47. &c.

—— immo in Foro 48.

—— immo in Comitio 49.

—— vulgares Militum extra Caſtra, ſed ſolennes & exemplo ſervientes intra Caſtra in Principiis. 51. &c.

Præ eſt præpoſitio Comparationis 958.

Præfecti prætorio præcipui erant Cæſarum Miniſtri 76. 248. 249. & ad Lib. Sing. c. 13.

—— Eorum jus & poteſtas 78.

—— Jus dicebant inter Milites in Caſtris 215. &c. 436.

—— etiam in cauſis provincialium 739.

—— præerant proprie prætoriis Cohortibus, & erat Militare munus. 236. &c. & ad Lib. Sing. c. 13.

—— a Græcis antiquiſſimis vocantur ϛρατοπεδάρχαι, ἔπαρχοι τῶν ϛρατοπέδων, τῶν δορυφορικῶν &c. at a poſterioribus demum ἔπαρχοι τῆς αὐλῆς, 243. &c. & ad Lib. Sing. c. 13.

Præpoſitiones ante ſuos Caſus ſæpe omittuntur, ſi cum Verbis compoſitæ jam præceſſerint 962.
Prætores *a* præeundo *dicti,* 7. 8.
—— *appellati ita omnes ſummi imperii Magiſtratus* 8, 9.
—— *etiam Conſules* 9. 10.
—— *etiam Reges* 7. 20.
—— *porro ſummi exercituum* Duces 17.
—— *etiam minores auxiliorum ex ſingulis Civitatibus* Duces, *qui* Ducibus *Romanorum ſubjecti* 17, 18.
—— *etiam Præſides provinciarum cujuſcunque generis, ſed proprie cum relatione quadam ad provinciam vel exercitum, aut etiam claſſem.* 23...28.
—— Maximus 8, 9.
Prætores jus dicentes quo modo Prætoris *nomen acceperint* 11, 12.
—— *Eorum Origo* 10. 11.
—— Collegæ Conſulum *dicti* 15.
—— *Abſentibus Conſulibus Conſulare Munus in Vrbe peragebant* 15.
—— *Bella etiam adminiſtrabant* 16.
a Prætore *formatis vocabulis deſignantur omnia in bello, quæ ad ſummum Ducem pertinent* 29.
Prætoria cohors: *qualem habebant ſinguli Duces in exercitu* 29. 30.
—— *Ejus Statio ad Aulam erat Vis & ſpecies dominationis* 229.
Prætoriarum cohortium multitudo a Triumviris orta, quum antea ſinguli ſingulas habuiſſent. 504, 505.
Prætoriani *non a* Prætorio, *ſed a* Prætoria cohorte *appellantur.* 506, 507, 606, 607, 608.
—— *ad cuſtodiendos reos, & cædes faciendas a Cæſaribus adhiberi ſolebant* 74. 262, 263.
—— *Tuebantur proprie ſalutem & corpus Cæſarum* 604, 605.

Præ-

Prætorium *notat primo Tabernaculum ſummorum Ducum, etiam exterorum, & Regum* 30.
— *dein villas in Agris ſumptuoſas, & proprie eam villæ partem, in qua Dominus ſolebat manere* 31, 32.
— *etiam partem ædificii præcipuam* 32.
— *etiam in Navi Locum, ubi manebat præfectus Navis* 32.
— *Multitudinem hominum, qui quotidie in Prætorio Caſtrenſi verſabantur* 35. 120.
— *Habitationem Præſidum in Vrbibus provinciarum, eodem uſu, quo in Caſtris* 60, 61, 62. 110.
— — *etiam ante Cæſares in Libera Rep.* 111.
— *Aulas Regum* 62.
— *In Vrbe Prætorias Cohortes* 71. &c. 115, &c. 129, &c.
— — *Ejus ſignificationis Analogia* 121.
— *In Hiſt. Byzantina notat publicum Carcerem, quia is fuit in, & remanſit ſolus ex Habitatione Præfecti Vrb. incendio conſumpta* 540, 541.
— *pro Loco poſitum ſemper notat Habitationis ipſius, non juriſdictionis, Locum* 111, 112. 177. &c.
— *non ſignificavit Locum juri dicundo deſtinatum* 67. 173. &c. *& ad Lib. Sing. c.* 16.
— *non Palatium* 69, 70. 152....... 172. *& ad Lib. Sing. c.* 27.
Prætoria plura in unis Caſtris, ſeu totidem, quot Prætores, vel ſummi Duces, in iis, 671, 672.
in Prætorio Caſtrenſi Conſilium habebatur 33, 34.
extra Prætorium peragebantur judicia 179, 180.
Prætorium Caſtrum 143.
in Prætoriis Caſtris jus dicebatur 215. &c. .... 220. 267, 268. *& ad Lib. Sing. c.* 18.
— *Templum erat Loco Prætorii* 217, 218. 675, 676.

Præ-

Prætorium, ſeu Prætoriæ cohortes Græce dicuntur τὸ δορυφορικὸν, *vel* τὸ στρατηγικόν. 123, 124, 125.
Principia miſſa 36.
in Principiis concio Militum habebatur 43.
—— *pœnæ Militares exactæ* 44. &c. 52. &c.
—— *Maxima erat hominum multitudo* 57, 58.
Procuratores Cæſarum in provinciis erant Equites vel Liberti 943.
Πρῶτος *ſæpe de duobus tantum adhibetur, & tunc induit naturam & ſignificationem Poſitivi* 955. &c.
—— *ſi cum Genitivo jungitur, tum regitur iſte Caſus a præpos.* πρὸ 961. &c.
Provocationes ex provinciis factæ ad ipſos Principes, ſed ab his ſolitæ aliis delegari 737. &c. 766, 767.
Reges olim in poteſtate populorum 4, 5.
—— *pro populo ſæpe depugnabant ſingulari certamine* 6.
—— *appellati etiam ſunt* Magiſtratus 22. 104, 105.
—— *Romani fuerunt Magiſtratus jure* 20, 21.
Regum antiquiſſimorum munus erat jus dicere 1, 2.
—— *in bello præire* 5.
Reges aliquot Orientis, licet immunes Tributi, erant tamen Romanis ſubjecti adeo, ut filius patri in Regno ſuccedere non poſſet, niſi permiſſu Romanorum vel Auguſti 910.
Romanum imperium ſolet ὑπερβολικῶς Orbis Terrarum *appellatione deſignari* 920.
Saturnini Sentii Dignitas 939.
Scriptores medii ævi ſæpe errarunt in rebus antiquis 170, 171. 933. &c.
Scriptura. S. Lucas Euang. II. 2. 908. &c.
—— —— Actis Apoſt. XXV. 3. 37, 38.
—— —— —— XXVIII. 16. 73. & ad *Lib. Sing. cap.* 5.

Pau-

—— Paulus ad Philipp. I. 13. 67. *&c.* 254. *&c.* *& ad Lib. ſing. c.* 2. 3. 4.
—— —— —— I. 25. 383.
—— —— 2 ad Timoth IV. 323. *&c.*
—— Pauli Epiſt. poſterior ad Timotheum *ſcripta paulo ante ejus mortem in ſecundo reatu* 322. *&c.*
Seneca Controv. IV. 25. *exp.* 53. 54.
Singularia Nomina Collective pro numero hominum poſita, apud Latinos & Græcos 117. *&c.* 479.
Socii ac Liberi Reges & Populi non quidem Tributa, ſed copias auxiliares Romanis conferre debebant 918. *&c.*
στρατοπεδάρχης *eſt Præfectus prætorii* 73.
στρατηγικοὶ *Milites Prætoriani* 124, 125.
στρατήγιον *apud Dionem quid ſit* 229. *&c. & ad Lib. Sing. c.* 15.
Sueton. Ner. 9. *exp.* 129, 130.
—— —— 15. 717. *&c.*
—— —— 47. 133, 134.
—— Othon. 1. 55, 56.
—— Domit. 8. 748.
Symmachus *exp.* 212.
Tacitus Hiſt. I. 20. *exp.* 139, 140.
—— I. 77. 57, 58, 59.
—— IV. 46. 134, 135.
ad Tempus deſignandum adhibebatur olim Summus & Ordinarius populi Magiſtratus. 950. *&c.*
Theophili error in Origine vocabuli Prætoris 8.
Tribunal erat in Caſtris ante Prætorium 42.
—— *in Urbibus, in Loco publico & conſpicuo,* 190, 191.
Victor de Regionibus Urbis *emendatus* 48.
Vrbis & Πόλεως *nemine denotatur* κατ' ἐξοχὴν *Roma* 39.
Vſus dominatur in Linguis & in ſignificationibus vocabulorum ſupra Analogiam 801, 802. 819, 820.

E R-

ERRATA

Operarum, quæ gravioris momenti, ſic corrigenda.

Pag. 5. verſu 6. l. *libidine*
14. v. 10. *l. Prætores, Iudices, Conſules.* Excidit enim *Iudices.*
22. v. 20. *l. Catone*
28. v. 2. *l. Ryquius*
v. 17. *l. Curtium*
29. v. 20. *l. P. Scipio*
30. v. 17. *l. Curtius*
73. v. ult. *l. Xiphilinus.*
87. v. 9. *l. ut* pro *ni*
111. v. 3. *l. Prætorium in Vrbe Roma eſt ortum*
124. v. 16. *l. dicti proinde δορυφόροι*
232. v. 20. *l. Criticorum*
v. 28. excidit *exiſtimo* poſt στρατῶ̃
236. v. 5. *l. ergo* pro *ego*
252. v. 5. *l. δῦλος*
255. v. 13. *l. aliter*
321. v. 4. *l. Veteribus*
352. v. 2. *l. effugias*
379. v. 18. dele *at* ante *Neronem*
455. v. 16. *l. ex profeſſo, ſignificare*
518. v. 24. *l. opponit alteri*
555. v. 4. *l. iis enim ſignif.*
558. v. 22. *l. præreptam*
621. v. 13. *l. tanquam re*
667. v. penult. *l. hoc nos ſecure*
673. v. 17. *l. Palatio*
v. 24. *l. Cæſarum*
681. v. 5. l. *impetu*
697. v. 5 *l. diceretur*
700. v. 3. *l. Symmacho*
774. v. 22. *l. ſed tantum*
804. v. ult. *l. βασιλείας*
863. v. 17. *l. uſitatiſſima*
921. v. 4. *l. tam in arctum*
961. v. 3. *l. integre*
v. 4. *l. occurrit*

FINIS.

811.025

Digitized by Google

BIBLIOTECA • H. SONGHI •
Digitized by Google